CAI PLINII SECVNDI EPI-STOLAE.

Adiectæ Notæ; & emendationes hac secunda editione factæ locupletiores.

Auctore CLAVD. MINOE, Iurisc.

Cum Indicibus amplißimis & certißimis.



PARISIIS,

Apud ROBERTVM MICARD, in Clauso Brunello, sub signo Bonæ Intentionis.

1598.

Cum gratia & Priuilegio Regis.

CAI PLINII SECVNDI EPISTOLÆ.

Adiectæ Notæ; & emendationes hac secunda editione factæ locupletiores.

Auctore CLAVD. MINOE, Iurisc.

Cum Indicibus amplissimis & certissimis.



PARISIIS,

Apud ROBERTVM MICARD, in Clauso Brunello, sub signo Bonæ Intentionis.

1598.

Cum gratia & Priuilegio Regis.

SPECTATISSIMO VIRO, D. NICOLAO CLERICO, IN PRIMA ſenatus ſummi decuria libellorum ſupplicum Pręſidi.

REDIT *ad te, præſes ampliſsime, Plinius noſter, quem ante annos decem meditata opera deſponderam, fratri tuo, ſpectatæ fidei, viro ac emendato, D. Chriſtophori archimandritæ: cuius obitum ita grauatè fero, vt nullum mihi triſtiorem caſum obtigiſſe confitear, nullámque iacturam moleſtiorem ſenſerim, vel proximis ſuperioribus annis, quibus inter barbaricos perduelles vita miſera tumultu ferè continuo ac trepidatione nobis*

trahēda fuit. Sanè huius viri memoriam ita sanctè colo, vt, dum spiritus hos regat artus, nulla vnquam ingrata obliuio nomen tam chari capitis animo meo poßit auellere. Et quid non faciā, ne viuam, & moriar ingratus; etenim ille mihi pro suo candore, vir certè inculpatus, iudicij sani, doctrinæ non exiguæ, imò & consiliorum penè omnium copiam faceret, & me sæpiùs ad honesta de rebus litterarijs colloquia traheret, sed maximè quæ Iuris vtriusque essent, & ex antiquitatum monumentis vltro prouocaret? Quo nobis erepto singulari nostrorum sermonum æstimatore ac vindice, non puto ingratum aut iniucundum tibi fore, si Plinium, qui fratri illi tuo fuit in delicijs, tibi addicam, ac consecrem, non vt alienum, sed quasi hereditarium quod volui esse μνημόσυνον, tibi vni ex omnibus peculiare ac proprium asseratur. Atqui

non hîc meam opellam ventito, quæ qualis ac quanta ſit, viderint alij: Plinium reuera lepidum àc elegantem, & quod vident omnes, egregiè peritum ac pudicum auctorem, te, vt opinor, non indignum exhibeo, non vt aduenam aut adſcititium, ſed planè domeſticum ac familiarem, quem etiam viri togati ac præſtantes, tuique imprimis ſimiles, non poſtremò numero ſemper habuerint: Nempè cum beata ingenij vena qua ſeſe ipſum commendat τῇ συνέσει πολιτικῇ, καὶ δυνάμει ἑρμηνευτικῇ *beatus abundè, quibus maximè dotibus veteres tum Græci tum Romani iter ad ſummam gloriam ſibi compararunt. hoc non monendi tui cauſſa, quippe qui ſciam nullam ignotam tibi eſſe muſicam, vir ampliſſime, ſed vt intelligas me non omnino ſine iudicio ac delectu feciſſe, qui te Plinio meo quaſi patronum quæ-*

ſiuerim, qui in tuam pridem familiam cooptatus & adſcriptus, in eadem te auctore ita perſeueret, vt nullo caſu ſit ad alios tranſiturus. Viue felix, meritiſſime præſes, Lutetia, Idibus Aprilis.

1598.

GRÆCARVM VOCVM ET SENTENTIARVM QVAE PASSIM OCCVRrunt in Plinianis epistolis, Explicatio.

A, primam paginam: B, alteram denotat.

Pagina 1.b. τὰς ληκύθυς, oratoria lumina, ſeu ornamenta, quæ & pigmenta dici ſolēt.

Pag. 3.b. δυσκαθαίρετον, quod non facilè euertatur, aut expugnari poſſit. Alij legunt ἀκαταπάλαιστον, quod ineluctabile ſignificat.

Pag. 4.b. τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε, &c. vnū quidem ei conceſſit pater Iupiter, alterum autem denegauit. Iliad. π.

Pag. 4. b. ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων, Dixit, & cæruleis ſuperciliis annuit Saturnius. Ex Iliad. Hom. α, & ρ. vbi ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε, pro ἐπένευσε ὀφρύσι, dixit.

Pag. 7.a. μουσεῖον, domicilium Muſis apparatum: Muſæum Latini dicunt, vt apud Varronem de re ruſtica.

Pag. 9.a. κέκρικα, decreui, aut ſtatui, ſubabire de vita.

Pag. 12. a. καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν, Id. ſomnium à Ioue miſſum, ex Iliad. π.

12. b. λογισάμενος, cùm cogitaſſem, vel,

eùm animo mecum perpendissem.

12. b. εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Vnum augurium optimum, pro patria decertare. Vide adag. in Chil. Ex Hom. Iliad. μ.

Pag. 13. b. ἀρχέτυπον, exemplar primum.

Pag. 14. a. πάντα λίθον κινῶ, lapidem omnẽ moueo. Prouerb.

14. b. -- πρὸς δὲ καὶ ἐπὶ τούτῳ ταχὺ

Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσι,

Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων

Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις,

i. Præter hæc autem Suadela insidebat labris, adeò demulcebat, & solus oratorum aculeum relinquebat in auditorum animis: vel ἐκήλει, delectabat.

Ibid. a ἤστραπτ' ἐβρόντα ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα, i. fulgurabat, tonabat, perturbabat Græciam.

Ibid. ἀμετροεπῆ, tumultuantem lingua, vel loquentem intemperantiùs.

Ibid. καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίησιν, & verba niuibus similia hibernis, Iliad. γ.

Ibid. παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, i. Pauca quidem, sed multùm argutè. Iliad. γ. de Menelao.

Pag. 18. b. μικραίτιος, qui leui de causa queritur.

19. a. ἐνθυμήματα καὶ νοήματα, enthymemata & noemata.

Ibid. tantam ἕξιν, i. tantum habitum.

Pag. 19. b. ἀφιμόκαλον, alienum ab homine honesto. Quidam malunt ἀπειρόκαλον, hoc est ineptum, & quod Catullus dicit, inficetum.

Ibid. τί δαὶ αὐτοῦ τοῦ θηρίου τὰ αὑτοῦ ῥήματα βοῶντος ἀκηκόειτε; i. quid si belluam illā sua verba loquentem audissetis?

Ibid. μεγαλοφωνότατος, vocalissimus, vel clarissima voce tonans. Alij malunt, λαμπροφωνότατος clarissima voce præditus.

Pag. 25. a. σεμνῶς, grauiter.

Pag. 26. a. & b. λειτούργιον, negotium ad Remp. pertinens, vel publicum negocium.

Pag 27. b. Σοφοκλεῖς, Laudiceni.

Ibid. μεσόχορος, qui in medio choro stat.

Pag. 33. b ἀλλὰ τί διαπείρομαι; i. sed quid conor efficere?

Pag. 39. b. φιλόκαλος, rerum pulcrarum cupidus. Alii leg. καινόφιλος, quod nouarū rerum studiosum significat.

Pag. 40. a. ἀγαθὴ δ' ἔρις, i. bona est autem æmulatio, siue contentio. Ex initio Hesiodi ἔργων.

Pag. 41. a. ἀκοινώνητον, insociabile, vel consortis impatiens: ad verbum, incommunicabile.

Pag. 53. b. ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, i. inscitia quidem audaciam: cōsideratio tarditatem adfert.

Ibid. ἐπάρας τὴν φωνὴν, vocem extollens, atque exsultabundus, & verba gutture promens.

cùm animo mecum perpendissem.

12. b. εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης, Vnum augurium optimum, pro patria decertare. Vide adag. in Chil. Ex Hom. Iliad. μ.

Pag.13.b. ἀρχέτυπον, exemplar primum.

Pag.14.a. πάντα λίθον κινῶ, lapidem omnẽ moueo. Prouerb.

14.b.-- πρὸς δὲ γὰρ καὶ τούτῳ ταχὺ
Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσι,
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις,

i. Præter hæc autem Suadêla insidebat labris, adeò demulcebat, & solus oratorum aculeum relinquebat in auditorum animis: vel ἐκήλει, delectabat.

Ibid.a ἤστραπτ' ἐβρόντα ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα, i. fulgurabat, tonabat, perturbabat Græciam.

Ibid. ἀμετροεπῆ, tumultuantem lingua, vel loquentem intemperantiùs.

Ibid. καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν, & verba niuibus similia hibernis, Iliad. γ.

Ibid. παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, i. Pauca quidem, sed multùm argutè. Iliad. γ. de Menelao.

Pag. 18. b. μικραίτιος, qui leui de causa queritur.

19.a. ἐνθυμήματα καὶ νοήματα, enthymemata & noemata.

Ibid. tantam ἕξιν, i. tantum habitum.

Pag. 19. b. ἀφιμόκαλον, alienum ab homine honesto. Quidam malunt ἀπειρόκαλον, hoc est ineptum, & quod Catullus dicit, inficetum.

Ibid. τί δὲ αὐτοῦ τοῦ θηρίου τὰ αὐτοῦ ῥήματα βοῶντος ἀκηκόειτε; i. quid si belluam illā sua verba loquentem audissetis?

Ibid. μεγαλοφωνότατος, vocalissimus, vel clarissima voce tonans. Alij malunt, λαμπροφωνότατος clarissima voce præditus.

Pag. 25. a. σεμνῶς, grauiter.

Pag. 26. a. & b. λειτούργιον, negotium ad Remp. pertinens, vel publicum negocium.

Pag 27. b. Σοφοκλεῖς, Laudiceni.

Ibid. μεσόχορος, qui in medio choro stat.

Pag. 33. b ἀλλά τι διαπείνομαι; i. sed quid conor efficere?

Pag. 39. b. φιλόκαλος, rerum pulcrarum cupidus. Alij leg. καινόφιλος, quod nouarū rerum studiosum significat.

Pag. 40. a. ἀγαθὴ δ' ἔρις, i. bona est autem æmulatio, siue contentio. Ex initio Hesiodi ἔργων.

Pag. 41. a. ἀκοινώνητον, insociabile, vel consortis impatiens: ad verbum, incommunicabile.

Pag. 53. b. ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, i. inscitia quidem audaciam: cōsideratio tarditatem adfert.

Ibid. ἐπαίρεις τὴν φωνὴν, vocem extollens, atque exsultabundus, & verba gutture promens.

Pag. 56. a. πρόδρομον, præcurſorem.

Pag. 57. a. πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν, εὐσχήμως πεσεῖν, magnam cautionem adhibebat, decorè vt caderet. Ex Eurip. Hecuba, de Polyxena.

Ibid. b. κεῖται Πάτροκλος, iacet Patroclus. Ex Hom. Iliad. σ.

Pag. 65 a ἀλλὰ ταῦτα τῷ ὑπὲρ ἡμᾶς ἄλλῳ μελήσει, ſed hæc alicui alij eorum qui ſupra nos ſunt, curæ erunt, hoc eſt, alicui ex Diis.

Pag. 66. a. γιγνώσκων ὅτι τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος οἷόσπερ ἥδεται ξυνών, agnoſcens talem eſſe quemque, quales ij ſunt cum quibus libenter verſatur. Ex Euripide.

Pag. 75. b. κτῆμα, an ἀγώνισμα, monumentum ſit an certamen. Ex Thucyd.

Pag. 80. a. ἐρωτοπαίγνιον, ludicrum de amore poëma, aut liber amatorius.

Ibid. b πατὴρ δ' ὣς ἤπιος ἦεν, pater autem mitis erat Ex Hom. Iliad. ω. ſed ibi legitur, αἰεί, non ἦεν.

Pag. 82. a. τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι, Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται, i. eam cantionem homines celebrant magis, quæ ſit recentior. Hom. Odyſ. α. verba ſunt Telemachi.

Pag. 86. b. Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ, βαρείας χεῖρας ἐποίσει. i. nemo me viuente, & ſuper terram intuente, (hoc eſt, fruente luce) tibi cauas apud naues manus infeſtas inferet. Ex

Iliad. α. quo loci sequitur, συμπάντων δακνάων.

Pag. 94. b. κατὰ κεφάλαια, per capita, hoc est, summa rerum capita attingendo.

Pag. 99. a. ἐπίσασθε, verbum hoc nō temerè suspectum doctissimo viro HENR. STEPHANO, pro quo substituit, καταστήσατε, seu καταστήσασθε, ex vet. exempl. hoc est, constituite, decernite.

Ibid. ἀκροάματα, auditiones lepidæ, seu festiuæ.

Pag. 100. b. ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος esse, i. tanquam pro Ctesiphonte.

Pag. 107. a. ὑμεῖς γὰρ κακόζηλοι, i. vos enim mali imitatores. At si legas εὔζηλοι, vt in quibusdam exēplarib. per ironiam intelligetur. Quin & ἰσχνοί, tenues, & qui dicendi genere tenui vtantur.

Pag. 117. b. κατὰ Μειδίου, aduersus Midiam.

Pag. 152. a. ἥδιστον ἄκουσμα, ἔπαινος, i. laus, est res auditu iucundissima. Ex Hierone Xenoph.

Pag. 119. a. Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός, in vno & eodem precio malus & bonus. Ex Hom. Iliad. ι.

Pag. 134. a. Οὐχ ὅσιον φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι, non est sāctum (hoc est, fas non est) aduersus homines mortuos insultare. Hom. Od χ.

Pag. 140. a. Ω γέρων, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί, ô senex, certè multū te premunt iuuenes bellatores. Hom. Iliad. θ. ver-

ba Diomedis ad Nestorem.

Pag.143.b. οὗτος δὴ Δημοσθένης, hic est ille Demosthenes.

Pag.144.a παράδοξα, quæ præter opinionem, aut quæ præter communem opinionẽ eueniunt.

Pag 145. Ἀμφὶ δ' ἐσάλπιγξε μέγας οὐρανός, &c. vndique insonuit vastum cœlum, in aëre autem hasta audiebatur. Ex Iliad. δ.

Ibid. b. ἄνθρωποι, &c. homines scelesti, & assentatores, & profligati.

Ibid. οὐ λίθοις, &c neque lapidibus, neque lateribus vrbem cinxi.

Ibid. οὐκ ἐκ μὲν, &c nec ex mari Eubœam Atticæ obieci. Ex Demosth. pro Ctesiph.

Ibid. ἐγὼ δ' οἶμαι, &c. Ego autem existimo, viri Athenienses, per Deos immortales, illum ex magnitudine rerum gestarum in temulentiam incidere. Demosth. 4. Philip.

Ibid. νόσημα γὰρ, morbus enim: initium est longissimæ narrationis pro Ctesiph.

Ibid. τότε ἐγὼ, &c. tum equidem insolenti Pythoni contra nos grauiter inuecto. Ex eadem orat. Ibid. b. ὅταν δ' ἐκ πλεονεξίας, &c. Cùm autem ex auaritia & prauitate vt iste potens sit, prima occasio, & paruus casus omnia impediunt, & destruxit. Ex 1. Olynth.

Ibid. ἀπειλημμένος, &c. illigatus omnibus ciuitatis iuribus.

Ibid. σὺ τὸν εἰς, &c. tu miserationem ad horum induxisti Aristogiton? quin potius omnino sustulisti: itaque eos portus ne re-

neas, ad quos captus es, ac ex nauigatione appulisti.

Ibid. δὲ δοίκα μὴ, &c. Vereor ne quibusdã videamini imbuere hominem, qui semper in ciuitate velit esse improbus: nam quicũque improbus, ex se imbecillus est.

Ibid. τούτῳ δ' οὐδένα, &c. huic nullum peruium locum esse video, sed præcipitia, confragosa loca, & barathra omnia.

Ibid. οὐδὲ γὰρ τοὺς, &c. nec verò existimo maiores hæc iudicia primùm instituisse, vt id genus homines in iisdem efferretis, sed contra vt propulsaretis, & puniretis, & nemo esset qui vitium consectaretur, aut appeteret.

Ibid. εἰ δὲ καπηλός, &c. si autem improbitatis artifex est ac institor, & rebus permutandis intentus.

Ibid. θαύματα, admirationes, seu miracula.

Ibid. ῥήματα, voces: vt apud Horat. verba & voces.

Ibid. χρὴ γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ αὐτὸ, &c. lex enim idem debet ac orator exprimere, cùm autem vocem aliam lex profert, aliam orator; æquitati legis suffragari oportet, non dicentis impudentiæ.

Ibid. ἔπειτα ἀναφαίνεται, &c. deinde omnia quæ in decreto continentur, indicat, cùm ita sentiens expresserit legatos Oretanos, quinque talenta non nobis, sed Calliæ numerasse. Me autem vera dicere apparatu etiam ac triremibus arrogantiáque ex decreto dempta, recita.

Pag. 146. a. καὶ μὴ ἐᾶτε, neque permittatis

circa orationem, quæ ad præuaricatorem pertinet, vagari.

Ibid. ἀλλὰ ἐγκαθήμενοι, &c. verùm sedendo, & in concione assidendo, in orationem de præuaricatore eum impellite, & mutationem eius verborum obseruate.

Ibid. b. σὺ δ' ἑλκοποιεῖς, &c. tu autem vulnera infligis, & maiorem curam agis quotidianarum orationum, quàm salutis ciuitatis.

Ibid. οὐκ ἀποτίμψεσθε, &c. nónne hominem reiicietis, tanquam communem Græciæ pestem; vel comprehensum, quasi reum prædonem, per ipsam Rempubl. nauigantem punietis? Ex orat. pro Ctes.

Pag. 153. a. νόμον μεμφιτικοῦ, præfecturæ Memphiticæ.

Pag. 158. b. ὑπὲρ Μαλέαν, supra, vel vltra Maleam.

Pag. 170. b. θρεπτοὺς, alumnos: quamquam in aliis leg. ἐκθέτους, i. expositos.

Pag. 181. b. εἰσέλασαν, inuecti sunt: & in proximè sequenti epistola, εἰσέλασεν, inuectus est, sed non simpliciter, at inuectus equo.

NOMENCLATOR EORVM AD QVOS Plinius epistolas scripsit.

Primus numerus epistolam; secundus, librum; tertius paginam indicat.

RERVM ET VERBORVM INSIGNIVM QVÆ in Epistolis Plinij continentur, INDEX.

B

C

Capillos

K

L

N.

Q

S

Finis Indicis epistolarum.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPISTOLARVM

LIBER PRIMVS.

C. PLIN. SECVNDVS SEPTITIO SVO S. I

FRequenter hortatus es vt epistolas, siquas paulò accuratiùs scripsissem, colligerem publicarémque. Collegi, non seruato temporis ordine: (neque enim historiam componebam) sed vt quæque in manus venerat. Superest vt nec te consilij, nec me pœniteat obsequij. Ita enim fiet vt eas quæ adhuc neglectæ iacent requiram: &, siquas addidero, non supprimam. Vale.

C. PL. ARRIANO SVO. 2

QVIA tardiorem aduentum tuum prospicio, librum quem prioribus epistolis miseram, exhibeo. Hunc rogo ex consuetudine tua & legas & emẽdes: eo magis, quòd

nihil antè peræquè eodémque ſtylo ſcripſiſſe videor. tentaui enim imitari Demoſthenē ſemper tuum, Caluum, nuper meum, duntaxat figuris orationis. Nam vim tantorum verborum pauci quos æquus amauit, aſſequi poſſunt. Nec materia ipſa huic (vereor ne improbè dicam) æmulationi repugnauit. Erat enim propè tota in contentione dicendi. quod me longæ deſidiæ indormientem excitauit, ſi modò is ſum ego qui excitari poſſim. Non tamen omnino Marci noſtri τὰς λημύθους fugimus, quoties paululum itinere decedere non intempeſtiuis amœnitatibus admonebamur. acres enim eſſe, non triſtes, volebamus. Nec eſt quòd putes me ſub hac exceptione veniam poſtulare. immò quò magis intendam limam tuam, confitebor & ipſum me & contubernales ab editione non abhorrere: ſi modò tu fortaſſe errori noſtro album calculum adieceris. Eſt enim planè aliquid edendum, atque vtinam hoc potiſſimum, quod paratum eſt (audis deſidiæ votū) edendum autem ex pluribus cauſis: maximè quòd libelli quos emiſimus, dicuntur in manibus eſſe, quāuis iam gratiā nouitatis exuerint, niſi tamen auribus noſtris bibliopolæ blandiuntur. Sed ſanè blandiantur, dum per hoc mendacium nobis ſtudia noſtra commendent. Vale.

C. PLINIVS CANINIO RVFO SVO S. 3

QVid agit Comum, tuæ meæque deliciæ? quid ſuburbanum amœniſſimum? quid

illa Porticus verna semper? Quid πλατανὼν opacissimus? quid Euripus viridis & gẽmeus? quid subiectus & seruiẽs lacus? quid illa mollis & tamen solida gestatio? quid balineum illud, quod plurimus sol implet & circumit? quid triclinia illa popularia? quid illa paucorum? quid cubicula diurna nocturnáque? possidéntne te, & per vices partiuntur? An, vt solebas, intentione rei familiaris obeundæ, crebris excursionibus auocaris? si te possident, felix beatúsque es: sin minus, vnus ex multis. Quin tu (tempus est enim) humiles & sordidas curas aliis mandas? & ipse te in alto isto pinguíque secessu studiis adseris? Hoc sit negotiũ tuum, hoc otium, hic labor, hæc quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponatur. Effinge aliquid & excude, quod sit perpetuò tuum. nam reliqua rerum tuarum post te aliũ atque alium dominum sortientur: hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cœperit. Scio quem animum, quod horter ingeniũ: tu modò enitere vt tibi ipse sis tanti, quanti videberis aliis, si tibi fueris. Vale.

C. PLINIVS POMPEIAE CELERINAE SOCRVI S. 4

QVantum copiarum in Ocriculano, in Narniensi, in Carsulano, in Perusino tuo, in Narniensi verò etiam balineum, ex epistolis meis (nam iam tuis opus non est) vna illa breuis & vetus sufficit. Non, mehercule, tam mea sunt quæ mea sunt, quàm quæ tua. hoc tamẽ differunt, quòd solicitiùs & inten-

tiùs tui me quàm mei excipiunt. Idem fortasse eueniet tibi, si quando in nostra diuerteris. quod velim facias: primùm vt perinde nostris rebus, ac nos tuis, perfruaris: deinde, vt mei expergiscantur aliquando, qui me securè ac propè negligenter expectant. Nam mitium dominorum apud seruos ipsa consuetudine metus exolescit, nouitatibus excitantur, probaríq; dominis per alios magis quàm per ipsos laborant. Vale.

C. PLINIVS VOCONIO ROMANO SVO S. 5

VIdistíne quenquam Mar. Regulo timidiorem humiliorémque post Domitiani mortem? sub quo non minora flagitia commiserat quàm sub Nerone, sed tectiora. Cœpit vereri ne sibi irascerer. nec fallebatur: irascebar. Rustici Aruleni periculum fouerat, exultauerat morte: adeo vt librum recitaret publicarétque, in quo Rusticum insectatur, atque etiam Stoicorum simiam appellat. Adiicit, Vitelliana cicatrice stigmosum. Agnoscis eloquentiam Reguli? lacerat Herennium Senecionem tam intemperanter quidem, vt dixerit ei Metius Carus, Quid tibi cum meis mortuis? nunquid ego aut Crasso aut Camerino molestus sum? quos ille sub Nerone accusauerat. Hæc me Regulus dolenter tulisse credebat: ideóque etiam quum recitaret librum, non adhibuerat. Præterea reminiscebatur quàm capitaliter ipsum me apud centumuiros lacessisset. Aderam Arrionillæ Timo-

nis vxori, rogatu Aruleni Rustici. Regulus contrà. Nitebamur nos in parte causæ sententia Metti Modesti, optimi viri: is tunc in exilio erat à Domitiano relegatus. Ecce tibi Regulus, Quæro (inquit) Secunde, quid de Modesto sentias. Vides quod periculum, si respondissem, bene: quod flagitium, si malè. Nō possum dicere aliud tunc mihi quàm deos adfuisse. Respondebo, inquam, quid sentiam, si de hoc centumuiri iudicaturi sunt. Rursus ille, Quæro quid de Modesto sentias. Iterum ego, Solebant testes in reos, non in damnatos, interrogari. Tertiò ille, Non iam quid de Modesto, sed quid de pietate Modesti sentias quęro. Quæris, inquam, quid sentiam? At ego ne interrogare quidem fas puto de quo pronuntiatum est. Conticuit: me laus & gratulatio sequuta est, quòd nec famam meam aliquo responso, vtili fortasse, inhonesto tamen, læseram: nec me laqueis tam insidiosæ interrogationis inuolueram. Nunc ergo conscientia exterritus apprehēdit Cæcilium Celerem: mox Fabium Iustum rogat vt me sibi reconcilient. Nec contentus peruenit ad Spurinnam. huic suppliciter (vt est quum timet, abiectissimus) Rogo manè videas Plinium domi: sed planè manè (neque enim diutiùs ferre solicitudinem possum) & quóquo modo efficias ne mihi irascatur. Euigilaueram. Nuntius à Spurinna, Venio ad te. Imò ego ad te. Coimus in porticum Liuiæ. Quum alter ad alterum tenderemus, exponit Reguli mandata, addit preces suas, vt decebat optimum virum pro dissimillimo, Parce. Cui ego, Dispicies ipse quid renuntiandum Regulo.

putes. te decipi à me non oportet. Expecto Mauricum (nondum enim ab exilio venerat) ideo nihil alterutram in partem respondere tibi possum, facturus quicquid ille decreuerit. Illum enim esse huius consilij ducem, me comitem, decet. Paucos post dies ipse me Regulus conuenit in prætoris officio: illuc me persequutus, secretum petit. Ait timere se ne animo meo penitus hæreret quod in centũuirali iudicio aliquando dixisset, quum respõderet mihi & Satrio Rufo, Satrius Rufus, cui est cum Cicerone æmulatio, & qui contentus non est eloquentia sæculi nostri. Respõdi, nunc me intelligere malignè dictum, quia ipse confiteretur, cæterùm potuisse honorificum existimari. Est enim, inquam, mihi cum Cicerone æmulatio, nec sum contentus eloquentia sęculi nostri. Nam stultissimũ credo, ad imitandum non optima quæque proponere. Sed tu, qui huius iudicij meministi, cur illius oblitus es in quo me interrogasti quid de Metij Modesti pietate sentirem? Expalluit notabiliter, quamuis palleat semper. Hæsitabundus, inquit, interrogaui, non vt tibi nocerem, sed vt Modesto. Vide hominis crudelitatem, qui se non dissimulet exuli nocere voluisse. Subiunxit egregiam causam. Scripsit, inquit, in epistola quadam quæ apud Domitianum recitata est, Regulus omnium bipedum nequissimus. quod quidem Modestus verissimè scripserat. Hic ferè nobis sermonis terminus. neque enim volui progredi longiùs, vt mihi omnia libera seruarem dum Mauricus venit. Nec me præterit esse Regulũ δυσκαθαίρετον, est enim locuples, factiosus,

curatur à multis, timetur à pluribus, quod plerunque fortius amore est. potest tamen fieri vt hæc concussa labátur. nam gratia malorum tam infida est quàm ipsi. Verùm, vt idem sæpius dicam, expecto Mauricum. vir est grauis, prudens, multis experimentis eruditus, & qui futura possit ex præteritis prouidere: mihi & tentandi aliquid & quiescendi illo autore ratio constabit. Hæc tibi scripsi, quia æquum erat te pro amore mutuo non solùm omnia mea facta dictáque, verùmetiã consilia cognoscere. Vale.

C. PLIN. CORNELIO TACITO SVO S. 6

RIdebis, & licèt rideas. Ego Plinius ille quem nosti, apros tres, & quidem pulcherrimos, cepi. Ipse? inquis. Ipse: non tamen vt omnino ab inertia mea & quiete discederem, ad retia sedebam: erant in proximo, non venabulum aut lancea, sed stylus & pugillares. meditabar aliquid enotabámque, vt si manus vacuas, plenas tamẽ ceras reportarem. Non est quòd contemnas hoc studendi genus. Mirum est vt animus à cogitatione motúque corporis excitetur. Iam vndique syluæ & solitudo, ipsúmque illud silentium quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde quum venabere, licebit, autore me, vt panarium & lagunculam, sic etiam pugillares feras: experieris non Dianam magis montibus quàm Mineruam inerrare. Vale.

C. PLIN. OCTAVIO RVFO SVO S. 7

VIde in quo me fastigio collocaris, quum mihi idem potestatis idémque regni dederis, quod Homerus Ioui opt. max.

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν

Nam ego quoque simili nutu ac renutu respondere voto tuo possum. Etenim sicut fas est mihi, præsertim te exigente, excusare Bęticis contra vnum hominem aduocationem: ita nec fidei nostræ, nec constantiæ quam diligis, conuenit, adesse contra prouinciam quã tot officiis, tot laboribus; tot etiam periculis meis aliquando deuinxerim. Tenebo ergo hoc temperamentum, vt ex duobus, quorum alterutrum petis, eligam id potiùs in quo nõ solùm studio tuo, verumetiam iudicio satisfaciam. Neque etiam tantopere mihi considerandum est quid vir optimus in præsentia velis, quàm quid semper sis probaturus. Me circa idus Octobres spero Romæ futurum, eadémque hæc præsentem quoque tua meáque fide Gallo confirmaturum: cui tamen nunc iam licet spondeas de animo meo,

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.

Cur enim non vsquequaque Homericis versibus agam tecum? quatenus tu me tuis agere non pateris: quorum tanta cupiditate ardeo, vt videar mihi hac sola mercede posse corrũpi, vt vel contra Bæticos adsim. Penè præterij quod minimè prætereundum fuit, accepisse

me careotas optimas, quæ nunc cum ficis & boletis certandum habent. Vale.

C. PLIN. POMPEIO SATVRNINO SVO S. 8

PEropportunè mihi redditæ sunt literæ tuæ, quibus flagitabas vt tibi aliquid ex scriptis meis mitterem, quum ego idipsum destinassem. Addidisti ergo calcaria sponte currenti, paritérque & tibi veniam recusandi laboris, & mihi exigendi verecundiam sustulisti. Nā nec me timidè vti decet eo quod oblatum est: nec te grauari quod depoposcisti. non est tamen quòd ab homine desidioso aliquid noui operis expectes. Petiturus sum enim vt rursus vaces sermoni quē apud municipes meos habui, bibliothecam dedicaturus. Memini quidem te iam quædam adnotasse, sed generaliter. ideo nunc rogo vt non tantùm vniuersitati eius attendas, verumetiā particulas qua soles lima persequaris. Erit enim & post emendationem liberum nobis vel publicare vel continere. Quinimò fortasse hanc ipsam cunctationem nostram in alterutram sententiam emendationis ratio deducet, quæ aut indignum editione, dum sæpius retractat, inueniet: aut dignum, dum idipsum experitur, efficiet. Quanquam huius cunctationis meæ causæ non tam in scriptis quàm in ipso materiæ genere consistunt. est enim paulo quasi gloriosius & elatius. Onerabit hoc modestiam nostram, etiamsi stylus ipse fuerat pressus demissúsque, propterea

quòd cogimur cùm de munificentia parentum nostrorum, tum de nostra disputare. Anceps hic & lubricus locus est, etiam quum illi necessitas lenocinetur. etenim si alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi solet, quàm difficile est obtinere ne molesta videatur oratio de se aut de suis disserentis? Nam cùm ipsi honestati tum aliquanto magis gloriæ eius prædicationíque inuidemus: atque ea demum rectè facta minus detorquemus, & carpimus quæ in obscuritate & silentio reponuntur. Qua ex causa sæpe ipse mecum nobísne tantùm, quicquid illud est, composuisse, an & aliis debeamus, vt nobis. Admonet istud quoque, quòd pleraque quæ sunt agendæ rei necessaria, eadem peracta nec vtilitatem parem nec gratiam retinent. Ac ne longiùs exempla repetamus, quid vtilius fuit quàm munificentiæ rationem etiam stylo prosequi? Per hoc enim assequebamur, primùm vt honestis cogitationibus immoraremur: deinde vt pulchritudinem illarum longiore tractatu perspiceremus: postremò vt subitæ largitionis comitem pœnitentiam caueremus. Nascebatur ex his exercitatio quædam contemnendæ pecuniæ. nam quum omnes homines ad custodiam eius natura restrinxerit, nos contrà multum ac diu pensitatus amor liberalitatis communibus auaritiæ vinculis eximebat: tantóque laudabilior munificentia nostra fore videbatur, quòd ad illam non impetu quodam, sed consilio trahebamur. Accedebat his causis, quòd non ludos aut gladiatores, sed annuos sumptus in alimenta ingenuorum pollicebamur. Oculorum

porro & aurium voluptates adeo non egent commendatione vt non tam incitari debeant oratione quàm reprimi. Vt verò aliquis libenter educationis tædium laborémque suscipiat, non præmiis modò, verùm etiam exquisitis adhortationibus impetrandum est. Nam si medici salubres, sed voluptate carentes cibos blandioribus alloquiis prosequuntur, quanto magis decuit publicè consulétem vtilissimum munus, sed perinde non populare, comitate orationis inducere? Præsertim quum enitendum haberemus vt quod parentibus datur, & orbis probaretur, honorémque paucorum cæteri patienter expectarent & mererentur. Sed vt tunc communibus magis commodis quàm priuatæ iactantiæ studebamus, quum intentionem effectúmque muneris nostri vellemus intelligi: ita nunc in ratione edendi veremur ne fortè non aliorũ vtilitatibus, sed propriæ laudi seruisse videamur. Præterea meminimus, quanto maiore animo honestatis fructus in conscientia quàm in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti, debet: nec si casu aliqua non sequatur, idcirco quòd gloriam non meruit, minùs pulchrum est. Ij verò qui benefacta sua verbis adornant, non ideo prædicare quia fecerint, sed vt prædicarent fecisse creduntur. si quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente, vanescit. Homines enim quum rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt: ita si silenda feceris, factum ipsum: si laudanda, quòd non sileas, ipse culparis. me verò peculiaris quædam impedit ratio. Etenim hunc ipsum sermonem

non apud populum, sed apud decuriones habui: nec in propatulo, sed in curia. Vereor ergo vt sit satis congruens, quum in dicendo assentationem vulgi acclamationémque defugerim, nunc eadē illa editione sectari: quúmque plebem ipsam cui consulebatur, limine curiæ parietibúsque discreuerim, ne quam in speciem ambitionis inciderem, nūc eos etiam ad quos ex munere nostro nihil pertinet prę ter exemplum, velut obuia ostentatione conquirere. Habes cunctationis meæ causas: obsequar tamen consilio tuo, cuius mihi autoritas pro ratione sufficit. Vale.

C. PLIN. MINVTIO FVNDANO SVO S. 9.

Mirum est quàm singulis diebus in vrbe ratio aut constet aut constare videatur, pluribus cunctísque non constet. Nam si quem interroges, Hodie quid egisti? respondeat, Officio togæ virilis interfui, sponsalia aut nuptias frequentaui: ille me ad signandum testamentum, ille in aduocationem, ille in consilium rogauit. Hæc quo die feceris, necessaria: eadem, si quotidie fecisse te repu tes, inania videntur, multo magis quum secesseris. Tūnc enim subit recordatio, quot dies quàm frigidis rebus absumpsi. Quod euenit mihi postquam in Laurentino meo aut lego aliquid, aut scribo, aut etiam corpori vaco, cuius fulturis animus sustinetur. Nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse pœniteat. nemo me apud quen-

quam sinistris sermonibus carpit: neminem ipse reprehendo, nisi vnum me, quum parum commodè scribo: nulla spe, nullo timore solicitor, nullis rumoribus inquietor. Mecum tantùm & cum libellis loquor. O rectam syncerámque vitam! ô dulce otium, honestúmque, ac penè omni negotio pulchrius! ô mare! ô littus, verum secretúmque μουσεῖον, quàm multa inuenitis, quàm multa dictatis! Proinde tu quoque strepitum istum inanémque discursum, & multùm ineptos labores, vt primùm fuerit occasio, relinque, téque studiis vel otio trade. Satius est enim, vt Attilius noster eruditissimè simul & facetissimè dixit, otiosum esse quàm nihil agere. Vale.

C. PLIN. ATRIO CLEMENTI SVO S. 10

SI quando vrbs nostra liberalibus studiis floruit, nũc maximè floret, multa claráque exempla sunt. sufficerit vnum Euphrates philosophus. Hunc ego in Syria, quum adolescentulus militarem, penitus & domi inspexi, amaríque ab eo laboraui, etsi non erat laborandum. Est enim obuius & expositus, plenúsque humanitate quam præcipit. Atque vtinam sic ipse quam spem tunc ille de me concepit impleuerim, vt ille multum virtutibus suis addidit aut ego nunc illas miror, quia magis intelligo: quanquam ne nunc quidem satis intelligo. Vt enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex iudicare, ita nisi

ſapiens non poteſt perſpicere ſapientem. Quantum mihi tamen cernere datur, multa in Euphrate ſic eminent & elucẽt, vt mediocriter quoque doctos aduertant & afficiant. Diſputat ſubtiliter, grauiter, ornatè: frequenter etiam Platonicam illam ſublimitatem & latitudinem effingit. Sermo eſt copioſus & varius: dulcis inprimis, & qui repugnantes quoque ducat & impellat. Ad hoc, proceritas corporis, decora facies, demiſſus capillus, ingens & cana barba. Quæ licèt fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt. Nullus horror in vultu, nulla triſtitia, multum ſeueritatis: reuerearis, occurſum non reformides. Vitæ ſanctitas ſumma, comitas par; inſectatur vitia, non homines: nec caſtigat errantes, ſed emendat. Sequaris monentem attentus & pendens: & perſuadère tibi, etiam quum perſuaſerit, cupias. Iam verò liberi tres, duo mares, quos diligentiſſimè inſtituit. Socer Pompeius Iulianus, cùm cætera vita tum vel hoc vno magnus & clarus, quod ipſe prouinciæ princeps hunc inter altiſſimas conditiones generum non honoribus principem, ſed ſapientia elegit. Quanquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet? An vt magis angar? quod non licet. Nam diſtringor officio vt maximo, ſic moleſtiſſimo. Sedeo pro tribunali, ſubnoto libellos, conficio tabulas: ſcribo plurimas, ſed illiteratiſſimas literas. Soleo nonnunquam (nam idipſum quandoque contingit) de his occupationibus apud Euphratem queri. Ille me conſolatur: affirmat etiam eſſe hanc philoſophiæ, & quidem pulcherrimam

partē, agere negotium publicū, cognoſcere, iudicare, promere & exercere iuſtitiā, quæque ipſi doceant, in vſu habere. mihi tamen hoc vnum non perſuadet, ſatius eſſe iſta facere quàm cum illo dies totos audiendo diſcēdóque conſumere. Quo magis te, cui vacat, hortor, quum in vrbem proximè veneris (venias autem ob hoc maturiùs) illi te expoliendum limandúmque permittas. Neque enim ego, vt multi, inuideo aliis bonum quo ipſe careo: ſed contrà ſenſum quendam voluptatémque percipio, ſi ea quæ mihi denegantur, amicis video ſupereſſe. Vale.

C. PLIN. FABIO IVSTO SVO S. II

OLim nullas mihi epiſtolas mittis. Nihil eſt, inquis, quod ſcribam. At hoc ipſum ſcribe, nihil eſſe quod ſcribas: vel ſolum illud, vnde incipere priores ſolebant, Si vales, bene eſt, ego valeo. Hoc mihi ſufficit. eſt enim maximum. Ludere me putas. ſeriò peto. Fac ſciam quid agas: quod ſine ſolicitudine ſumma neſcire non poſſum. Vale.

C. PLIN. CALESTRIO TYRONI SVO S. 12

IActuram grauiſſimam feci, ſi iactura dicēda eſt tanti viri amiſſio: deceſſit Corellius Rufus, & quidem ſponte, quod dolorem meū exulcerat. Eſt enim luctuoſiſſimum genus

mortis, quæ non ex natura, nec fatalis videtur. Nam vtcumque in illis qui morbo finiũtur, magnum ex ipsa necessitate solatium est: in iis verò quos accersita mors aufert, hic insanabilis dolor est, quòd creduntur potuisse diu viuere. Corellium quidem summa ratio, quæ sapientibus pro necessitate est, ad hoc consilium compulit: quanquam plurimas viuendi causas habentem, optimam conscientiam, optimam famam, maximam autoritatem: præterea filiam, vxorem, nepotem, sorores, intérque tot pignora, veros amicos. Sed tam longa, tam iniqua valetudine conflictabatur, vt hæc tanta pretia viuendi mortis rationibus vincerentur. Tertio & tricesimo anno (vt ipsum prædicantem audiebam) pedum dolore correptus est. Patrius hic illi. nam plerunque morbi quoque per successiones quasdam, vt alia, traduntur. Hunc abstinentia, sanctitate, quoad viridis ætas, vicit & fregit. nouissimè cum senectute ingrauescentem, viribus animi sustinebat. Quum quidem incredibiles cruciatus & indignissima tormẽta pateretur (iam enim dolor non pedibus solis, vt priùs, insidebat, sed omnia membra peruagabatur) veni ad eum Domitiani temporibus, in suburbano iacentem. Serui è cubiculo recesserunt. habebat enim hoc moris, quoties intrasset fidelior amicus: quinetiam vxor (quanquam omnis secreti capacissima) digrediebatur. Circumtulit oculos, &, Cur (inquit) me putas hos tantos dolores tamdiu sustinere? vt scilicet isti latroni vel vno die superstim. Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat. Affuit tamen Deus voto,

cuius ille cōpos, vt iam securus liberque moriturus, multa illa vitæ, sed minora, retinacula abrupit. Increuerat valetudo, quam temperantia mitigare tentauit, perseuerantem constantia fugit. Iam dies alter, tertius, quartus, abstinebat cibo. misit ad me vxor eius Hispulla communem amicum C. Geminium cū tristissimo nuncio, destinasse Corelium mori: nec aut suis aut filiæ precibus flecti, solum superesse me, à quo reuocari posset ad vitam. Cucurri: perueneram in proximum, quum mihi ab eadem Hispulla Iulius Atticus nuntiat, nihil iam ne me quidem impetraturum: tam obstinatè magis ac magis induruisse. Dixerat sanè medico admouenti cibū, Κέκρικα. quæ vox quantum admirationis in animo meo, tantum desiderij reliquit. Cogito quo amico, quo viro caream. Impleuit quidem annum septimum & sexagesimum, quæ ætas etiam robustissimis satis longa est. Scio, euasit perpetuam valetudinem: scio, decessit superstitibus suis, florente repub. quę illi omnibus suis charior erat: & hoc scio. ego tamen, tanquā & iuuenis & fortissimi morte doleo: doleo autē, licèt me imbecillum putes, meo nomine. amisi enim, amisi vitæ meæ testem, rectorem, magistrum. in summa dicam quod recenti dolore contubernali meo Caluisio dixi, Vereor ne negligentiùs viuam. Proinde adhibe solatia mihi: non hæc, Senex erat, Infirmus erat (hæc enim noui) sed noua aliqua, sed magna, quæ audierim nunquam, legerim nunquam. Nam quæ audiui, quę legi sponte succurrunt, sed tanto dolore superantur. Vale.

C. PLIN. SOSIO SENECIONI SVO S. 13

MAgnum prouentum poëtarum annus hic attulit. Toto mense Aprili nullus ferè dies quo non recitaret aliquis. Iuuat me quòd vigent studia, proferunt se ingenia hominum & ostentant: tametsi ad audiendum pigrè coitur. plerique in stationibus sedent, tempúsque audiendis fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari iubent an iam recitator intrauerit, an dixerit præfationem, an ex magna parte euoluerit librum: tum demum, ac tunc quoque lentè cunctantérque veniunt: nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alij dissimulanter & furtim, alij simpliciter & liberè. At hercule memoria parentum Claudium Cæsarem ferunt, quum in palatio spatiaretur, audissétque clamorem, causam requisisse: qúmque dictũ esset recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatúmque venisse. Nunc otiosissimus quisque multo antè rogatus, & identidem admonitus aut non venit, aut, si venit, queritur se diem, quia non perdiderit, perdidisse. Sed tanto magis laudãdi probandíque sunt quos à scribendi recitandíque studio hæc auditorum vel desidia vel superbia non retardat. Equidem propè nemini defui. Erant sanè plerique amici. neque enim est ferè quisquam qui studia, vt non simul & nos amet. His ex causis longiùs quàm destinaueram, tempus in vrbe consumpsi. Possum iam repetere secessum, & scribere aliquid quod non recitem, ne videar, quorum

recitationibus affui,nō auditor fuisse,sed creditor. Nam vt in cæteris rebus,ita in audiendi officio perit gratia si reposcatur. Vale.

C. PLIN. IVNIO MAVRICO SVO S. 14

PEtis vt fratris tui filię prospiciam maritū: quod meritò mihi potissimùm iniungis. scis enim quantopere summum illum virum suspexerim dilexerímque,quibus ille adolescentiam meam exhortationibus fouerit,quibus etiam laudibus vt laudandus viderer effecerit. Nihil est quod à te mādari mihi aut maius aut gratius, nihil quod honestius à me suscipi possit, quàm vt eligam iuuenē ex quo nasci nepotes Aruleno Rustico deceat. qui quidem diu quærendus fuisset, nisi paratus & quasi prouisus esset Minutius Acilianus, qui me vt iuuenis iuuenem (est enim minor pauculis annis) familiarissimè diligit, reueretur vt senem.nam ita à me formari & institui cupit vt ego à vobis solebam. Patria est ei Brixia,ex illa nostra Italia, quæ multum adhuc verecundiæ,frugalitatis,atque etiam rusticitatis antiquę retinet ac seruat. Pater Minutius Macrinus,equestris ordinis princeps,quia nihil altius voluit, allectus à Diuo Vespasiano inter prætorios, honestam quietem huic nostræ,ambitioni dicam an dignitati? constantissimè prætulit. Habet auiam maternam Serranam Proculam,è municipio Patauino. nosti loci mores. Serrana tamen Patauinis quoque seueritatis exemplum est. Contigit &

auunculus ei P. Acilius, grauitate, prudentia, fide propè singulari. In summa, nihil erit in domo tota quod non tibi tanquam in tua placeat. Aciliano verò ipsi plurimum vigoris & industriæ: quanquam in maxima verecundia quæsturam, tribunatum, præturam honestissimè percurrit, ac iam pro se tibi necessitatem ambiendi remisit. Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa: est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam senatorius decor: quæ ego nequaquam arbitror negligenda. debet enim hoc castitati puellarum quasi pręmium dari Nescio an adiiciam esse patri eius amplas facultates. nam quum imaginor vos quibus quærimus generum, silendum de facultatibus puto: quum publicos mores, atque etiam leges ciuitatis intueor, quæ vel in primis sensus hominum spectandos arbitrantur, ne id quidem prætereundum videtur. & sanè de posteris, & his pluribus, cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus. Tu fortasse me putes indulsisse amori meo, supráque ista quàm res patitur sustulisse: at ego fide mea spondeo futurum vt omnia lõgè ampliora quàm à me prædicantur, inuenias. Diligo quidem adolescentem ardentissimè, sicut meretur. Sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus. Vale.

C. PLIN. SEPTITIO CLARO SVO S. 15

HEus tu promittis ad cœnam, nec venis. dicitur ius, ad assem impendium reddes, nec id modicum, paratæ erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, oua bina, alica cum mulso & niue. (nam hanc quoque computabis, immò hanc in primis quæ perit in ferculo) oliuæ Bæticæ, cucurbitæ, bulbi, alia mille non minùs lauta. Audisses comœdum, vel lectorem, vel lyristen, vel, quæ mea liberalitas, omnes. at tu apud nescio quem, ostrea, vuluas, echinos, Gaditana maluisti. Dabis pœnas, non dico quas. durè fecisti. inuidisti nescio an tibi, certè mihi, sed tamē & tibi. Quātum nos lusissemus, risissemus, studuissemus. Potes apparatus cœnare apud multos: nusquā hilariùs. simpliciùs, incautiùs: in summa, experire. Et nisi postea te aliis potius excusaueris, mihi semper excusa. Vale.

C. PLINIVS EVRICIO SVO S. 16

AMabam Pompeium Saturninum, hunc dico nostrum: laudabámque eius ingenium, etiam antequam scirem quàm varium, quàm flexibile, quàm multiplex esset: nūc verò totum me tenet, habet, possidétque. Audiui causas agentē acriter & ardenter, nec minus politè & ornatè, siue meditata, siue subita proferet. Adsunt aptæ crebræque sententiæ, grauis & decora constructio, sonantia verba & antiqua. Omnia hęc mirè placent: cū impetu quodam & fulmine prævehūtur: pla-

auunculus ei P. Acilius, grauitate, prudentia, fide propè singulari. In summa, nihil erit in domo tota quod non tibi tanquam in tua placeat. Aciliano verò ipsi plurimum vigoris & industriæ: quanquam in maxima verecundia quæsturam, tribunatum, præturam honestissimè percurrit, ac iam pro se tibi necessitatem ambiendi remisit. Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa: est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam senatorius decor: quæ ego nequaquam arbitror negligenda. debet enim hoc castitati puellarum quasi pręmium dari Nescio an adiiciam esse patri eius amplas facultates. nam quum imaginor vos quibus quærimus generum, silendum de facultatibus puto: quum publicos mores, atque etiam leges ciuitatis intueor, quæ vel in primis sensus hominum spectandos arbitrantur, ne id quidem prætereundum videtur. & sanè de posteris, & his pluribus, cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus. Tu fortasse me putes indulsisse amori meo, supráque ista quàm res patitur sustulisse: at ego fide mea spondeo futurum vt omnia lõgè ampliora quàm à me prædicantur, inuenias. Diligo quidem adolescentem ardentissimè, sicut meretur. Sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus. Vale.

C. PLIN. SEPTITIO CLARO SVO S. 15

HEus tu promittis ad cœnam, nec venis. dicitur ius, ad aſſem impendium reddes, nec id modicum, paratæ erant lactucæ ſingulæ, cochleæ ternæ, oua bina, alica cum mulſo & niue. (nam hanc quoque computabis, immò hanc in primis quæ perit in ferculo) oliuæ Bæticæ, cucurbitæ, bulbi, alia mille non minùs lauta. Audiſſes comœdum, vel lectorem, vel lyriſten, vel, quæ mea liberalitas, omnes. at tu apud neſcio quem, oſtrea, vuluas, echinos, Gaditana maluiſti. Dabis pœnas, non dico quas. durè feciſti. inuidiſti neſcio an tibi, certè mihi, ſed tamẽ & tibi. Quãtum nos luſiſſemus, riſiſſemus, ſtuduiſſemus. Potes apparatus cœnare apud multos: nuſquã hilariùs. ſimpliciùs, incautiùs: in ſumma, experire. Et niſi poſtea te aliis potius excuſaueris, mihi ſemper excuſa. Vale.

C. PLINIVS EVRICIO SVO S. 16.

AMabam Pompeium Saturninum, hunc dico noſtrum: laudabámque eius ingenium, etiam antequam ſcirem quàm varium, quàm flexibile, quàm multiplex eſſet: nũc verò totum me tenet, habet, poſſidétque. Audiui cauſas agentẽ acriter & ardenter, nec minus politè & ornatè, ſiue meditata, ſiue ſubita proferet. Adſunt aptæ crebræque ſententiæ, grauis & decora conſtructio, ſonantia verba & antiqua. Omnia hęc mirè placent: cũ impetu quodam & fulmine præuehũtur: pla-

cent si retractentur. Senties quod ego, quum orationes eius in manus sumpseris, quas facilè cuilibet veterum, quorum est æmulus, comparabis. Idem tamen in historia tibi magis satisfaciet vel breuitate, vel luce, vel suauitate, vel splendore, etiam & sublimitate narrandi. Nam in concionibus eadem quæ in orationibus vis est: pressior tamen, & circunscriptior, & adductior. Præterea facit versus quales Catullus meus aut Caluus: quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris inserit: sanè sed data opera molliusculos leuiusculósque, duriusculos quosdam: & hoc, quasi Catullus meus aut Caluus. Legit mihi nuper epistolas quas vxoris esse dicebat. Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi: quæ siue vxoris sunt, vt affirmat, siue ipsius, vt negat, pari gloria dignus est qui aut illa componat, aut vxorem quam virginem accepit, tam doctam politámque reddiderit. Est ergo mecum per diem totum: eundem antequam scribam, eundem quum scripsi, eundem etiam quum remittor, non tanquam eundem lego. Quod te quoque vt facias & hortor & moneo. neque enim debet operibus eius obesse quòd viuit. An si inter eos quos nunquam vidimus, floruisset, non solùm libros eius, verumetiam imagines conquireremus: eiusdem nunc honor præsentis & gratia quasi satietate languescet? At hoc prauum malignúmque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloloqui, audire, complecti: nec laudare tantùm, verumetiam amare contingit. Vale.

C. PLIN. CORN. TITIA-NO SVO S. 17

EST adhuc curę hominibus fides & officiũ: ſunt qui defunctorum quoque amicos agant. Titinius Capito ab Imperatore noſtro impetrauit vt ſibi liceret ſtatuam L. Syllani in foro ponere. Pulchrum & magna laude dignũ, amicitia principis in hoc vti, quantúmque gratia valeas aliorum honoribus experiri. Eſt omnino Capitoni in vſu claros colere. mirum eſt qua religione, quo ſtudio imagines Brutorum, Caſſiorum, Catonum domi, vbi poteſt, habeat. Idem clariſſimi cuiuſque vitam egregiis carminibus exornat. Scias ipſum plurimis virtutibus abundare, qui alienas ſic amat. Redditus eſt L. Syllano debitus honor, cuius immortalitati Capito proſpexit pariter & ſuæ. neque enim magis decorum & inſigne eſt, ſtatuam in foro populi Romani habere quàm ponere. Vale.

C. PLIN. TRANQVILLO SVO S. 18

SCribis te perterritum ſomnio, vereri nequid aduerſi in actione patiaris: rogas vt dilationem petam, & pauculos dies, certè proximum excuſem difficile eſt, ſed experiar.

-- καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

Refert tamen, euentura ſoleas an contraria ſolemniare, Mihi reputanti ſomniũ meum,

istud quod times tu, egregiam actionem portendere videtur. Susceperam causam Iulij Pastoris, quum mihi quiescenti visa est socrus mea aduoluta genibus, ne agerem obsecrare. Et eram acturus adolescentulus adhuc: eram in quadruplici iudicio: eram cōtra potentissimos ciuitatis, atque etiam Cæsaris, amicos: quæ singula excutere mentem mihi post tam triste somniū poterāt. Egi tamē λογισάμενος illud,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Nam mihi patria (etsi quid charius patria?) fides videbatur. Prosperè cessit: atque ideo illa actio mihi aures hominum, illa ianuam famę patefecit. proinde dispice an tu quoque sub hoc exemplo somnium istud in bonum vertas: aut, si tutius putas, illud cautissimi cuiusque præceptum, Quòd dubitas ne feceris, idipsum rescribe. Ego aliquam stropham inueniam, agámque causam tuam, vt ipsam agere, quum tu voles, possis. Est enim sanè alia ratio tua, alia mea fuit: nam iudicium cētumuirale differri nullo modo, istud ægrè quidem, sed tamen potest. Vale.

C. PL. ROMANO FIRMO SVO S. 19

MVniceps tuus, & condiscipulus, & ab ineunte ętate contubernalis: pater tuus & matri & auunculo meo, mihi etiam, quantum ætatis diuersitas passa est, familiaris: magnæ & graues causæ, cur suscipere & augere dignitatem tuam debeam. Esse autem tibi centum millium censum satis indicat quòd apud

apud nos decurio es. Igitur, vt te non decurione solùm, verumetiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates ccc. millia nummûm. Te memorē huius muneris amicitiæ nostræ diuturnitas spondet: ego ne illud quidem admoneo, quod admonere deberem, nisi te scirē spōte facturum, vt dignitate à me data, quàm modestissimè, vt à me data, vtare. Nam solicitiùs custodiendus est honor, in quo etiam beneficium amici tuendum est. Vale.

C. PLIN. COR. TACITO SVO S. 20

FRequēs mihi disputatió est cum quodam docto homine & perito, cui nihil æquē in causis agendis vt breuitas placet: quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat, alioqui præuaricatio est transire dicenda, præuaricatio etiam, cursim & breuiter attingere quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda: nam plerisque longiore tractu vis quædā & pondus accedit. Vtque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis quàm mora imprimitur. Hic ille mecum autoritatibus agit, ac mihi ex Græcis orationes Lysiæ ostentat, ex nostris, Gracchorū Catonísque, quorum sanè plurimæ sunt circuncisæ & breues: ego Lysiæ Demosthenem, Aeschinem, Hyperidem, multósque præterea Gracchis, & Catoni, Pollionem, Cæsarem, Cęlium, in primis Marcum Tullium oppono, cuius oratio optima fertur esse quæ maxima. Et hercule, vt aliæ bonæ res, ita bonus liber melior est

quisque quo maior. Vides vt statuas, signa, picturas, hominum denique, multorúmque animalium form[illegible], arborum etiam, si modò sint decor[illegible] nihil magis quàm amplitudo cõmendet: idem orationibus euenit; quinetiam voluminibus ipsis autoritatem quandam & pulchritudinem adiicit magnitudo. Hæc ille, multáque alia quæ à me in eandem sententiam solent dici, vt est in disputando incomprehensibilis & lubricus, ita eludit vt contẽdat, hos ipsos quorũ orationibus nitar, pauciora dixisse quàm ediderint. ego cõtrà puto. Testes sunt, multæ multorum orationes, & Ciceronis pro Murena, pro Vareno: in quibus breuis & nuda quasi subscriptio quorundam criminum solis titulis indicatur. Ex his apparet, illum permulta dixisse; quum ederet, omisisse. Idem pro Cluentio ait se totam causam veteri instituto solùm perorasse, & pro Cornelio quatriduo egisse: ne dubitare possimus, quæ per plures dies, vt necesse erat, latiùs dixerit, postea recisa ac purgata in vnum librũ, grandem quidem, vnum tamen, coarctasse. At aliud est actio bona, aliud oratio. Scio nonnullis ita videri, sed ego (forsitan fallar) persuasũ habeo, posse fieri vt sit actio bona quæ non sit bona oratio. est enim oratio actionis exemplar, & quasi ἀρχέτυπον. Ideo in optima quaque mille figuras extemporales inuenimus. in his etiam, quas tantùm editas scimus, vt in Verrem, Artificem, quémnam? rectè admones. Polycletum esse dicebant. Sequitur ergo vt actio sit absolutissima, quæ maximè orationis similitudinem expresserit, si modò iustum & debitum tempus accipiat: quòd si

negetur, nulla orationis, maxima iudicis culpa est. Adsunt huic opinioni meæ leges, quæ longissima tempora largiuntur, nec breuitatem dicentibus, sed copiam, hoc est diligentiam, suadent: quam præstare nisi in angustissimis causis non potest breuitas. Adiiciam quod me docuit vsus, magister egregius, frequenter egi, frequenter iudicaui, frequenter in consilio fui; aliud alios mouet: ac plerunque paruæ res maximas trahunt. varia sunt hominum iudicia, variæ voluntates: inde qui eandem causam simul audierunt, sæpe diuersum, interdũ idem, sed ex diuersis animi motibus sentiunt. Præterea suæ quisque inuẽtioni fauet, & quasi fortissimum complectitur, quum ab alio dictum est quod ipse præuidit. Omnibus ergo dandum est aliquid quod teneant, quod agnoscant. Dixit aliquando mihi Regulus, quum simul adessemus, Tu omnia quæ sunt in causa putas exequenda: ego iugulum statim video, hunc premo (premit sanè quod eligit, sed in eligendo frequenter errat.) Respondi, posse fieri vt genu esset aut tibia, aut talus, vbi ille iugulum putaret. At ego (inquam) qui iugulum perspicere non possum, omnia pertento, omnia experior, πάντα denique λίθον κινῶ. Vtque in agricultura non vineas tantùm, verumetiam arbusta, nec arbusta tantùm, verumetiam campos curo & exerceo: vtque in ipsis campis non far aut siliginem solam, sed ordeum, fabam, cæteráque legumina sero: sic in actione plura quasi semina latiùs spargo, vt quæ prouenerint colligam. Neque enim minus imperspicua, incerta, fallaciáque sunt iudicum inge-

nia, quàm tempestatum terrarúmque. Nec me præterit summum oratorem Periclem sic à comico Eupolide laudari,

—πρὸς δέ γ' αὖ τούτῳ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν.
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Verùm huic ipsi Pericli nec illa πειθὼ, nec illud ἐκήλει breuitate, vel velocitate, vel vtraque (differunt enim) sine facultate summa cõtigisset. nam delectare, persuadere, copiam dicendi spatiúmque desiderant: relinquere verò aculeum in audientium animis is demum potest qui non pungit, sed infigit. Adde quæ æquè de eodem Pericle comicus alter,

Ἤστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Non enim amputata oratio & abscissa, sed lata, & magnifica, & excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet. Optimus tamen modus est, quis negat? sed non minùs non seruat modum qui infra rem quàm qui supra: qui adstrictiùs quàm qui effusiùs dicit. Itaque quod audis frequẽter, vt illud immodicè & redũdanter, ita hoc ieiunè & infirmè. Alius excessisse materiam, alius dicitur non implesse: æquè vterque, sed ille imbecillitate, hic viribus peccat. quod certè etsi non limatioris, maioris tamen ingenij indicium est. Nec verò quum hæc dico, illum Homericum ἀμετροεπῆ probo, sed hunc,

Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίοισιν:

non quia non & ille mihi validissimè placeat, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Si tamen

detur electio,illam orationem similem niuibus hybernis,id est crebram, assiduam & largam, postremò diuinam & cœlestem volo. At est gratior multis actio breuis. Est quidē, sed inertibus, quorum delicias desidiámque, quasi iudicium,respicere,ridiculum est. Nam si hos in consilio habeas, non solùm satius est breuiter,sed omnino non dicere. Hæc est adhuc sententia mea,quam mutabo,si dissenseris tu,sed planè cur dissentias explices rogo. Quanuis enim cedere autoritati tuæ debeam, rectiùs tamen arbitror in tanta re, ratione quàm autoritate superari. Proinde, si non errare videor, idipsum quàm voles breui epistola, sed tamen scribe. confirmabis enim iudicium meum:si verò errare, longissimam para. Non corrupi te,qui tibi,si mihi accederes, breuis epistolæ necessitatem si dissentires,longissimæ imposui. Vale.

C. PL. PLINIO PATERNO SVO S. 21

VT animi tui iudicio, sic oculorum plurimum tribuo: non quia multum, ne tibi placeas, sed quia tantum quantum ego sapis: quanquam hoc quoque multum est. Omissis iocis,credo decentes esse seruos qui sunt empti mihi ex consilio tuo: superest vt frugi sint. quod de venalibus, meliùs auribus quàm oculis iudicatur. Vale.

C. PLIN. CATILIO SEVERO SVO S. 22

DIv iam in vrbe hæreo, & quidem attonitus. Perturbat me longa & pertinax valetudo Titi Aristonis, quem singulariter & miror & diligo. nihil est enim illo grauius, sanctius, doctius: vt mihi non vnus homo, sed literæ ipsæ, omnésque bonæ artes in vno homine summum periculum adire videantur. Quàm peritus ille & priuati iuris & publici? quantum rerum? quantum exemplorũ? quantum antiquitatis tenet? nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. mihi certè quoties aliquid abditum quæro, ille thesaurus est. Iam quanta sermonibus eius fides? quanta autoritas? quàm pressa & decora cunctatio? quid est quod non statim sciat? & tamen plerunque hæsitat. dubitat diuersitate rationum: quas acri magnóque iudicio ab origine causísque primis repetit, discernit, expendit. Ad hoc quàm parcus in victu? quàm modicus in cultu? Soleo ipsum cubiculũ eius, ipsúmque lectum, vt imaginem quandam priscæ frugalitatis aspicere. Ornat hæc magnitudo animi, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: rectéque facti, non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit. In summa, non facilè quis quenquam ex istis qui sapientiæ studium habitu corporis præferunt, huic viro compararit. Non quidem gymnasia sectatur aut porticus, nec disputationibus longis aliorum otium suúmque delectat: sed in toga negotiísque

verſatur: multos aduocatione, plures conſilio iuuat. Nemini tamen iſtorum caſtitate, pietate, iuſtitia, fortitudine, etiam primo loco ceſſerit. Mirareris, ſi intereſſes, qua patientia hãc ipſam valetudinem toleret, vt dolori reſiſtat, vt ſitim differat, vt incredibilem febrium ardorem immotus opertúſque tranſmittat. Nuper me paucóſque mecum quos maximè diligit, aduocauit, rogauítque vt medicos conſuleremus de ſumma valetudinis, vt, ſi eſſet inſuperabilis, ſponte exiret è vita: ſin tantùm difficilis & longa, reſiſteret manerétque. Dãdum enim precibus vxoris, dandum filiæ lacrymis, dandum etiam nobis amicis, ne ſpes noſtras, ſi modò non eſſent inanes, voluntaria morte deſereret. Id ego arduum in primis & præcipua laude dignum puto. nam impetu quodam & inſtinctu procurrere ad mortem, commune cum multis: deliberare verò, & cauſas eius expendere, vtque ſuaſerit ratio, vitæ mortíſque conſilium ſuſcipere vel ponere, ingentis eſt animi. Et medici quidem ſecunda nobis pollicentur. ſupereſt vt promiſſis Deus adnuat, tandémque me hac ſolicitudine exoluat. qua liberatus, Laurentinum meum, hoc eſt libellos & pugillares, ſtudioſúmque otium repetam. Nunc enim nihil legere, nihil ſcribere aut aſſidenti vacat, aut anxio libet. Habes quid timeam, quid optem, quid etiam in poſterum deſtinem: tu quid egeris, quid agas, quid velis agere, inuicem nobis, ſed latioribus epiſtolis, ſcribe. Erit cõfuſioni meæ non mediocre ſolatium, ſi tu nihil quereris. Vale.

C. PLINIVS POMPEIO FALCONI SVO S. 23

Consulis an existimem te in tribunatu caussas agere debere. Plurimum refert quid esse tribunatum putes: inanem vmbram, & sine honore nomen, an potestatem sacrosanctam, & quam in ordinem cogi vt à nullo, ita ne à se quidem deceat. Ipse quum tribunus essem, errauerim fortasse, qui me esse aliquid putaui, sed tanquam essem, abstinui caussis agendis: primùm, quòd deforme arbitrabar, cui assurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus sedentibus stare: & qui iubere posset tacere quemcunque, huic silentiũ clepsydra indici: & quem interfari nefas esset, hunc etiam conuitia audire: &, si inulta pateretur, inertem: si vlcisceretur, insolentem videri. Erat hic quoque æstus ante oculos, si fortè me appellasset vel ille cui adessem, vel ille quem contra intercederem, & auxilium ferrem, an quiescerem, silerémque, & quasi eiurato magistratu priuatum ipse me facerem. His rationibus motus, malui me tribunum omnibus exhibere quàm paucis aduocatum. Sed tu (iterum dicam) plurimum interest quid esse tribunatum putes: quam personam tibi imponas, quæ sapienti viro ita aptanda est vt perferatur. Vale.

C. PLIN. BEBIO HISPANO SVO S. 24

TRanquillus, contubernalis meus, vult emere agellum quem venditare amicus tuus dicitur. Rogo cures quanti æquum est emat. ita enim delectabit emisse. nam mala emptio semper ingrata est, eò maximè quòd exprobrare stultitiã domino videtur. In hoc autem agello (si modò arriserit pretium) Tranquilli mei stomachum multa solicitant, vicinitas vrbis, opportunitas viæ, mediocritas villæ, modus ruris, qui auocet magis quã distringat. Scholasticis porrò studiosis, vt hic est, sufficit abundè tantum soli, vt releuare caput, reficere oculos, reptare per limitem, vnámque semitam terere, omnésque viticulas suas nosse & numerare arbusculas possint. Hæc tibi exposui quò magis scires quantum ille esset mihi, quantum ego tibi debiturus, si prædiolum istud quod commendatur his dotibus, tam salubriter emerit, vt pœnitentiæ locum non relinquat. Vale.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPIstolarum

LIBER SECVNDVS.

C. PLIN. VOCONIO ROMANO SVO S. I

POst aliquot annos inſigne, atque etiam memorabile populi Romani oculis ſpectaculum exhibuit publicum funus Virginij Rufi, maximi & clariſſimi ciuis, & perinde felicis. Triginta annis gloriæ ſuæ ſuperuixit. Legit ſcripta de ſe carmina, legit hiſtorias, & poſteritati ſuæ interfuit. perfunctus eſt tertio conſulatu, vt ſummum faſtigium priuati hominis impleret, quum principis noluiſſet. Cæſares, quibus ſuſpectus, atque etiam inuiſus virtutibus fuerat, euaſit. reliquit incolumen optimum atque amiciſſimum, tanquam ad hunc ipſum honorem publici funeris reſeruatus. Annum tertium & octogeſimum exceſſit in altiſſima tranquillitate, pari veneratione. Vſus eſt firma valetudine, niſi quòd ſolebant ei manus tremere, citra dolorem tamen: aditus tantùm mortis durior longiórque, ſed hic ipſe laudabilis.

Nam quum vocem præpararet, acturus in consulatu principi gratias, liber, quem fortè acceperat grandiorem, & seni & stanti ipso pondere elapsus est. Hunc dum consequitur colligítque, per leue & lubricum pauimentum fallente vestigio cecidit, coxámque fregit, quæ parum aptè collocata, reluctãte ætate, malè coiit. Huius viri exequiæ magnum ornamentum principi, magnum sęculo, magnum etiam foro & rostris attulerunt. Laudatus est à consule Cornelio Tacito. nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus, & ille quidem plenus annis abiit, plenus honoribus, illis etiã quos recusauit. Nobis tamen quærendus ac desiderãdus est, vt exemplar æui prioris: mihi verò pręcipuè, qui illum non solùm publicè, sed etiam priuatim quantum admirabar, tantùm diligebam. primùm quòd vtrique eadem regio, municipia finitima, agri etiam, possessionésque coniunctæ. præterea quòd ille tutor mihi relictus, affectum parentis exhibuit. sic candidatum me suffragio ornauit, sic ad omnes honores meos ex seccessibus accurrit, quum iampridem eiusmodi officiis renuntiasset, sic illo die quo sacerdotes solent nominare quos dignissimos sacerdotio iudicãt, me semper nominabat. Quinetiam in hac nouissima valetudine veritus ne fortè inter quinqueuiros crearetur, qui minuendis publicis sumptibus iudicio senatus constituebantur, quum illi tot amici senes consularésque superessent, me huius ætatis per quẽ excusaretur, elegit, his quidem verbis, Etiamsi filium haberem, tibi mandarem. Quibus ex

caufis neceffe eft tanquam immaturam mortem eius in finu tuo defleam : fi tamen fas eft aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita quàm vita eft. Viuit enim, viuétque femper, atque etiam latius in memoria hominum & fermone verfabitur, poftquam ab oculis receffit. Volui tibi multa alia fcribere, fed totus animus in hac vna contemplatione defixus eft. Virginium cogito, Virginium video, Virginium iam vanis imaginibus, recentibus tamen audio, alloquor, teneo: cui fortaffe ciues aliquos virtutibus pares & habemus & habebimus: gloria, neminem. Vale.

C. PLINIVS PAVLINO SVO. S. 2

IRafcor, nec liquet mihi an debeam, fed irafcor. Scis quàm fit amor iniquus interdum, impotens fæpe, ακρατιος femper. Hæc tamen caufa magna eft, nefcio an iufta: fed ego tanquam non minus iufta quàm magna fit, grauiter irafcor quòd à te tamdiu literæ nullæ. Exorare me potes vno modo, fi nunc faltem plurimas & longiffimas miferis. hæc mihi fola excufatio vera, cęteræ falfæ videbuntur. Nõ fum auditurus, Non eram Romę, vel, Occupatior eram. illud enim nec dij finant, vt infirmior. Ipfe ad villam partim ftudiis, partim defidia fruor, quorum vtrunque ex otio nafcitur. Vale.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S. 5

MAgna Iſæum fama præceſſerat, maior inuentus eſt. ſumma eſt facultas, copia, vbertas. dicit ſemper ex tēpore, ſed tanquam diu ſcripſerit. ſermo Grecus, immò Atticus. præfationes terſę, graciles, dulces, graues interdū & erectę. poſcit controuerſias plures, electionem auditoribus permittit, ſępè etiam partes: ſurgit, amicitur, incipit, ſtatim omnia, ac penè pariter ad manum, ſenſus reconditi, occurſant verba, ſed qualia? quæſita & exculta, multa lectio in ſubitis, multa ſcriptio elucet, procematur aptè, narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè: poſtremò docet, delectat, afficit (quod maximè dubites) crebra ἐνθυμήματα κ, νοήματα, ſyllogiſmi circunſcripti & effecti: quod ſtylo quoque aſſequi magnū eſt. Incredibilis memoria, repetit altiùs quæ dixit ex tempore, ne verbo quidem labitur. ad tantam ἕξιν ſtudio & exercitatione peruenit. nam diebus & noctibus nihil aliud agit, nihil audit, nihil loquitur. Annum ſexageſimum exceſſit, & adhuc ſcholaſticus tantùm eſt: quo genere hominum nihil aut ſimplicius aut ſyncerius aut melius, nos enim qui in foro veriſque litibus terimur, multum malitiæ, quamuis nolimus, addiſcimus. Schola & auditorium, vt ficta cauſa, ita res inermis innoxia eſt: nec minus felix, ſenibus prę ſertim. Nam quid in ſenectute felicius quàm quod dulciſſimum eſt in iuuenta? Quare ego Iſęū nō diſertiſſi-

mum tãtùm, verumetiam beatiſſimum iudico, quem tu niſi cognoſcere concupiſcis, ſaxeus ferreúſque es. Proinde ſi non ob alia, nóſque ipſos, at certè vt hunc audias veni. Nunquámne legiſti Gaditanum quendam Titi Liuij nomine gloriáque commotum ad viſendum eum ab vltimo terrarum orbe veniſſe, ſtatímque vt viderat abiiſſe? ἀφιλόκαλον, illiteratum, iners, ac penè etiam turpe eſt, non putare tanti cognitionem, qua nulla eſt iucundior, nulla pulchrior, nulla denique humanior. Dices, Habeo hîc quos legam, non minùs diſertos. Etiam: ſed legendi ſemper occaſio eſt, audiendi non ſemper. præterea multò magis, vt vulgò dicitur, viua vox afficit. Nam licèt acriora ſint quę legas, altiùs tamen in animo ſedent, quę pronuntiatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis affigit. Niſi verò falſum putamus illud Æſchinis, qui quum legiſſet Rhodiis orationem Demoſthenis, admirantibus cunctis, adieciſſe fertur, Τὶ δὲ εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου τὰ αὐτοῦ ῥήματα βοῶντος ἀκηκόειτε, & erat Æſchines, ſi Demoſtheni credimus, μεγαλοφωνότατος, fatebatur tamen longè melius eadem illa pronuntiaſſe ipſum qui pepererat. Quæ omnia huc tendunt vt audias Iſæum, vel ideò tantùm, vt audieris. Vale.

C. PLIN. CALVINÆ S.

SI pluribus pater tuus vel vni cuilibet alij plus quàm mihi debuiſſet, fuiſſet fortaſſe dubitandum an adires hæreditatem etiam vi-

ro grauem: quum verò ego adductus affinitatis officio, dimissis omnibus, qui, non dico molestiores, sed diligentiores erant, creditor solus exiterim: quúmque viuente eo nubenti tibi in dotem censum millia contulerim, præter eam summam quam pater tuus, quasi de meo dixit (erat enim soluenda de meo) magnum habes facilitatis meæ pignus, cuius fiducia debes famam defuncti pudorémque suscipere, ad quod ne te verbis magis quàm rebus horter, quicquid mihi pater tuus debuit, acceptum tibi ferri iubeo. Nec est quòd verearis ne sit mihi ista onerosa donatio. sunt quidem omnino nobis modicæ facultates, dignitas sumptuosa, redditus propter conditionem agellorũ, nescio minor an incertior, sed quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur: ex qua, velut à fonte, liberalitas nostra decurrit, quæ tamen ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat: sed temperanda in aliis, in te verò facilè ratio constabit etiamsi modum excesserit. Vale.

C. PLINIVS LVPERCO S. V. O. S. 5

Actionem & à te frequenter efflagitatam, & à me sæpe promissam exhibui tibi, non tamen totam. adhuc enim pars eius perpolitur. Interim quæ absolutoria mihi videbantur, non fuit alienum iudicio tuo tradi. His tu, rogo, intentionem scribentis accommodes. nihil enim adhuc inter manus habui, cui maiorem solicitudinẽ præstare deberem.

Nam in cęteris actionibus existimationi hominum diligentia tantùm & fides nostra, in hac etiam pietas subiicietur. Inde & liber creuit, dum ornare patriam & amplificare gaudemus, paritérque & defensioni eius deseruimus & gloriæ. Tu tamen hæc ipsa, quantùm ratio exegerit, reseca. Quoties enim ad fastidium legentium deliciásque respicio, intelligo nobis commendationem etiam ex ipsa mediocritate libri petendam. Idem tamen qui à te hanc austeritatem exigo, cogor id quod diuersum est postulare, vt in plerisque frontem remittas. Sunt enim quædam adolescentium auribus danda, præsertim si materia non refragetur. nam descriptiones locorum quæ in hoc libro frequentiores erunt, non historicè tantùm, sed propè poeticè prosequi fas est. Quod tamen si quis extiterit qui putet nos latiùs fecisse quàm orationis seueritas exigat: huius (vt ita dixerim) tristitiam reliquę partes actionis exorare debebunt. Adnisi certè sumus vt quamlibet diuersa genera lectorum per plures dicendi species teneremus. Ac sicut veremur ne quibusdam pars aliqua secundùm suam cuiusque naturam non probetur: ita videmur posse confidere vt vniuersitatem omnibus varietas ipsa commendet. nam & in ratione conuiuiorum, quanuis à plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen cœnam laudare omnes solemus: nec ea quę stomachus noster recusat, adimunt gratiam illis à quibus capitur. Atque hæc ego sic accipi volo, non tanquam assequutum esse me credam; sed tanquam assequi laborauerim, fortasse non fru-

ſtrà, ſi modò tu curam tuam admoueris, interim iſtis, mox iis quę ſequuntur. Dices te non poſſe ſatis diligenter id facere, niſi priùs totam actionem cognoueris. Fateor: in præſentia tamen & iſta tibi familiariora fient, & quædam ex his talia erũt vt per partes emendari poſſint. Etenim ſi auulſum ſtatuæ caput aut membrum aliquod inſpiceres, non tu quidem ex illo poſſes congruentiam æqualitatémque deprehendere, poſſes tamen iudicare an idipſum ſatis elegans eſſet: nec alia ex cauſa principia librorum circunferuntur, quàm quia exiſtimatur pars aliqua etiam ſine cæteris eſſe perfecta. Longiùs me prouexit dulcedo quædam tecum loquendi. ſed iam finem faciam, ne modum quẽ etiam orationi adhibendum puto, in epiſtola excedam. Vale.

C. PLINIVS AVITO SVO S.

LOngum eſt altiùs repetere, nec refert quemadmodum acciderit vt homo minimè familiaris cœnarem apud quendam, vt ſibi videbatur, lautum & diligentem, vt mihi, ſordidum ſimul & ſumptuoſum. nam ſibi & paucis opima quædam, cæteris vilia & minuta ponebat. vinum etiam paruulis lagunculis in tria genera deſcripſerat, non vt poteſtas eligendi, ſed ne ius eſſet recuſandi. & aliud ſibi & nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet) aliud ſuis noſtríſque libertis. Animaduertit qui mihi proximus recumbebat, & an probarem interrogauit. Ne-

gaui. Tu ergo, inquit, quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono. ad cœnam enim, non ad notam, inuito: cunctísque rebus ex æquo quos mensa & toro æquaui. Etiámne libertos? Etiam. conuictores enim tunc, non libertos, puto. Et ille, Magno tibi constat. Minimè. Quî fieri potest? Quia scilicet liberti mei non idem quod ego bibunt, sed idē ego quod liberti. Et hercule, si gulæ temperes, non est onerosum quo vtaris ipse communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigēda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectiùs tua continentia quàm aliena contumelia consulas. Quorsum hęc? Ne tibi optimę indolis iuueni quorundam immēsa luxuria specie frugalitatis imponat. Conuenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, sub exēplo præmonere quid debeas fugere. Igitur memento, nihil magis esse vitandum quàm istam luxurię & sordium nouam societatem: quæ cùm sint turpissima, discreta ác separata, turpiùs iunguntur. Vale.

C. PLIN. MACRINO SVO S. 7

HEre à senatu Vestricio Spurinnæ, Principe autore triumphalis statua decreta est: non ita vt multis qui nunquam in acie steterunt, nunquam castra viderunt, nunquam denique turbatum sonum, nisi in spectaculis, audierunt: verùm vt illis qui decus istud sudore & sanguine & factis assequebātur. Nam Spurinna Bructerum regem vi & armis indu-

xit in regnum: oſtentatóque bello, ferociſſimam gentem (quod eſt pulcherrimum victoriæ genus) terrore perdomuit. & hoc quidem virtutis præmium, illud ſolatium doloris accepit, quòd filio eius Cottio, quẽ amiſit abſens, habitus eſt honor ſtatuæ Rarum id in iuuene, ſed pater hoc quoque merebatur, cuius grauiſſimo vulneri magno aliquo fomento medendum fuit. Præterea Cottius ipſe tam clarum ſpecimen indolis dederat, vt vita eius breuis & anguſta debuerit hac veluti immortalitate proferri. Nam tãta ei ſanctitas, grauitas, autoritas etiam, vt poſſet ſenes illos prouocare virtute quibus nunc honore adæquatus eſt. Quo quidem honore quantum ego interpretor, non modò defuncti memoriæ, & dolori patris, verumetiam exemplo proſpectum eſt. acuent ad bonas artes iuuentutem: adoleſcentibus quoque (digni ſint modò) tanta præmia cõſtituta, acuent principes viros ad liberos ſuſcipiendos, & gaudia ex ſuperſtitibus, & ex amiſſis tam glorioſa ſolatia. His ex cauſis ſtatua Cottij publicè lętor, nec priuatim minùs. Amaui conſummatiſſimum iuuenem tam ardenter quàm nunc impatienter requiro. Erit ergo pergratum mihi hanc effigiem eius ſubinde intueri, ſubinde reſpicere, ſub hac conſiſtere, præter hanc commeare. Etenim ſi defunctorum imagines domi poſitæ dolorẽ noſtrum leuant, quantò magis eæ quibus in celeberrimo loco non modò ſpecies & vultus illorum, ſed honor etiam & gloria refertur? Vale.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

STudes?an piſcaris?an venerariſ ? an ſimul omnia ? poſſunt enim omnia ſimul fieri ad Larium noſtrum.nam lacus piſcem, feras ſylue, quibus lacus cingitur, ſtudia altiſſimus iſte ſeceſſus affatim ſuggerunt. Sed ſiue omnia ſimul, ſiue aliquid facias, non poſſum dicere, Inuideo:angor tamen non & mihi licere quæ ſic concupiſco vt ægri vinum, balinea, fontes. Nūquámne hos arctiſſimos laqueos, ſi ſoluere negatur, abrumpam?Nunquam puto.nam veteribus negotiis noua accreſcunt, nec tamen priora peraguntur. tot nexibus, tot quaſi catenis maius in dies occupationum agmen extenditur. Vale.

C. PLIN. APOLLINARI SVO S. 9

ANxium me & inquietum habet petitio Sexti Euritij mei. afficior cura: & quam pro me ſolicitudinem non alij, quaſi pro me altero patior: & alioquin meus pudor, mea exiſtimatio, mea dignitas in diſcrimen adducitur.Ego Sexto latum clauum à Cæſare noſtro, ego quæſturam impetraui: meo ſuffragio peruenit ad ius tribunatus petendi, quem niſi obtinet in ſenatu, vereor vt decepiſſe Cęſarem videar. Proinde admittendum eſt mihi vt talem eum iudicent omnes, qualem eſſe princeps mihi credidit: quæ cauſa ſi ſtudium meum non incitaret, adiutum

tamen cuperem iuuenem probissimum, grauissimum, eruditissimum, omni denique laude dignissimum, & quidem cum tota domo. Nam pater eius Euritius Clarus, vir sanctus, antiquus, disertus, atque in agendis causis exercitatus, quas summa fide, pari constantia, nec verecundia minore defendit. Habet auunculum C. Septitium, quo nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius noui. Omnes me certatim, & tamen æqualiter amant: omnibus nunc ego in vno referre gratiam possum. Itaque prendo amicos, supplico, ambio domos, stationésque circumeo: quantúmque vel autoritate, vel gratia valeam, precibus experior. Te quoque obsecro vt aliquam oneris mei partem suscipere tanti putes. Reddam vicem, si reposces: reddam & si non reposces. Diligeris, coleris, frequentaris: ostende modò velle te, nec deerunt qui quod tu velis cupiant. Vale.

C. PLIN. OCTAVIO SVO S. 10

NOminem te patientem, vel potiùs durum ac penè crudelem, qui tam insignes libros tamdiu teneas. Quousque & tibi & nobis inuidebis? tibi, maximam laudem; nobis, voluptatem. Sine per ora hominum ferãtur, iis denique quibus lingua Romana spatii peruagentur. magna etiam longáque expectatio est: quam frustrari adhuc & differre non debes. Enotuerunt quidam tui versus & inuito te claustra tua refregerunt: hos nisi retrahes in corpus quandoque vt errones, ali-

quem cuius dicantur, inueniant. Habe ante oculos mortalitatem, à qua asserere te hoc vno monimento potes. nam cætera fragilia & caduca, non minus quàm ipsi homines, occidũt desinúntque. Dices, vt soles, Amici mei viderint. Opto equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laboriosos, vt tãtum curæ intentionísque suscipere & possint & velint: sed dispice ne sit parum prouidum, sperare ex aliis quod tibi ipse non præstes. Et de editione quidem interim, vt voles, recita saltem, quò magis libeat emittere: vtque tandem percipias gaudium quod ego olim pro te non temerè præsumo. Imaginor enim qui cõcursus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam silentium maneat: quo ego, quum dico vel recito, nõ minùs quàm clamore delector: sit modò silentium acre & intentum & cupidum vlteriora audiendi. Hoc fructu tanto, tam parato desine studia tua infinita ista cunctatione fraudare: quæ quum modum excedit, verendum est ne inertiæ & desidiæ vel etiam timiditatis nomen accipiat. Vale.

C. PLIN. ARRIANO SVO S. II

Solet esse gaudio tibi siquid actum est in senatu dignum ordine illo. Quanuis enim quietis amore secesseris, insidet tamen animo tuo maiestatis publicæ cura. Accipe ergo quod per hos dies actum est personæ claritate famosum, seueritate exempli salubre, rei magnitudine æternum. Marius Priscus accusantibus Afris, quibus proconsul præfuit,

omissa defensione iudices, petit. Ego & Cornelius Tacitus adesse prouincialibus iussi, existimauimus fidei nostræ conuenire, notũ senatui facere, excessisse Priscum immanitate & sæuitia, crimina quibus dari iudices posset, quum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset. Respondit Fronto Catius, deprecatúsque est nequid vltra repetundarum legem quæreretur, omniáque actionis suæ vela vir mouendarum lacrymarum peritissimus, quodam velut vento miserationis impleuit. Magna contentio, magni vtrinque clamores: aliis cognitionem senatus lege conclusam, aliis liberam solutámque dicẽtibus, quantúmque admisisset reus, tantum vindicãdum. Nouissimè consul designatus Iulius Ferox, vir rectus & sanctus, Mario quidem iudices interim censuit dandos: euocandos autem quibus diceretur innocentium pœnas vendidisse. Quæ sententia non præualuit modò, sed omnino post tantas dissensiones fuit sola frequens: adnotatúmque experimentis, quòd fauor & misericordia acres & vehementes primos impetus habẽt, paulatim consilio & ratione, quasi restincta, considunt. Vnde euenit vt quod multi clamore permixto tuentur, nemo tacentibus cæteris dicere velit. patescit enim quum separaris à turba, contemplatio rerum quæ turba teguntur. Venerunt qui adesse erant iussi, Vitellius Honoratus, & Flauius Martianus: ex quibus Honoratus trecentis millibus exilium equitis Romani, septémque amicorum eius vltimam pœnam: Martianus vnius equitis Romani septingentis millibus plura supplicia argue-

batur emisse. erat enim fascibus cæsus, damnatus in metallum, strangulatus in carceres. sed Honoratum cognitioni senatus mors opportuna subtraxit: Martianus introductus est absente Prisco. Itaque Tutius Cerealis consularis iure senatorio postulauit vt Priscus certior fieret: siue quia miserabiliorem, siue quia inuidiosiorem fore arbitrabatur, si præsens fuisset: siue (quod maximè credo) quia æquissimum erat, commune crimen ab vtroque defendi: &, si dilui non potuisset, in vtroque puniri. Dilata res est in proximum senatum, cuius ipse conspectus augustissimus fuit. Princeps præsidebat (erat enim consul) ad hoc Ianuarius mensis cùm cætera, tum præcipuè senatorum frequentia celeberrimus: prçterea causæ amplitudo, auctáque dilatione expectatio & fama, insitúmque mortalibus studium magna & inusitata noscendi, omnes vndique exciuerat. Imaginare quæ solicitudo nobis, qui metus, quibus super tanta re in illo cœtu, præsente Cæsare dicendum erat. Equidem in senatu nō semel legi: quinimò nusquã audiri benigniùs soleo. tunc me tamē, vt noua omnia, nouo metu permouebant. Obuersabatur præter illa quæ suprà dixi, causæ difficultas, stabat modò consularis, modò septemuir epulonum, iam neutrum. Erat igitur perquàm onerosum accusare damnatum, quem vt premebat atrocitas criminis, ita quasi peractę damnationis miseratio tuebatur. vtcunque tamē animum cogitationémque collegi. Cœpi dicere, non minore audientium assensu, quàm solicitudine mea. Dixi horis penè quinque. Nam decem clepsydris, quas spatiosissi-

tiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. addo illa ipsa, quę dura & aduersa dicturo videbantur, secunda dicenti fuerunt. Cęsar quidem mihi tantum studium, tantam etiam curam (nimium est enim dicere solicitudinem) præstitit, vt libertum meum post me stantem, sæpius admoneret voci lateríque consulerem, quum me vehementiùs putaret intendi quàm gracilitas mea perpeti posset. Respondit mihi pro Martiano Claudius Marcellinus. Missus deinde senatus, & reuocatus in posterum, neque enim iam inchoari poterat actio, nisi vt noctis interuentu scinderetur. Postero die dixit pro Mario Saluius Liberalis, vir subtilis, dispositus, acer, disertus: in illa verò causa omnes artes suas protulit. Respondit Cornelius Tacitus eloquētissimè, & quod eximium orationi eius inest, σεμνῶς. Dixit pro Mario rursus Fronto Catius insigniter: vtque iam locus ille poscebat, plus in precibus temporis quàm in defensione consumpsit. Huius actionē vespera inclusit: non tamen sic vt abrumperet. itaque in tertiū diem probationes exierunt. Iam hoc ipsum pulchrum & antiquum, senatum nocte dimitti, triduo vocari, triduo cōtineri. Cornutus Tertullus Cos. designatus, vir egregius, & pro veritate firmissimus, censuit septingenta millia quæ acceperat Marius, ærario inferenda: Mario vrbe Italiáque interdicendum: Martiano hoc amplius, Africa. In fine sententiæ adiecit, quòd ego & Tacitus iniuncta aduocatione diligenter fortitérque functi essemus arbitrari senatum, ita nos fecisse vt dignum mandatis partibus fuerit. Assenserunt consu-

les designati, omnes etiam consulares vsque ad Pompeium collegam: ille & septingenta millia quæ acceperat Marius, ærario inferenda, & Martianum in quinquennium relegandum, Marium repetundarum pœnæ, quam iam passus esset, censui relinquendum. Erant in vtraque sentētia multi, fortasse etiam plures in hac vel solutiore vel molliore. nam quidam ex illis quoque qui Cornuto videbantur, assensi hunc qui post ipsos censuerat, sequebātur. sed quum fieret discessio, qui sellis consulum astiterant, in Cornuti sententiam ire cœperunt. tum illi qui se collegæ adnumerari patiebantur, in diuersum transierunt, collega cum paucis relictus. multum postea de impulsoribus suis, præcipuè de Regulo, questus est, qui se in sententia quam ipse dictauerat, deseruisset. Est alioqui Regulo tam mobile ingenium, vt plurimum audeat, plurimum timeat. Hic finis cognitionis amplissimæ, superest tamen λιτούργιον non leue, Hostilius Firminus, legatus Marij Prisci qui permistus causæ grauiter vehementérque vexatus est. Nam & rationibus Martiani & sermone quem ille habuerat in ordine Leptitanorum, operam suam Prisco ad turpissimum ministerium commodasse, stipulatúsque de Martiano quinquaginta millia denariûm probabatur: ipse præterea accepisse sestertiûm decem millia, fœdissimo quidem titulo, nomine vnguentarij, qui titulus à vita hominis compti semper & pumicati, non abhorrebat. Placuit censente Cornuto referri de eo proximo senatu. tunc enim casu, incertum an conscientia, abfuerat. Habes res vrbanas: in-

uicem rusticas scribe, quid arbusculæ tuæ, quid vineæ, quid segetes agunt, quid oues delicatissimæ. In summa, nisi æquè longam epistolam, reddes, non est quòd postea, nisi breuissimam expectes. Vale.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S. 12

AEιτυ̃ργιον illud quod superesse Marij Prisci causæ proximè scripseram, nescio an satis, circumcisum tamen & abrasum est. Firmnus inductus in senatum respondit crimini noto. Sequutæ sunt diuersæ sententiæ consulum designatorum. Cornutus Tertullus censuit ordine mouendum: acutiùs Nerua, in sortitione prouinciæ rationem eius non habendam. quæ sententia, tanquam mitior, vicit, cùm sit alioqui durior tristiórque. Quid enim miserius quàm exactum & exemptum honoribus senatoriis, labore & molestia non carere? quid grauius quàm tanta ignominia affectum, non in solitudine latere? sed in hac altissima specula conspiciendum se monstrandumque præbere? Præterea, quid publicè minus aut congruens aut decorum, notatum à senatu in senatu sedere? ipsísque illis à quibus sit notatus, æquari? summotum à proconsulatu, quia se in legatione turpiter gesserat, de proconsulibus iudicare? damnatúmque sordium, vel damnare alios vel absoluere? Sed hoc pluribus visum est. numerantur enim sententiæ, non ponderantur: nec aliud in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inæquale

quàm æqualitas ipsa. nam cùm sit impar prudentia, par omnium ius est. Impleui promissum, priorísque epistolæ fidem exolui, quam ex spatio temporis iam recepisse te colligo. nam & festinanti & diligenti tabellario dedi, nisi quid impedimenti in via passus est. Tuæ nunc partes vt primùm illam, deinde hanc remunereris literis, quales istinc redire vberrimæ possunt. Vale.

C. PLINIVS PRISCO SVO S. 13

ET tu occasiones obligandi me auidissimè amplecteris, & ego nemini libentiùs debeo. Duabus ergo de causis à te potissimùm petere constitui quod impetratum maximè cupio. Regis exercitum amplissimum: hinc tibi beneficiorũ larga materia, longum præterea tempus, quo amicos tuos exornare potuisti. Conuertere ad nostros, nec hos multos. Malles tu quidem multos, sed meæ verecundiæ sufficit vnus aut alter, ac potius vnus. Is erit Voconius Romanus: pater ei in equestri gradu clarus, clarior vitricus, imò pater alius. nam huic quoque nomine & pietate successit mater è primis citerioris Hispaniæ. Scis quod iudicium prouincię illius: scis quãta sit grauitas: ipse flamẽ proximè fuit. Hunc ego, quum simul studeremus, arctè familiaritérque dilexi: ille meus in vrbe, ille in secessũ contubernalis. cum hoc seria, cum hoc iocos miscui. Quid enim aut illo fidelius amico, aut sodale iucũdius? mira in sermone, mira etiam in ore ipso vultúque suauitas. Ad

hoc ingenium excelſum,ſubtile,dulce,facile, eruditum in cauſis agendis.Epiſtolas quidem ſcribit, vt Muſas ipſas Latinè loqui credas. amatur à me plurimum, nec tamen vincitur. Equidem iuuenis ſtatim iuueni quantum potui per ætatem auidiſſimè contuli, & nuper ab optimo principe trium liberorum ei ius impetraui. quod quanquam parcè & cum delectu daret,mihi tamen tanquam eligeret,indulſit. Hæc beneficia mea tueri nullo modo meliùs quàm vt augeam, poſſum: præſertim cùm ipſe illa tam gratè interpretaretur, vt dum priora accipit,poſteriora mereatur.Habes qualis, quàm probatus charúſque ſit nobis.quem rogo pro ingenio, pro fortuna tua exornes:in primis ama hominem. nam licèt tribuas ei quantum ampliſſimum potes,nihil tamen amplius potes amicitia tua: cuius eſſe eum vſque in intimam familiaritatem capacem, quò magis ſcires, breuiter tibi ſtudia, mores,omnem denique vitam eius expreſſi. Extenderem preces,niſi & tu rogari diu nolles,& ego tota hac epiſtola feciſſem. Rogat enim & quidem efficaciſſimè,qui reddit cauſas rogandi. Vale.

C. PLIN. MAXIMO SVO S. 14

VErum opinaris,diſtringor centumuiralibus cauſis quæ me exercent magis quàm delectant. ſunt enim pleræque paruæ & exiles.rarò incidit, vel perſonarum claritate,vel negotij magnitudine inſignis. Ad hoc,perpauci cũ quibus iuuat dicere:cęteri audaces,

quàm æqualitas ipsa. nam cùm sit impar prudentia, par omnium ius est. Impleui promissum, priorísque epistolæ fidem exolui, quam ex spatio temporis iam recepisse te colligo. nam & festinanti & diligenti tabellario dedi, nisi quid impedimenti in via passus est. Tuæ nunc partes vt primùm illam, deinde hanc remunereris literis, quales istinc redire vberrimæ possunt. Vale.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

15

ET tu occasiones obligandi me auidissimè amplecteris, & ego nemini libentiùs debeo. Duabus ergo de causis à te potissimùm petere constitui quod impetratum maximè cupio. Regis exercitum amplissimum: hinc tibi beneficiorũ larga materia, longum præterea tempus, quo amicos tuos exornare potuisti. Conuertere ad nostros, nec hos multós. Malles tu quidem multos, sed meæ verecundiæ sufficit vnus aut alter, ac potius vnus. Is erit Voconius Romanus: pater ei in equestri gradu clarus, clarior vitricus, imò pater alius. nam huic quoque nomine & pietate successit mater è primis citerioris Hispaniæ. Scis quod iudicium prouinciæ illius: scis quãta sit grauitas: ipse flamẽ proximè fuit. Hunc ego, quum simul studeremus, arctè familiaritérque dilexi: ille meus in vrbe, ille in secessu contubernalis. cum hoc seria, cum hoc iocos miscui. Quid enim aut illo fidelius amico, aut sodale iucũdius? mira in sermone, mira etiam in ore ipso vultúque suauitas. Ad

hoc ingenium excelſum, ſubtile, dulce, facile, eruditum in cauſis agendis. Epiſtolas quidem ſcribit, vt Muſas ipſas Latinè loqui credas. amatur à me plurimum, nec tamen vincitur. Equidem iuuenis ſtatim iuueni quantum potui per ætatem auidiſſimè contuli, & nuper ab optimo principe trium liberorum ei ius impetraui. quod quanquam parcè & cum delectu daret, mihi tamen tanquam eligeret, indulſit. Hæc beneficia mea tueri nullo modo meliùs quàm vt augeam, poſſum: præſertim cùm ipſe illatam gratè interpretaretur, vt dum priora accipit, poſteriora mereatur. Habes qualis, quàm probatus charúſque ſit nobis. quem rogo pro ingenio, pro fortuna tua exornes: in primis ama hominem. nam licèt tribuas ei quantum ampliſſimum potes, nihil tamen amplius potes amicitia tua: cuius eſſe eum vſque in intimam familiaritatem capacem, quò magis ſcires, breuiter tibi ſtudia, mores, omnem denique vitam eius expreſſi. Extenderem preces, niſi & tu rogari diu nolles, & ego tota hac epiſtola feciſſem. Rogat enim & quidem efficaciſſimè, qui reddit cauſas rogandi. Vale.

C. PLIN. MAXIMO SVO S. 14

VErum opinaris, diſtringor centumuiralibus cauſis quæ me exercent magis quàm delectant. ſunt enim pleræque paruæ & exiles. rarò incidit, vel perſonarum claritate, vel negotij magnitudine inſignis. Ad hoc, perpauci cũ quibus iuuat dicere: cęteri audaces,

atque etiam magna ex parte adoleſcentuli obſcuri ad declamandum huc tranſeunt, tam irreuerenter & temerè, vt mihi Attilius noſter expreſſè dixiſſe videatur, ſic in foro pueros à centumuiralibus cauſis auſpicari, vt ab Homero in ſcholis. Nam hîc quoque vt illic primum cœpit eſſe quod maximum eſt. At hercule ante memoriam meam, (maiores natu ita ſolebãt dicere) ne nobiliſſimis quidem adoleſcentibus locus erat, niſi aliquo conſulari producente: tanta veneratione pulcherrimum opus celebrabatur. Nunc refractis pudoris & reuerentiæ clauſtris omnia patent omnibus: nec inducuntur, ſed irrumpunt: ſequuntur auditores actoribus ſimiles, conducti & redempti mancipes: conuenitur in media baſilica, vbi tam palàm ſportulæ quàm in triclinio dantur. ex iudicio in iudicium pari mercede tranſitur. Inde iam non inurbanè σοφοκλεῖς vocantur: iiſdem Latinum nomen impoſitum eſt, laudicœni, & tamen creſcit in dies fœditas vtraque lingua notata. Heri duo nomenclatores mei, (habent ſanè ętatem eorum qui nuper togas ſumpſerunt) ternis denariis ad laudandum trahebantur. tanti conſtat vt ſis diſertiſſimus: hôc pretio quamlibet numeroſa ſubſellia implentur: hoc ingens corona colligitur: hoc infiniti clamores commouentur, quum μεσόχορος dedit ſignum. Opus eſt enim ſigno apud non intelligentes, ne audientes quidem. nam plerique non audiunt, nec vlli magis laudant. Si quando tranſibis per baſilicam, & voles ſcire quomodo quiſque dicat, nihil eſt quòd tribunal aſcendas, nihil quòd prębeas aurem: facilis diuina-

tio. Scito eum pessimè dicere, qui laudabitur maximè. Primus hunc audiendi morem induxit Largius Licinius, hactenus tamen vt auditores corrogaret. Ita certè ex Quintiliano, pręceptore meo, audisse memini. narrabat ille, Affectabar Domitium Afrum, quum apud centumuiros diceret grauiter & lentè, (hoc enim illi actionis genus erat) audiit ex proximo immodicum insolitúmque clamorem, admiratus reticuit: vbi silentium factum est, repetit quod abruperat: iterum clamor, iterum reticuit: & post silentium, cœpit idem tertiò. nouissimè quis diceret quæsiuit. responsum est, Licinius. Tum intermissa causa, Centumuiri, inquit, hoc artificium periit: quod alioqui perire incipiebat, quum periisse Afro videretur: nunc verò propè funditus extinctum & euersum est. Pudet referre quæ quàm fracta pronuntiatione dicantur: quibus quàm teneris clamoribus excipiantur. Plausus tantùm, ac potius sola cymbala, & tympana illis canticis desunt, vlulatus quidem (neque enim alio vocabulo potest exprimi) theatris quoque indecora laudatio largè supersunt. Nos tamen adhuc & vtilitas amicorum & ratio ætatis moratur ac retinet. Veremur enim ne fortè non has indignitates reliquisse, sed laborem fugisse videamur. Sumus tamen solito rariores, quod initium est gradatim desinendi. Vale.

C. PLIN. VALERIO SVO S. 15

QVo modo te veteres Marsi tui? quo modo emptio noua? placent agri, postquam tui facti sunt? Rarum id quidem. nihil tamen æquè gratum est adeptis quàm concupiscentibus. Me prædia materna parum commodè tractant: delectant tamen, vt materna. alioqui longa patientia obcallui. Habent hunc finem assiduę querelæ, quod queri pudet. Vale.

C. PLIN. ANNIANO SVO S. 16

TV quidem pro cætera tua diligentia admones me, codicillos Aciliani qui me ex parte instituit hæredem, pro non scriptis habendos: quia non sint confirmati testamento. quod ius ne mihi quidem ignotum est, cùm sit iis etiam notum qui nihil aliud sciunt: sed ego propriam quandam legem mihi dixi, vt defunctorum voluntates, etiamsi iure deficerentur, quasi perfectas tuerer. Constat autem codicillos istos Aciliani manu scriptos. Licèt ergo non sint confirmati testamento, à me tamen vt confirmati obseruabuntur: præsertim cùm delatori locus non sit. Nam si verendum esset ne quod ego dedissem populus eriperet, cunctatior fortasse & cautior esse deberem: cùm verò liceat hæredi donare quod in hæreditate subsedit, nihil est quod obstet illi meæ legi, cui publicæ leges non repugnant. Vale.

C. PLINIVS GALLO SVO S. 17

MIraris cur me Laurentinum, vel (si ita mauis) Laurens meum tantopere delectet? desines mirari quum cognoueris gratiam villæ, opportunitatem loci, littoris spatium. Decem & septem millibus passuum ab vrbe secessit: vt peractis quæ agenda fuerint, saluo iam & composito die possis ibi manere. Aditur non vna via. nam & Laurentina & Ostiensis eodem ferunt, sed Laurentina à quartodecimo lapide, Ostiensis ab vndecimo relinquenda est. Vtrinque excipit iter aliqua ex parte arenosum, iumentis paulo grauius & longius, equo breue & molle, Varia hinc atque inde facies. nam modò occurrentibus syluis via coarctatur, modò latissimis pratis diffunditur & patescit. multi greges ouium, multa ibi equorum boúmque armenta: quæ montibus hyeme depulsa, herbis & tepôre verno nitescunt. Villa vsibus capax, non sumptuosa tutela. cuius in prima parte atriũ frugi, nec tamen sordidum: deinde porticus in O literæ similitudinẽ circumactæ, quibus paruula, sed festiua, area includitur: egregium hæc aduersum tempestates receptaculum. nam specularibus, ac multò magis imminentibus tectis muniuntur. Est contra medias cauædium hilare: mox triclinium satis pulchrum, quod in litus excurrit, ac si quando Africo mare impulsum est, fractis iam & nouissimis fluctibus leuiter alluitur. Vndique valuas, aut fenestras non mino-

res valuis habet: atque ita à lateribus, à fronte quasi tria maria prospectat. à tergo cauædium, porticum, aream: porticum rursus, mox atrium, syluas & longinquos respicit montes. Huius à læua retractiùs paulo cubiculum est amplum: deinde aliud minus, quod altera fenestra admittit orientem, occidentem altera retinet. Hæc & subiacens mare longius quidem, sed securius intuetur. Huius cubiculi & triclinij illius obiectu includitur angulus, qui purissimum solem continet & accendit. Hoc hybernaculum, hoc etiã gymnasium meorum est. Ibi omnes silent venti, exceptis qui nubilum inducunt, & serenum antequam vsum loci eripiunt. Adnectitur angulo cubiculum in apsida curuatum, quod ambitum solis fenestris omnibus sequitur. Parieti eius in bibliothecæ speciem armarium insertum est, quod non legendos libros, sed lectitandos capit. Adhæret dormitorium membrum transitu interiacente, qui suspensus & tabulatus conceptum vaporem salubri temperamento huc illuc digerit & ministrat. Reliqua pars lateris huius seruorum libertorúmque vsibus detinetur, plerisque tam mundis vt accipere hospites possint. Ex alio latere cubiculum est politissimũ, deinde vel cubiculum grande, vel modica cœnatio, quæ plurimo sole, plurimo mari lucet. Post hanc cubiculum cum procœtone, altitudine æstiuum, munimentis hybernum. est enim subductum omnibus ventis. huic cubiculo aliud, & procœtum communi pariete iunguntur. inde balinei cella frigidaria spatiosa & effusa, cuius in contrariis parietibus

duo baptisteria velut eiecta sinuantur abundè capacia, si innare in proximo cogites. Adiacet vnctuarium hypocauston: adiacet propnigeon balinei: mox duæ cellæ magis elegantes, quàm sumptuosæ. cohæret calida piscina mirificè, ex qua natantes mare aspiciunt. Nec procul sphæristerium, quod calidissimo soli inclinato iam die occurrit. Hîc turris erigitur, sub qua diætæ duæ, totidem in ipsa. præterea cœnatio quæ latissimum mare, longissimum littus, amœnissimas villas prospicit. Est & alia turris: in hac cubiculum, in quo sol nascitur conditúrque: lata pòst apotheca & horreum. sub hoc triclinium, quod turbati maris nonnisi fragorem & sonum patitur, cúmque iam languidum ac desinentem. hortum & gestationem videt qua hortus includitur. gestatio buxo aut rore marino, vbi deficit buxus, ambitur. nam buxus qua parte defenditur tectis, abundè viret aperto cœlo, apertóque vento, & quanquam longinqua aspergine maris, inarescit. Adiacet gestationi interiore circuitu vinea tenera & vmbrosa, nudísque etiam pedibus mollis & cedens. Hortum morus & ficus frequens vestit, quarum arborum illa vel maximè ferax est terra, malignior ceteris. hac non deteriore quàm maris facie cœnatio remota à mari fruitur. Cingitur diętis duabus à tergo, quarũ fenestris subiacet vestibulum villæ & hortus alius, pinguis & rustic⁹. Hinc cryptoporticus propè publici operis instar extenditur. vtrinque fenestræ, à mari plures, ab orto singulæ, & altiùs pauciores; hæ, quum serenus dies & immotus, omnes, quum

hinc vel inde ventus inquietus, quâ vẽti quiescunt, sine iniuria patent. ante cryptoporticũ xystus violis odoratus. tepôrem solis infusi repercussu cryptoporticus auget, quæ vt tenet solem, sic Aquilonem inhibet submouétque, quantúmque caloris antè, tantum retrò frigoris, similiter Africum sistit, atque ita diuersissimos ventos alium alio à latere frangit & finit. Hæc iucunditas eius hyeme, maior æstate. nam ante meridiem, xystũ; post meridiem, gestationes ortíque proximam partem vmbra sua temperat: quæ vt dies creuit decreuítque, modò breuior, modò longior hâc vel illâc cadit. Ipsa verò cryptoporticus tunc maximè caret sole, quum ardentissimus culmini eius insistit. Ad hoc patentibus fenestris Fauonios accipit transmittítque: nec vnquam aëre pigro & manente ingrauescit. In capite xysti deinceps cryptoporticus, horti diæta est, amores mei, re vera amores, ipse posui. In hac heliocaminus quidem, alia xystũ, alia mare, vtraque solem, cubiculum autem valuis, cryptoporticum fenestra prospicit, qua mare contra parietem medium diæta perquàm eleganter recedit: quæ specularibus & velis obductis reductísve modò adiicitur cubiculo, modò aufertur. lectum & duas cathedras capit: à pedibus mare, à tergo villæ, à capite syluæ: tot facies locorum totidem fenestris & distinguit & miscet. Iunctum est cubiculum noctis & somni. non illud voces seruulorum, non maris murmur, non tempestatum motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem sentit, nisi fenestris apertis. Tam alti abdití que secreti illâ

ratio, quòd interiacens andron parietem cubiculi hortíque distinguit. Atque ita omnem sonum media inanitate consumit. Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, vt ratio exigit, aut effundit, aut retinet. Procœton inde & cubiculum porrigitur in solem, quem orientem statim exceptum, vltra meridiem, obliquum quidem, sed tamen seruat. In hanc ego diætam quum me recipio, abesse mihi etiã à villa mea videor, magnámque eius voluptatem præcipuè Saturnalibus capio, quum reliqua pars tecti licentia dierũ festísque clamoribus personat. nam nec ipse meorum lusibus, nec illi studiis meis obstrepunt. Hæc vtilitas, hæc amœnitas deficitur aqua salienti, sed puteos ac potiùs fontes habet: sunt enim in summo: & omnino littoris illius mira natura. quocunque loco moueris humum, obuius & paratus humor occurrit, ísque syncerus, ac ne leuiter quidem tanta maris vicinitate salsus. Suggerunt affatim ligna proximæ syluæ: cæteras copias Ostiensis colonia ministrat. Frugi quidem homini sufficit etiam vicus, quẽ vna villa discernit: in hoc balinea meritoria tria. Magna cõmoditas, si fortè balineũ domi vel subitus aduentus, vel breuior mora calefacere dissuadeat. Littus ornant varietate gratissima nunc continua, nunc intermissa tecta villarum, quæ præstant multarum vrbium faciem, siue ipso mari, siue ipso littore vtare: quod nonnunquam longa tranquillitas mollit, sæpius frequens & contrarius fluctus indurat. Mare non sanè pretiosis piscibus abundat: soleas

tamen& squillas optimas suggerit. Villa verò nostra etiam mediterraneas copias præstat, lac in primis. nam illuc è pascuis pecora conueniunt, siquando aquam vmbrámve sectantur. Iustísne de causis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum? quē tu,nimis vrbanus es, nisi concupiscis: atque vtinam concupiscas, vt tot tantísque dotibus villulæ nostrę maxima commendatio ex tuo contubernio accedat. Vale.

C. PLIN. MAVRICO SVO S. 18

QVid à te iucundius mihi potuit iniungi quàm vt præceptorem fratris tui liberis quærerem? Nam beneficio tuo in scholam redeo: & illam dulcissimam ætatem quasi resumo. sedeo inter iuuenes, vt solebam: atque etiam experior quantum apud illos autoritatis ex studiis habeam. Nam proximè frequēti auditorio inter se coràm multi ordinis nostri clarè loquebantur. intraui: conticuerunt. Quod non referrem, nisi ad illorum magis laudem,quàm ad meam pertineret, ac nisi sperare te vellem, posse fratris tui filios probè discere. Quod superest, quum omnes qui profitentur audiero, quid de illis quoque sentiam,scribam: efficiámque,quantum tamen epistola consequi potero, vt ipse omnes audisse videaris. Debeo enim tibi,debeo memoriæ fratris tui hanc fidem,hoc studiū, prçsertim super tanta re. Nā quid magis interest vestra quàm vt liberi(dicerē tui, nisi nunc illos magis amares)digni illo patre, te patruo reperiātur?quam curā mihi etiā si non mādasses, vindicassem.Nec ignoro suscipien-

das offenſas in eligendo præceptore: ſed oportet me non modò offenſas, verumetiam ſimultates pro fratris tui filiis tam æquo animo ſubire quàm parentes pro ſuis. Vale.

C. PL. CEREALI SVO. s. 19.

HOrtaris vt orationem amicis pluribus recitem. faciā, quia hortaris: quanuis vehementer addubitē. neque enim me præterit actiones quę recitātur, impetū omnem calorémque, ac propè nomē ſuū perdere, vt quas ſoleant cōmendare, ſimul & accēdere iudicū conſeſſus, celebritas aduocatorū, expectatio euētus, fama nō vnius actoris, diductúmque in partes audientium ſtudiū: ad hoc, dicētis geſtus, inceſſus, diſcurſus etiam, omnibúſque motibus animi conſentaneus vigor corporis. vnde accidit vt hi qui ſedentes agunt, quanuis illis maxima ex parte ſuperſint eadem illa quæ ſtantibus, tamē hoc quòd ſedent, quaſi debilitentur & deprimantur. Recitantiū verò pręcipua pronūtiationis adiumēta, oculi, manus pręcediūtur: quo minus mirū eſt ſi auditorū intentiō langueſcit, nullis extrinſec⁹ aut blandimentis capta aut aculeis excitata. His accedit quòd oratio de qua loquor pugnax & contentioſa eſt. Porrò ita natura cōparatum eſt, vt ea quæ ſcripſimus cum labore, etiam cum labore audiri putemus. Et ſanè quotuſquiſque tam rectus auditor, quem nō potiùs dulcia hæc & ſonantia, quàm auſtera & preſſa delectent? Eſt quidem omnino turpis iſta diſcordia, eſt tamen, quia plerunque euenit vt aliud auditores, aliud iudices exigant, quū alioqui præcipuè auditor iis affici debeat,

quibus idem, si foret iudex, maximè permoueretur. Poteſt tamen fieri vt quanquam in his difficultatibus libro iſti nouitas lenocinetur, nouitas apud noſtros: apud Græcos enim eſt quiddam quamuis ex diuerſo; non tamen omnino diſſimile. Nam vt illis erat moris, leges quas vt contrarias prioribus legibus arguebant, aliarum collatione conuincere, ita nobis ineſſe repetundarum lege, quod poſtularemus, cùm hac ipſa lege, tum aliis colligendum fuit. quod nequaquam blandum auribus imperitorum tanto maiorem apud doctos habere gratiam debet, quanto minorem apud indoctos habet. nos autem ſi placuerit recitare, adhibituri ſumus eruditiſſimum quemque: ſed planè adhuc an ſit recitandum, examina tecum, omnéſque quos ego noui in vtraque parte calculos pone, ídque elige in quo vicerit ratio. à te enim ratio exigetur, nos excuſabit obſequium. Vale.

C. PLIN. CALVISIO SVO S. 20

ASSEM para, & accipe auream fabulam, fabulas immò. nam me priorum noua admonuit: nec refert à qua potiſſimùm incipiam. Verania Piſonis grauiter iacebat (huius dico Piſonis quem Galba adoptauit) ad hanc Regulus venit. Primùm impudentiam hominis, qui venerit ad ægram, cuius marito inimiciſſimus, ipſi inuiſiſſimus fuerat. Eſto, ſi venit tantùm: at ille etiam proximus thoro ſedit: quo die, qua hora nata eſſet, interrogauit. vbi audiuit, componit vultum. intendit oculos, mo-

uet labra, agitat digitos, computat nihil, nisi vt diu miseram expectatione suspendat. Habes(inquit)climatericum tempus, sed euades. quod vt tibi magis liqueat, aruspicem consulam, quem sum frequenter expertus. Nec mora: sacrificium facit, affirmat exta cũ syderum significatione congruere. Illa, vt in periculo credula, poscit codicillos. legatum Regulo scribit, mox ingrauescit, clamat moriens, O hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quàm periurum, qui sibi per salutem filij peierasset! Facit hoc Regulus non minùs sceleratè quàm frequenter, quòd iram deorũ quos ipse quotidie fallit, in caput infelicis pueri detestatur. Velleius Blęsus, ille locuples consularis, nouissima valetudine conflictabatur, cupiebat mutare testamentum: Regulus qui speraret aliquid ex nouis tabulis, quia nuper captare eum cœperat, medicos hortari, rogare, quoquo modo spiritum homini prorogarent. Postquam signatum est testamentum, mutat personam, vertit alloquutionem, iisdémque medicis, Quousque miserum cruciatis? quid inuidetis bonam mortem, cui dare vitam non potestis? moritur Blæsus: & tãquam omnia audisset, Regulo ne tantulum quidem. Sufficiunt duæ fabulæ, an scholastica lege tertiam poscis? est vnde fiat. Aurelia, ornata fœmina, signatura testamẽtum, sumpserat pulcherrimas tunicas: Regulus quum venisset ad signandum, Rogo, inquit, has mihi leges. Aurelia ludere hominem putabat, ille seriò instabat. nec multa: coëgit mulierem aperire tabulas, ac sibi tunicas quas erat induta legare: obseruauit scribentem, inspexit

an ſcripſiſſet. Et Aurelia quidem viuit, ille tamen iſtud tanquam morituram coëgit. & hic hęreditates, hic legata, quaſi mereatur, accipit. Ἀλλὰ τί διατείνομαι in ea ciuitate, in qua iāpridē nō minora pręmia, immò maiora, nequitia & improbitas quàm pudor & virtus habent? Aſpice Regulum, qui ex paupere & tenui ad tantas opes per flagitia proceſſit, vt ipſe mihi dixerit quum cōſuleret quàm citò ſeſtertiûm ſexcenties impleturus eſſet, inueniſſe ſe exta duplicata, quibus portendi millies & ducenties habiturum: & habebit, ſi modò, vt cœpit, aliena teſtamenta (quod eſt improbiſſimum genus falſi) ipſis quorum ſunt illa, dictauerit.

Vale.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPISTOLARVM

LIBER TERTIVS.

C. PLIN. CALVISIO SVO S. I

NEscio an vllum iucundius tempus exegerim quàm quo nuper apud Spurinnam fui: adeo quidem vt neminem magis in senectute, (si modò senescere datum est) æmulari velim. nihil est enim illo vitæ genere distinctius. me autem vt certus syderum cursus, ita vita hominum disposita delectat, senum præsertim. Nam iuuenes, adhuc confusa quædam & quasi turbata non indecent: senibus placida omnia & ordinata conueniunt, quibus industria sera, turpis ambitio est. Hanc regulam Spurinna constantissimè seruat: quinetiam parua hæc, parua, si nõ quotidie fiant, origine quodã & velut orbe circumagit. Manè lectulo continetur, hora secunda calceos poscit, ambulat millia passuum tria: nec minus animũ quàm corpus exercet. Si adsunt amici honestissimi, sermones explicantur: si non, liber legitur: interdũ etiam præsentibus amicis, si

tamen illi non grauantur. Deinde considet, & liber rursus, aut sermo libro potior: mox vehiculum ascendit: assumit vxorem singularis exempli, vel aliquem amicorum, vt me proximè. Quàm pulchrum illud, quàm dulce secretum! quantum ibi antiquitatis, quæ facta, quos viros audias, quibus præceptis imbuare! quanuis ille hoc temperamentum modestiæ suę indixerit, ne præcipere videatur. Peractis septem millibus passuum, iterum ambulat mille, iterum residet, vel se cubiculo ac stylo reddit. Scribit enim, & quidem vtraque lingua, lyrica doctissimè. mira illis dulcedo, mira suauitas, mira hilaritas, cuius gratiam cumulat sanctitas scribentis. Vbi hora balinei nuntiata est, (est autem hyeme nona, æstate octaua) in sole, si caret vento, ambulat nudus. Deinde mouetur pila vehementer & diu. nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute. Lotus accubat, & paulisper cibum differt. interim audit legentem remissius aliquid & dulcius. per hoc omne tempus liberum est amicis vel eadem agere, vel alia, si malint. Apponitur cœna non minus nitida quàm frugi in argento puro & antiquo, sunt in vsu & Corinthia, quibus delectatur, nec afficitur. Frequenter comœdis cœna distinguitur, vt voluptates quoque studiis condiantur. Sumit aliquid de nocte & æstate. nemini hoc longum est, tanta comitate conuiuium trahitur. Inde illi post septimũ & septuagesimum annum aurium oculorúmque vigor integer, inde agile & viuidum corpus, soláque ex senectute prudentia. Hãc ego vitam voto & cogitatione præsumo ingres-

surus auidissimè, vt primùm ratio ætatis receptui canere permiserit. Interim mille laboribus cõteror, quorũ mihi & solatiũ & exẽplum est idem Spurinna: nam ille quoque, quoad honestum fuit, obiit officia, gessit magistratus, prouincias rexit, multóque labore hoc otium meruit. Igitur eundem mihi cursum, eundem terminũ statuo, ídque iam nunc apud te subsigno: vt si me longiùs euehi videris, in ius voces ad hanc epistolam meam, & quiescere iubeas quum inertiæ crimen effugero. Vale.

C. PLIN. MAXIMO SVO S. 2

QVod ipse amicis tuis obtulissem si mihi eadem materia suppeteret, id nunc iure videor à te meis petiturus. Arrianus Maturius Altinatiũ est princeps. quum dico princeps, non de facultatibus loquor, quæ illi largè supersunt: sed de castitate, iustitia, grauitate, prudentia. Huius ego consilio, in negotiis: iudicio, in studiis vtor. nam plurimum fide, plurimum veritate, plurimum intelligentia præstat. Amat me (nihil possum ardentius dicere) vt tu caret ambitu: ideo se in equestri gradu tenuit, quum facilè posset ascendere altissimum. Mihi tamen ornandus excolendúsque est. itaque magni æstimo dignitati eius aliquid adstruere inopinantis, nescientis, immò etiam fortasse nolentis: adstruere autem quod sit splendidum nec molestum: cuius generis quæ prima occasio tibi, confesas in eum rogo: habebis me, habebis ipsum habebis ipsum gratissimum debitorem. Quã-

uis enim ista non appetat, tam gratè tamen excipit quàm si concupiscat. Vale.

C. PLIN. CORELLIÆ HISPVLAE S. 3

QVum patrem tuum, grauissimum & sanctissimum virum, suspexerim magis an amauerim dubitem: téque in memoriam eius & in honorem tuum vnicè diligam, cupiam necesse est, atque etiam, quantum in me fuerit, enitar vt filius tuus auo similis existat. equidem malo materno: quanquam illi paternus etiam clarus spectatúsque contigerit: pater quoque & patruus illustri laude conspicui, quibus omnibus ita demum similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit, quas plurimum refert à quo potissimùm accipiat. Adhuc illum pueritiæ ratio intra contubernium tuum tenuit, præceptores domi habuit, vbi est vel erroribus modica, vel etiã nulla materia: iam studia eius extra limen proferenda sunt, iam circumspiciẽdus rethor Latinus, cuius scholæ seueritas, pudor in primis, castitas constet. Adest enim adolescenti nostro cum cæteris naturæ fortunæque dotibus, eximia corporis pulchritudo, cui in hoc lubrico ætatis non præceptor modò, sed custos etiam rectórque quærendus est. Videor ego demonstrare tibi posse Iulium Genitorem, amatur à me, iudicio tamen meo non obstat charitas hominis, quæ ex iudicio nata est. vir est emendatus & grauis: paulò etiam horridior & durior, vt in hac licentia temporum quantum eloquẽtia valeat pluribus credere potest. nam dicendi facultas aperta &

expoſita ſtatim cernitur. Vita hominũ altos receſſus magnáſque latebras habet, cuius pro Genitore me ſponſorem accipe. Nihil ex hoc viro filius tuus audiet, niſi profuturum: nihil diſcet quod neſciſſe rectius fuerit: nec minus ſæpe ab illo quàm à te méque admonebitur, quibus imaginibus oneretur, quæ nomina & quanta ſuſtineat. Proinde fauentibus diis, trade eũ præceptori, à quo mores primùm, mox eloquentiam diſcat: quæ malè ſine moribus diſcitur. Vale.

C. PLIN. MACRINO SVO S. 4

QVãuis & amici quos præſentes habebã, & ſermones hominũ factũ meum comprobaſſe videantur, magni tamẽ æſtimo ſcire quid ſentias tu. Nã cuius integra re conſilium exquirere optaſſem, huius etiã peracta iudicium noſſe mirè cõcupiſco. Quum publicũ opus mea pecunia inchoaturus in Thuſcos excurriſſem, accepto, vt præfectus ærarii, commeatu, legati prouinciæ Bæticæ queſturi de proconſulatu Cęcilij Claſſici, aduocatũ me à ſenatu petierunt. Collegę optimi meiq; amãtiſſimi de cõmunis officij neceſſitatibus prælocuti, excuſare me & eximere tentarunt. Factum eſt ſenatuſconſultum perquàm honorificum, vt daret prouincialibus patronus, ſi ab ipſo me impetraſſent. Legati rurſus inducti, iterum me iam præſentem aduocatum poſtulauerunt, implorantes fidem meam quam eſſent contra Maſſam Bæbium experti, allegãtes patrocinij fœdus. Secuta eſt clariſſima ſenatus aſſenſio, quæ ſolet decreta præcurrere.

Tum ego, Desino (inquam) P. C. putare me iustas excusationis causas attulisse. placuit & modestia sermonis & ratio. Compulit autem me ad hoc consilium non solùm consensus senatus (quanquam hic maximè) verumetiam alij quidem minoris, sed tamen numeri. Veniebat in mentem priores nostros etiam singulorum hospitum iniurias accusationibus voluntariis executos, quo deformius arbitrabar publici hospitij iura negligere. Prętere quum recordarer quanta pro iisdem Bæticis priore aduocatione etiam pericula subiissem, conseruandum veteris officij meritum nouo videbatur. Est enim ita comparatũ vt antiquiora beneficia subuertas, nisi illa posterioribus cumules. nam quamlibet sæpe obligati, siquid vnum neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est. ducebar etiam quòd decesserat Classicus, amotúmque erat quod in eiusmodi causis solet esse tristissimũ periculum senatoris. Videbam ergo aduocationi meæ non minorem gratiam quàm si viueret ille, propositam, inuidiam nullam. In summa, computabam, si munere hoc iam tertio fungerer, faciliorem mihi excusationem fore, siquis incidisset quem nõ deberem accusare. Nam quum est omnium officiorum finis aliquis, tum optimè libertati venia obsequio præparatur. Audisti consilij mei motus, superest alterutra ex parte iudicium tuũ: in quo mihi æquè iucunda erit simplicitas dissentientis quàm comprobantis autoritas. Vale.

C. PLIN.

C. PLINIVS MARCO SVO S.

PErgratum est mihi quòd tam diligenter libros auunculi mei lectitas, vt habere omnes velis, quæráſque qui ſint omnes. Fungar indicis partibus: atque etiam quo ſint ordine ſcripti, notum tibi faciam. eſt enim hæc quoque ſtudioſis nõ iniuconda cognitio. De iaculatione equeſtri vnus: hunc, quum præfectus alæ militaret, pari ingenio curáque cõpoſuit. De vita Pomponij Secũdi duo, à quo ſingulariter amatus: hoc memoriæ amici, quaſi debitũ munus exoluit. Bellorum Germaniæ viginti, quibus omnia quę cum Germanis geſſimus bella collegit, inchoauit, quum in Germania militaret, ſomnio monitus. Adſtitit enim ei quieſcenti Druſi Neronis effigies, qui Germaniæ latiſſimè victor ibi periit: commendabat memoriam ſuam, orabátque vt ſe ab iniuria obliuionis aſſereret: Studioſi tres, in ſex volumina propter amplitudinem diuiſi: quibus oratorem ab incunabulis inſtituit & perfecit. Dubij ſermonis octo ſcripſit ſub Nerone nouiſſimis annis, quum omne ſtudiorum genus paulò liberiùs & erectiùs periculoſum ſeruitus feciſſet. A fine Aufidij Baſſi triginta vnus. Naturę hiſtoriarum triginta ſeptem, opus diffuſum, eruditum, nec minùs varium quàm ipſa natura. Miraris quòd tot volumina multáque in his tam ſcrupuloſa homo occupatus abſoluerit magis miraberis, ſi ſcieris illum aliquandiu cauſas actitaſſe, deceſſiſſe anno ſexto & quinquageſimo. medium tempus diſtentum

impeditúmque qua officiis maximis, qua amicitia principum egisse pernoscitur. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. lucubrare à Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi, statim à nocte multa: hyeme verò ab hora septima, vel quum tardissimè, octaua; sæpe, sexta. Erat sanè somni parcissimi: nonnunquam etiam inter studia instantis & deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem: nam ille quoque noctibus vtebatur: inde ad delegatum sibi officium, reuersus domum quod reliquum erat temporis, studiis reddebat. post cibum sæpè (quem interdiu leuem & facilem, veterum more, sumebat) æstate, si quid otij, iacebat in sole, liber legebatur, adnotabat excerpebátque. nihil enim legit quod non excerperet. Dicere etiam solebat, Nullum esse librum tam malum, vt non aliqua parte prodesset. Post solem plerunque frigida lauabatur, deinde gustabat, dormiebátque minimùm. Mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tempus: super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim. Memini quendam ex amicis quum lector quædam perperam pronuntiasset, reuocasse & repeti coegisse, huic auunculum meum dixisse, Intellexeras nempe? quum ille annuisset, Cur ergo reuocabas? decem ampliùs versus hac tua interpellatione perdidimus. tanta erat parcimonia temporis. Surgebat æstate à cœna, luces hyeme, intra primam noctis, & tanquam aliqua lege cogente hæc inter medios labores vrbísque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis exi-

mebatur. quum dico balinei, de interioribus loquor. nam dum distringitur tergitúrque, audiebat aliquid aut dictabat. In itinere, quasi solutus cæteris curis, huic vni vacabat, ad latus notarius cum libro & pugillaribus, cuius manus hyeme manicis muniebantur, vt ne cœli quidem asperitas vllum studij tempus eriperet: qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo cur ambularem, Poteras (inquit) has horas non perdere. nam perire omne tempus arbitrabatur quod studiis non impertiretur. Hac intentione tot ista volumina peregit, Electorúmque commentarios centum sexaginta, mihi reliquit, episthographos quidem & minutissimis scriptos: qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipse potuisse se, quum procuraret in Hispania, vendere hos commentarios Lartio Licinio, quadringentis millibus nummûm: & tunc aliquando pauciores erant. Nónne videtur tibi recordanti quantum legerit, quantum scripserit, nec in officiis vllis, nec in amicitia principum fuisse: rursus quum audis quid studiis laboris impenderit, nec scripsisse satis nec legisse? Quid est enim quod non aut illæ occupationes impedire, aut hæc instantia non possit efficere? Itaque soleo redire, quum me quidam studiosum vocant: qui si comparer illi, sum desidiosissimus: ego autẽ tantum, quem partim publica, partim amicorum officia distringunt. Quis ex istis qui tota vita literis assident, collatus illi, non quasi somno & inertię dedit erubescat? Extendi epistolam, quamuis hoc solùm quod

requirebas ſcribere deſtinaſſem, quos libros reliquiſſet. Confido tamen hæc quoque tibi non minùs grata quàm ipſos libros futura, quæ te non tantùm ad legendos eos, verumetiam ad ſimile aliquid elaborandum poſſunt æmulationis ſtimulis excitare. Vale.

C. PLIN. SEVERO SVO S. 6

EX hereditate quæ mihi obuenit, emi proximè Corinthiũ ſignum, modicum quidem, ſed feſtiuum & expreſſum, quantum ego ſapio, qui fortaſſe in omni re, in hac certè perquàm exiguum ſapio: hoc tamen ſignum ego quoque intelligo. eſt enim nudum, nec aut vitia, ſi qua ſunt, celat: aut laudes parum oſtentat. Effingit ſenem ſtantem: oſſa, muſculi, nerui, venæ, rugæ etiam vt ſpirantis apparent: rari & cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum: pendent lacerti, papillæ iacent, receſſit venter. A tergo quoque eadem ætas, vt à tergo æs ipſum, quantum verus color indicat, vetus & antiquum, talia denique omnia vt poſſint artificũ oculos tenere, delectare imperitorum. Quod me, quanquàm tyrunculum, ſolicitauit ad emendum. Emi autem, non vt haberem domi (neque enim vllum adhuc Corinthium domi habeo) verùm vt in patria noſtra celebri loco ponerem, ac potiſſimùm in Iouis templo. videtur enim dignum templo, dignum deo donum. Tu ergo, vt ſoles omnia quæ à me tibi iniunguntur, ſuſcipe hanc curam. & iam nunc iube baſim fieri, ex quo voles marmore, quæ

nomen meum honorésque capiat, si hos quoque putabis addendos: ego signum ipsum, vt primùm inuenero aliquem qui non grauetur, mittam tibi: vel ipse, quod mauis, adferam mecum, destino enim, si tamen officij ratio permiserit, excurrere istò. Gaudes quòd me venturum esse polliceor, sed contrahes frontem, quum adiecero, ad paucos dies. neque enim diutiùs abesse me sinunt eadem hęc quæ nondum exire patiuntur. Vale.

C. PLIN. CANINIO SVO S. 7

MOdò nuntiatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia vitam finisse. causa mortis, valetudo. erat illi natus insanabilis clauus, cuius tædio ad mortem irreuocabili cōstantia decurrit, vsque ad supremum diem beatus & felix, nisi quòd minorem è liberis duobus amisit, sed maiorem melirémque, florentem, atque etiam consularem, reliquit. Læserat famam suam sub Nerone, credebatur sponte accusâsse: sed in Vitellij amicitia sapienter se & comiter gesserat: ex proconsulatu Asiæ gloriam reportauerat: maculam veteris industriæ laudabili otio abluerat. Fuit inter principes ciuitatis sine potentia, sine inuidia. Salutabatur, colebatur, multúmque in lectulo iacens, cubiculo semper non ex fortuna frequenti. Doctissimis sermonibus dies transigebat, quum à scribendo vacaret. scribebat carmina maiore cura quàm ingenio, nōnúnquam iudicia hominum

recitationibus experiebatur. Nouissimè ita suadentibus annis ab vrbe secessit, seque in Campania tenuit, ac ne aduentu quidem noui principis inde commotus est. Magna Cæsaris laus, sub quo hoc liberum fuit: magna illius qui hac libertate ausus est vti; erat φιλόκαλος vsque ad emacitatis reprehensionem. plures iisdem in locis villas possidebat, adamatisque nouis, priores negligebat: multum vbique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modò, verumetiam venerabatur: Vergilij ante omnes, cuius natalem religiosiùs quàm suum celebrabat, Neapoli maximè, vbi monumẽtum eius adire, vt templum, solebat. In hac tranquillitate annum quintum & septuagesimum excessit, delicato magis corpore quàm infirmo. Vtque nouissimus à Nerone factus est consul, ita postremus ex omnibus quos Nero consules fecerat, decessit. Illud etiam notabile, vltimus ex Neronianis cõsularibus obiit, quo consule Nero periit. quod me recordantem, fragilitatis humanæ miseratio subit. Quid enim tam circumcisum, tam breue, quàm hominis vita longissima? Annon videtur tibi Nero modò fuisse, quum interim ex iis qui sub illo gesserant consulatum, nemo iam superest? Quanquam quid hoc miror? nuper Lucius Piso, pater Pisonis illius qui à Valerio Festo per summum facinus in Africa occisus est, dicere solebat, Neminem se videre in senatu, quem Cos. ipse sententiam rogauisset. Tam angustis terminis, tantæ multitudinis viuacitas ipsa concluditur, vt mihi non venia solùm dignæ, verumetiam laude

videantur illæ regiæ lacrymę. Nam ferunt Xerxem, quum immensum exercitum oculis obiisset, illacrymasse quòd tot millibus tam breuis immineret occasus: sed tanto magis hoc quidquid est temporis futilis & caduci, si non datur factis. nam horum materia in aliena manu, nos certè studiis proferamus: & quatenus nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur. Scio te stimulis non egere, me tamen tui charitas euocat, vt currentem quoque instigem sicut tu soles me, ἀγαθὴ δ' ἔρις, quum inuicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. Vale.

C. PLIN. TRANQVILLO SVO S.

8

FAcis pro cætera reuerentia quã mihi præstas, quòd tam solicitè petis vt tribunatum quẽ à Neratio Marcello, clarissimo viro, impetraui tibi, in Cæsennium Syluanum propinquum tuum transferam: Mihi autem, sicut iucundissimum, ipsum te tribunum, ita non minùs gratum, alium per te videre. neque enim esse congruens arbitror, quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulos inuidere, qui sunt omnibus honoribus pulchriores. Video etiam, cùm sit egregium & mereri beneficia, & dare, vtranque te laudem simul assequuturum, si quod ipse meruisti, aliis tribuas. Præterea intelligo mihi quoque gloriæ fore, si ex hoc tuo facto non fuerit ignotum amicos meos non gerere tãtùm tribunatus posse, verùmetiam dare. quare ego

verò honestissimè voluntati tuæ pareo. neque enim adhuc nomen in numeros relatum est. ideóque liberum est nobis Syluanum in locum tuum subdere: cui cupio tam gratum esse munus tuum quàm tibi meum est. Vale.

C. PLINIVS MINVTIANO SVO S. 9

POssum iam perscribere tibi quantum in publica prouinciæ Bæticæ causa laboris exhauserim. nam fuit multiplex, actáque est sæpius cum magna varietate. Vnde varietas? vnde plures actiones? Cæcilius Classicus, homo fœdus & apertè malus, proconsulatum in ea non minùs violenter quàm sordidè gesserat eodem anno quo in Africa Marius Priscus. Erat autem Priscus ex Bætica, ex Africa Classicus. Inde dictum Bæticorum, vt plerunque dolor etiam venustos facit, non illepidum ferebatur. Dedi malũ, & accepi: sed Marium vna ciuitas publicè, multíque priuati reum peregerunt: in Classicum tota prouincia incubuit. Ille accusationem vel fortuita vel voluntaria morte præuertit: nam fuit mors eius infamis: ambigua tamen. Vt enim credibile videbatur voluisse exire de vita, quum defendi non posset, ita (mirum) pudorem damnationis morte fugisse, quem non puduisset damnanda committere. Nihilominus Bætica etiam in defuncti accusatione perstabat: prouisum hoc legibus, intermissum tamen, & post longam intercapedinem tunc reductum, addiderunt Bætici, quod simul socios ministrósque Classici detu-

detulerunt: nominatímque in eos inquisitionem postulauerunt. Aderam Bæticis: mecúmque Luccius Albius, vir in dicendo copiosus, ornatus, quem ego quum olim mutuò diligerem, ex hac officij societate amare ardentiùs cœpi. Habet quidem gloria, in studiis præsertim, quiddam ἀκοινώνητον, nobis tamen nullum certamen, nulla contentio: quum vtérque pari iugo, non pro se, sed pro causa niteretur. Cuius & magnitudo & vtilitas visa est postulare ne tãtum oneris singulis actionib' subiremus. Verebamur ne nos dies, ne vox, ne latera deficerent: si tot crimina, tot reos vno velut fasce complecteremur: deinde ne iudicum intentio multis nominibus multísque causis non lassaretur modò, verumetiam confunderetur: mox ne gratia singulorum collata atque permista pro singulis quoque vires omnium acciperet: postremò, ne potentissimi, vilissimo quoque quasi piaculari dato, alienis pœnis elaberentur. Etenim tum maximè fauor & ambitio dominatur, quum sub aliqua specie seueritatis delitescere potest. Erat in consilio Sertorianum illud exemplum, qui robustissimum & infirmissimum militem iussit caudam equi: reliqua nosti. Nam nos quoque tã numerosum agmen reorum ita demum videbamus posse superari, si per singulos carperetur. Placuit in primis ipsum Classicum ostendere nocentem: hic aptissimus ad socios eius & ministros transitus erat, quia socij ministríque probari, nisi illo nocente, non poterant. Ex quibus duos statim Classico iunximus, Bæbium Probum, & Fabium Hispanũ: vtrũque gratia,

Hispanum etiam facundia validum. & circa Classicum quidem breuis & expeditus labor: sua manu reliquerat scriptum quid ex quaque, quid ex quaque causa accepisset. Miserat etiam epistolas Romam ad amiculam quandam, iactantes & gloriosas, his quidem verbis, Io io, liber ad te venio: iam sestertiûm quadragies redegi, parte vendita Bæticorum. Circa Hispanum & probum multum sudoris. Horum antequam crimina ingrederer, necessarium credidi elaborare vt cōstaret ministerium crimen esse, quod nisi effecissem, frustrà ministros probassem. Neque enim ita defendebatur, vt negarent, sed vt necessitati veniam precarentur. esse enim se prouinciales, & ad omne proconsulum imperium metu cogi. Solet dicere Claudius Restitutus, qui mihi respondit, vir exercitatus & vigilans, & quālibet subitis paratus, nunquam sibi tātum caliginis, tantum perturbationis effusum, quàm quum ea prærepta & extorta defensioni suæ cerneret, in quibus omnem fiduciam reponebat. Consilij nostri exitus fuit: bona Classici quæ habuisset ante prouinciam, placuit senatui à reliquis separari: illa filiæ, hæc spoliatis relinqui. Additum est, vt pecuniæ quas creditoribus soluerat, reuocarentur. Hispanus & Probus in quinquennium relegati. Adeo graue visum est, quòd initio dubitabatur an omnino crimen esset. Post paucos dies Clauium Fuscum, Classici generum, & Stillonium Priscum, qui tribunus cohortis sub Classico fuerat, accusauimus, dispari euentu Prisco in biennium Italia interdictum: absolutus est Fuscus. Actione tertia commodissi-

mum putauimus plures congregare, ne, si longiùs esset extracta cognitio, satietate & tædio quodam iustitia cognoscentium seueritásque lãguesceret: alioqui supererant minores rei, data opera hunc in locũ reseruati: excepta tamẽ Classici vxore, quę sicut implicita suspicionibus, ita non satis cõuinci probationibus visa est. Nam Classici filia, quæ & ipsa inter reos erat, ne suspicionibus quidem hærebat, itaque quum ad nomẽ eius in extrema actione venissem (neque enim vt initio, sic etiam in fine verendũ erat ne per hoc totius accusationis autoritas minueretur) honestissimum credidi non premere immerentem: ídque ipsum dixi & liberè & variè. nam modò legatos interrogabam, docuissént ne me aliquid, quod reprobari posse confiderent: modò consilium à senatu petebam, putarétne debere me, si quam haberem in dicendo facultatem, in iugulum innocentis, quasi telum aliquod intendere: postremò totum locũ hoc fine conclusi. Dicet aliquis, Iudicas ergo? Ego verò non iudico: memini tamen me aduocatum ex iudicibus datum. Hic numerosissimæ causæ terminus fuit, quibusdam absolutis, pluribus damnatis, atque etiam relegatis, aliis in tempus, aliis in perpetuum. Eodem senatuscõsulto industria, fides, cõstantia nostra plenissimo testimonio cõprobata est: dignum solúmque par pretium tanti laboris. Cõcipere animo potes quàm simus fatigati; quibus toties agendũ, toties altercandũ, tam multi testes interrogandi, subleuandi, refutandi. Iam illa quàm ardua, quàm molesta, tot reorum amicis secreto rogantibus negare,

aduersantibus palàm obsistere? Referam vnum aliquod ex iis quæ dixi. Quum mihi quidam è iudicibus ipsis pro reo gratiosissimo reclamarent, Non minus (inquam) hic innocens erit, si ego omnia dixero. Coniectabis ex hoc quantas contentiones, quantas etiam offensas subierimus, duntaxat ad breue tempus. nam fides in præsentia eos quib' resistit, offendit: deinde ab illis ipsis suspicitur laudatúrque. Non potui magis te in rem præsentem perducere. Dices, Non fuit tanti. quid enim mihi cum tam longa epistola? Nolito ergo identidem quęrere quid Romę geratur: & tamen memento esse non epistolam lõgam, quæ tot dies, tot cognitiones, tot denique reos causásque complexa sit. Quæ omnia videor mihi nõ minus breuiter quàm diligenter persequutus. Temerè dixi diligẽter: succurrit quod præterieram, & quidem serò: sed, quanquam præposterè, reddetur. facit hoc Homer', multíque illius exemplo. est alioqui perdecorum: à me tamen non ideo fiet. E testibus quidam, siue iratus quòd euocatus esset inuitus, siue subornatus ab aliquo reorum, vt accusationem exarmaret, Norbanum Licinianum, legatum & inquisitorem, reum postulauit: tanquã in causa Castę vxor hæc Classici præuaricaretur. Est lege cautum vt reus antè peragatur, tunc de præuaricatore quæratur: videlicet quia optimè ex accusatione ipsa accusatoris fides æstimatur. Norbano tamen non ordo legis, non legati nomen, non inquisitionis officium præsidio fuit: tanta conflagrauit inuidia homo

alioqui flagitiosus, & Domitiani temporib⁹ vsus, vt multi, electúsque tunc à prouincia ad inquirendum, non tanquam bonus & fidelis, sed tanquam Classici inimicus. Erat ab illo relegatus: dari sibi diem ad diluenda crimina postulauit. Neutrum impetrauit, coactus est statim respondere: respondit, malum prauúmque ingenium hominis facit vt dubitem confidenter an constanter, certè, paratissimè: Obiecta sunt multa, quæ magis quàm præuaricatio nocuerunt. Quinetiam duo consulares, Pomponius Rufus & Libo Frugi, læserunt eum testimonio, tanquam apud iudicē sub Domitiano Saluij Liberalis accusatoribus adfuisset: damnatus & in insulam relegatus est. Itaque quum Castam accusarem, nihil magis pressi quàm quòd accusator eius, prçuaricationis crimine corruisset. pressi tamen frustrà. accidit enim res contraria & noua, vt accusatore præuaricationis damnato, rea absolueretur. Quæris quid nos dum hæc aguntur? Indicáuimus senatui, ex Norbano didicisse nos publicam causam, rursúsque debere ex integro discere, si ille præuaricator probaretur. Atque ita dum ille peragitur reus, sedimus. postea Norbanus omnibus diebus cognitionis interfuit: eandémque vsque ad extremum vel constantiam vel audaciam pertulit. Interrogo ipse me an aliquid omiserim: rursus & rursus penè omisi. Summo die Saluius Liberalis reliquos legatos grauiter increpuit, tanquam non omnes quos mandasset prouincia, reos peregissent. atque, vt est vehemens & disertus, in discrimen ad-

duxit. Protexi viros optimos, eosdémque gratissimos: mihi certè debere se prædicant, quòd illum turbinem euaserint. Hic erit epistolæ finis, re vera finis: literam non addam, etiamsi adhuc aliquid præteriisse me sensero. Vale.

C. PLIN. SPVRINNÆ SVO ET COCCIÆ S. 10

COmposuisse me quædam de filio vestro non dixi vobis, quum proximè apud vos fui. primùm, quia non ideo scripseram vt dicerem, sed vt meo amori, meo dolori satisfacerem: deinde, quia te Spurinna quum audisses recitasse me, vt mihi ipse dixisti, quid recitassem, simul audisse credebam. prætærea veritus sum ne vos festis diebus cõfunderem, si in memoriam grauissimi luctus reduxissem. Nunc quoque paulisper hæsitaui; id solum quod recitaui, mitterem exigentibus vobis, an adiicerem quæ in aliud volumen cogito reseruare. neque enim affectibus meis vno libello charissimam mihi & sanctissimam memoriam prosequi satis est: cuius tamæ latiùs consuletur si dispensatà & digesta fuerit. Verùm hæsitanti mihi, omnia quæ iam composui, vobis exhiberem, an adhuc aliqua differrem, simpliciùs & amiciùs mihi vsum est, omnia, præcipuè cùm affirmetis intra vos futura, donec placeat, emittere. Quod superest, rogo vt pari simplicitate, siqua existima-

bitis addenda, commutanda, omittenda iudicetis. mihi difficile est hucúsque intendere animum in dolore: difficile, sed tamen vt sculptorem, vt pictorem, qui filij vestri imaginem faceret admoneretis quid exprimere, quid emendare deberet: ita me quoque formate, regite, qui non fragilem & caducam, sed immortalem, vt vos putatis, effigiem cónor efficere: quæ hoc diuturnior erit, quo verior, melior, absolutior fuerit. Vale.

C. PLIN. IVLIO GENITORI SVO S. II

EST omnino Artemidori nostri tam benigna natura, vt officia amicorum in maius extollat: inde etiam meum meritum, vt vera, ita supra meritum prædicatione circumfert. Equidem quum essent philosophi ab vrbe summoti, fui apud illum in suburbano: & quo notabilius, hoc est periculosius esset, fui prætor. pecuniam etiam qua tunc illi ampliore opus erat, vt æs alienum exolueret, contractum ex pulcherrimis causis, mussantibus magnis quibusdam & locupletibus amicis, mutuatus ipse, gratuitam dedi. Atque hæc feci cum septem amicis meis aut occisis aut relegatis: occisis, Senecione, Rustico, Heluinio: relegatis Maurico, Gratilla, Arria, Fannia. Tot circa me iactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis

quibusdam notis augurarer. Non ideo tamen eximiam gloriam meruisse me, vt ille prædicat, credo: sed tantùm effugisse flagitium. Nam & C. Musonium socerum eius, quantū licitum est per ætatem, cum admiratione dilexi, & Artemidorum ipsum iam tum quum in Syria tribunus militarem, arcta familiaritate complexus sum: idque primùm nonnullius indolis dedi specimen: quòd virum aut sapientem aut proximum, simillimúmque sapienti intelligere sum visus. Nam ex omnibus qui nunc se philosophos vocāt, vix vnum aut alterum inuenies tanta sinceritate, tanta veritate. mitto qua patientia corporis hyemes iuxtà & æstates ferat, vt nullis laboribus cedat, vt nihil in cibo aut potu voluptatibus tribuat, vt oculos animúmque contineat. Sunt hæc magna, sed in alio: in hoc verò, minima, si cæteris virtutibus comparentur, quibus meruit vt à C. Musonio ex omnibus omnium ordinum assectatoribus gener assumeretur. Quæ mihi recordāri est quidem iucundum, quòd me cùm apud alios, tum apud te tantis laudibus cumulat. vereor tamen ne modum excedat, quem benignitas eius (illuc enim vnde cœpit reuertor) non solet tenere. Nam in hoc vno interdum vir alioqui prudentissimus, honesto quidem, sed tamen errore versatur, quòd pluris amicos suos quàm sunt arbitratur. Vale.

C. PLIN. CATILIO SVO. 6. 12

Veniam ad cœnam, sed iam nunc paciscor, sit expedita, sit parca, Socraticis tantùm sermonibus abundet: in his quoque teneat modum. Erunt officia anteluceana, in quæ incidere impunè ne Catoni quidem licuit. quē tamen C. Cæsar ita reprehendit vt laudet. describit enim eos quibus obuius fuerat, quū caput ebrij retexissent, erubuisse: deinde adiicit, Putares non ab illis Catonem, sed illos à Catone deprehensos. Potuitne plus autoritatis tribui Catoni quàm si ebrius quoque tam venerabilis erat? Nostræ tamen cœnæ vt apparatus & impendij, sic temporis modus constet. neque enim ij sumus quos vituperare ne inimici quidem possint, nisi vt simul laudent. Vale.

C. PLIN. ROMANO SVO S. 13

Librum quo nuper optimo principi cōsul gratias egi, misi exigenti tibi, missurus etsi non exegisses. In hoc consideres velim vt pulchritudinem materiæ, ita difficultatem. in cæteris enim lectorem nouitas ipsa intentum habet: in hoc, nota, vulgata dicta sunt omnia: quo fit vt quasi otiosus securúsque lector tātùm eloquutioni vacet, in qua satisfacere difficilius est, quum sola æstimatur. Atque vtinam ordo saltem & transitus & figuræ simul spectarentur. nam inuenire præclarè, enunciare magnificè interdum etiam barbari solent: disponere aptè, figurare variè, nisi eruditis, negatum est. Nec verò affectāda sunt semper elata & excelsa. nam vt in pictura lumen non

alia res magis quàm vmbra commendat, ita orationem tam summittere quàm attollere decet. Sed quid ego hæc doctissimo viro? quin potius illud, annota quæ putaueris corrigenda. ita enim magis credam cætera tibi placere, si quædam displicuisse cognouero. Vale.

C. PLIN. ACILIO SVO S. 14

REM atrocem, nec tantùm epistola dignam Largius Macedo, vir prætorius, à seruis suis passus est, superbus alioqui dominus & sæuus, & qui seruisse patrem suum parum, immò minimum meminisset. Lauabatur in villa Formiana. repentè eum serui circumsistunt: alius fauces inuadit, alius os verberat, alius pectus & ventrem, atque etiam (fœdum dictu) verenda contundit: & quum exanimē putarent, abiiciunt in feruens pauimentum, vt experirentur an viueret. Ille, siue quia non sentiebat, siue quia se non sentire simulabat, immobilis & extentus fidem peractæ mortis impleuit. tum demum, quasi æstu solutus, effertur: excipiunt serui fideliores: concubinæ cum vlulatu & clamore concurrunt. Ita & vocibus excitatus, & recreatus loci frigore, sublatis oculis agitatóque corpore, viuere se (& iam tutum erat) confitetur. Diffugiunt serui, quorum magna pars comprehensa est, cæteri requiruntur: ipse paucis diebus ægrè refocillatus, non sine vltionis solatio decessit, ita viuus vindicatus vt occisi solent. Vides quot periculis, quot contumeliis, quot ludibriis si-

mus obnoxij: nec est quòd quisquam possit esse securus, quia sit remissus & mitis. non enim iudicio domini, sed scelere perimuntur. Verùm hęc hactenus. Quid præterea noui? Quid? nihil, alioqui subiungerem. Nam & charta adhuc superest, & dies feriatus patitur plura contexi. Addam quod opportunè de eodem Macedone succurrit, quum in publico Romæ lauaretur, notabilis atque etiam, vt exitus docuit, ominosa res accidit. Eques Romanus à seruo eius, vt transitum daret manu leuiter admonitus, conuertit se, nec seruum à quo erat tactus, sed ipsum Macedonem tam grauiter palma percussit, vt penè consideret. Ita balneum illi, quasi per gradus quosdam primùm contumelię locus, deinde exitij fuit. Vale.

C. PLINIVS PROCVLO SVO. S. 15

PEtis vt libellos tuos in secessu legam, examinémque an editione sint digni: adhibes preces: allegas exemplum. Rogas etiam vt aliquid succisiui tẽporis studiis meis subtraham, impertiam tuis: adiicis M. Tullium mira benignitate poëtarum ingenia fouisse. Sed ego nec rogandus sum, nec hortandus, nã & poëticen ipsam religiosissimè veneror, & te validissimè diligo. Faciam ergo quod desideras tam diligenter quàm libenter. Videor autem iam nunc posse rescribere esse opus pulchrum, nec supprimendũ, quãtũ æstimare licuit ex iis quæ me prę̃sẽte recitasti; si modò mihi non imposuit recitatio tua. legis enim suauissimè & peritissimè. Confido tamen me

non ſic auribus duci, vt omnes aculei iudicij mei illarum delinimentis refringantur: hebetantur fortaſſe, & paululum retunduntur, reuelli quidem extorquerique non poſſunt. Igitur non temerè iam nunc de vniuerſitate pronuntio: de partibus experiar legendò. Vale.

C. PLIN. NEPOTI SVO S. 16

ADnotaſſe videor facta dictáque virorum fœminarúmque illuſtrium alia clariora eſſe, alia maiora: confirmata eſt opinio mea heſterno Fanniæ ſermone. neptis hæc Arriæ illius quæ marito & ſolatium mortis & exēplum fuit. Multa referebat auiæ ſuæ non minora hoc, ſed obſcuriora: quæ tibi exiſtimo tam mirabilia legenti fore, quàm mihi audiēti fuerunt. Ægrotabat Cæcinna Pætus, maritus eius: ægrotabat & filius. vterque mortiferè, vt videbatur. filius deceſſit eximia pulchritudine, pari verecūdia, & parentibus non minùs ob alia charus quàm quòd filius erat. huic illa ita funus parauit, ita duxit exequias, vt ignoraret maritus. quinimmò quoties cubiculum eius intraret, viuere filium atque etiā commodiorem eſſe ſimulabat. Ac perſępe interroganti quid ageret puer, reſpondebat, Bene quieuit, libenter cibum ſumpſit. Deinde quum diu cohibitæ lacrymæ vincerent prorumperéntque, egrediebatur, tunc ſe dolori dabat. ſatiata ſiccis oculis, compoſito vultu redibat, tanquam orbitatem foris reliquiſſet. Præclarum quidem illud eiuſdem, ferrum

ſtringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac penè diuinam, Pæte non dolet. Sed tamen iſta facienti dicentíque gloria & æternitas ante oculos erunt: quo maius eſt ſine præmio æternitatis, ſine præmio gloriæ abdere lacrymas, operire luctum, amiſſóque filio matrem adhuc agere. Scribonianus arma Illyrico contra Claudium mouerat: fuerat Pætus in partibus, & occiſo Scriboniano, Romam trahebatur. Erat aſcenſurus nauem, Arria milites orabat vt ſimul imponeretur. Nempe enim (inquit) daturi eſtis conſulari viro ſeruulos aliquos quorum è manu cibum capiat, à quibus veſtiatur, à quibus calcietur: omnia vel ſola præſtabo. Non impetrauit. Conduxit piſcatoriam nauiculam, ingénſque nauigium minimo ſecuta eſt. Eadem apud Claudium vxori Scriboniani, quum illa profiteretur indicium, Ego (inquit) te audiam, cuius in gremio Scribonianus occiſus eſt, & viuis? Ex quo manifeſtum eſt, ei conſilium pulcherrimæ mortis non ſubitum fuiſſe. Quinetiam quum Thraſea gener eius deprecaretur ne mori pergeret, intérque alia dixiſſet, Tu vis ergo filiam tuam, ſi mihi pereundum fuerit, mori mecum? reſpondit, Si tamdiu tantáque concordia vixerit tecum, quàm egó cum Pæto, volo. Auxerat hoc reſponſo curam ſuorum. Attentiùs cuſtodiebatur, ſenſit, &, Nihil agitis, inquit. poteſtis enim efficere vt malè moriar, non poteſtis. Dum hæc dicit, exiluit cathedram, aduerſóque parieti caput ingenti impetu impegit, & corruit. Refocillata, Dixeram (inquit) vobis, inuenturam me quam-

libet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis. Videntúrne hæc tibi maiora illo, Pæte non dolet, ad quod per hæc peruentum est? quum interim illud quidem ingens fama, hæc, nulla circumfert. Vnde colligitur quod initio dixi, alia esse clariora, alia maiora. Vale.

C. PLIN. SERVIANO SVO S. 17

REcténe omnia, quòd iampridem epistolæ tuæ cessant, ánnon omnia rectè? sed occupatus es tu, an tu non occupatus? sed occasio scribendi vel rara, vel nulla? Exime hũc mihi scrupulum, cui par esse nõ possum. Exime autẽ vel data opera tabellario misso: ego viaticum, ego etiam præmium dabo, nuntiet mihi modò quod opto. Ipse valeo; si valere est, suspensum & anxium viuere, expectãtem in horas, timentémque pro capite amicissimo quicquid accidere homini potest. Vale.

C. PLIN. SEVERO SVO. S. 18

OFficium cõsulatus iniũxit mihi vt reip. nomine principi gratias agerem: quod ego in senatu quum ad rationem & loci & temporis ex more fecissem, bono ciui conuenientissimum credidi, eadem illa spatiosiùs & vberiùs volumine amplecti. Primùm vt Imperatori nostro virtutes suæ veris laudibus commendarentur: deinde vt futuri principes non quasi à magistro, sed tamen sub exemplo

præmonerentur qua potissimùm via possent ad eandem gloriam niti. Nam præcipere qualis esse debeat princeps, pulchrũ quidem, sed onerosum ac propè superbum est: laudare verò optimum principem, ac per hoc posteris, velut è specula, lumen quod sequãtur ostẽdere, idem vtilitatis habet, arrogãtię nihil. Cepi autem non mediocrem voluptatẽ, quòd hunc librum quum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos, sed si commodum esset, & si valdè vacaret, admoniti. nunquam porro, aut valdè rarò, vacat Romę, aut commodum est audire recitantem. fœdissimis insuper tempestatibus per biduum conuenerunt; quúmque modestia mea finem recitationi facere voluisset, vt adiicerem tertium diem exegerunt. Mihi hunc honorem habitum putem, an studiis? studiis malo, quæ propè extincta refouentur. At cui materiæ hanc sedulitatem præstiterunt? nempe quam in senatu quoque, vbi perpeti necesse erat, grauari tamen vel puncto temporis solebamus, eandem nunc & qui recitare & qui audire triduo velint, inueniuntur: non quia eloquentiùs quàm priùs, sed quia liberiùs, ideóque etiam libentiùs scribitur. Accedet ergo hoc quoque laudibus principis nostri, quòd res antea tam inuisa quàm falsa, nũc vt vera, ita amabilis facta est. Sed ego cùm studium audiẽtium, tum iudiciũ mirè probaui. animaduerti enim seuerissima quæque vel maximè satisfacere. Memini quidem me non multis recitasse quod omnibus scripsi; nihilominùs tamen, tanquam sit eorum omnium futura sententia, hac seueritate

aurium lętor. Ac ſicut olim theatra malè muſicos canere docuerunt, ita nunc in ſpem adducor poſſe fieri vt eadem theatra bene canere muſicos doceant. Omnes enim qui placendi cauſa ſcribunt, qualia placere viderint, ſcribent: at mihi quidem confido in hoc genere materiæ latioris ſtyli conſtare rationem, quũ ea potius quæ preſſiùs & adſtrictiùs, quàm illa quæ hilariùs & quaſi exultantiùs ſcripſi, poſſint videri accerſita & inducta. Non ideo tamen ſegniùs precor vt quandoque veniat dies: vtinámque iam venerit, quò auſteris illis ſeueríſque dulcia hæc blandáque vel iuſta poſſeſſione decedant. Habes acta mea tridui, quibus cognitis volui tantum te voluptatis abſentem, & ſtudiorum nomine & meo capere, quantùm præſens percipere potuiſſes. Vale.

C. PLIN. CALVISIO RVFO SVO S. 19

ASſumo te in conſilium rei familiaris, vt ſoleo. Prædia agris meis vicina, atque etiam inserta venalia ſunt: in his me multa ſolicitant, aliqua nec minora deterrent. Solicitat primùm ipſa pulchritudo iungendi: deinde, quòd non minus vtile quàm voluptuoſum, poſſe vtraque eadem opera, eodem viatico inuiſere, ſub eodem procuratore, ac penè iiſdem actoribus habere, vnam villam colere & ornare, alteram tantùm tueri. Ineſt huic cõputationi ſumptus ſupellectilis, ſumptus atrienſiũ, topiariorũ fabrorũ, atq; etiam venatorij inſtrumenti: quæ plurimum refert, vnum

vnum in locum conferas, an in diuersa disspergas. Contrà, vereôr ne sit incautum, rem tam magnam iisdem tempestatibus, iisdem casibus subdere. Tutiùs videtur incerta fortunæ possessionum varietatibus experiri. Habet etiam multum iucunditatis soli cœlique mutatio, ipsáque illa peregrinatio intersita. Iam, quod deliberationis nostræ caput est, agri sunt fertiles, pingues, aquosi : constant campis, vineis, syluis, quæ materiam & ex ea redditum sicut modicum, ita statum præstant. Sed hæc felicitas terræ imbecillis cultoribus fatigatur, nam possessor prior sæpiùs vendidit pignora : & dum reliqua colonorum minuit ad tempus, vires in pôsterum exhausit, quarum defectione rursus reliqua creuerunt. Sunt ergo instruendi complures frugi mancipes, nam nec ipse vsquam vinctos habeo, nec ibi quisquam superest. Vt scias quanti videantur posse emi, sestertio tricies : non quia non aliquando quinquagies fuerint, verùm & hac penuria colonorum & communi temporis iniquitate, vt redditus agrorum, sic etiam pretium retrò abiit. Quæris an hoc ipsum tricies facilè colligere possimus ? sum quidem propè totus in prædiis, aliquid tamē fœnore nec molestum erit mutuari. accipiam à socru, cuius arca non secus ac mea vtor. Proinde hoc te non moueat si cætera non refragantur quæ velim quàm diligentissimè examines. Nam cùm in omnibus rebus, tum in disponendis facultatibus plurimum tibi & vsus & prouidentiæ superest. Vale.

C. PLIN. MAXIMO SVO S.

20

MEministíne te ſæpe legiſſe quantas contentiones excitarit lex tabellaria, quantúmque ipſi latori vel gloriæ vel reprehenſionis attulerit? At nunc in ſenatu ſine vlla diſſenſione hoc quidem, vt optimum placuit. Omnes comitiorum die tabellas poſtulauerunt. Exceſſeramus ſanè manifeſtis illis apertíſque ſuffragiis licentiam concionum. non tempus loquendi, non tacendi modeſtia, non denique ſedendi dignitas cuſtodiebatur. Magni vndique diſſonique clamores: procurrebant omnes cum ſuis candidatis: multa agmina in medio, multíque circuli & indecora confuſio: adeo deſciueramus à conſuetudine parentum, apud quos omnia diſpoſita, moderata, tranquilla, maieſtatem loci pudorémque retinebant. Superſunt ſenes, ex quibus audire ſoleo hunc ordinem comitiorum. Citato nomine candidati, ſilentium ſummum. Dicebat ipſe pro ſe, vitam ſuam explicabat, teſtes & laudatores dabat, vel eum ſub quo militauerat, vel eum cui quæſtor fuerat, vel vtrunque, ſi poterat. Addebat quoſdam ex ſuffragatoribus: illi grauiter & paucis loquebantur. plus hoc quàm preces proderat. Nonnunquam candidatus aut natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat. Audiebat ſenatus grauitate cenſoria, ita ſæpiùs digni quàm gratioſi præualebant. Quæ nunc immodico fauore corrupta, ad tacita ſuffragia, quaſi ad remedium decurrerunt. quod interim planè remedium fuit: erat enim nouum

& subitum. sed vereor ne procedēte tempore ex ipso remedio vitia nascantur est enim periculum ne tacitis suffragiis impudentia irrepat. Nam quotocuique eadē honestatis cura secreto, quæ palàm? Multi famam, conscientiam pauci verētur. Sed nimis citò de futuris: interim beneficio tabellarum habebimus magistratus, qui maximè fieri debuerunt. nam vt in recuperatoriis iudiciis, sic nos in his comitiis, quasi repentè apprehensi, sinceri iudices fuimus. Hæc tibi scripsi, primùm vt aliquid noui scriberem, deinde vt nonnunquam de repub loquerer, cuius materiæ nobis quanto rarior quàm veteribus, occasio tanto minùs omittenda est. Et hercule quousque illa vulgaria? Eho, quid agis? ecquid commodè vales? Habeāt nostræ quoque literæ aliquid nō humile, nec sordidum, nec priuatis rebus inclusum. Sunt quidem cuncta sub vnius arbitrio, qui pro vtilitate cōmuni solus omnium curas laborésque suscepit: quidam tamen salubri quodam temperamento ad nos quoque, velut riui ex illo benignissimo fonte decurrunt, quos & haurire ipsi, & absentibus amicis quasi ministrare epistolis possumus. Vale.

C. PLIN. PRISCO SVO S. 21

AVdio Valerium Martialem decessisse, & molestè fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum in scribendo & salis haberet & fellis, nec candoris minus. Prosecutus eram viatico secedentē. dederam

hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis quos de me composuit. Fuit moris antiqui, eos qui vel singulorum laudes vel vrbium scripserāt, aut honoribus aut pecunia ornare: nostris verò temporibus, vt alia speciosa & egregia, ita hoc in primis exoleuit. Nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quæris qui sint versiculi quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem: tu, si placuerint hi, cæteros in libro requires. Alloquitur Musam, mandat vt domum meam in Exquiliis quærat, adeat reuerenter:

Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, videto.
Totos dat tetricæ dies Mineruæ,
Dum centum studet auribus virorum,
Hoc quod sæcula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas,
Hæc ora est tua quum fuerit Lyæus:
Quum regnat rosa, quum madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Meritóne eum qui hæc de me scripsit, & tunc dimisi amicissimè, & nunc vt amicissimum defunctum esse doleo? Dedit enim mihi quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari maius quàm gloria, & laus, & æternitas? At non erunt æterna quę scripsit. Non erunt fortasse, ille tamen scripsit tanquam essent futura. Vale.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPIstolarum

LIBER QVARTVS.

C. PLIN. FABATO PROSOCERO SVO S. I

CVpis post lõgum tempus neptem tuam méque vnà videre: gratum est vtrique nostrûm quod cupis: mutuò mehercule. Nam inuicem nos incredibili quodam desiderio vestri tenemur, quod non vltrà differemus. Atque adeo iam sarcinulas alligamus festinaturi, quãtum itineris ratio permiserit. Erit vna sed breuis mora: deflectemus in Thuscos, non vt agros rémque familiarem oculis subiiciamus (id enim postponi potest) sed vt fungamur necessario officio. Oppidum est prædiis nostris vicinum: nomen Tifernum Tiberinum, quod me penè adhuc puerum patronum cooptauit: tanto maiore studio quanto minore iudicio aduentus meos celebrat, profectionibus angitur, honoribus gaudet. In hoc ego vt referrem gratiã (nam vinci in amore turpissimum est) templum pecunia mea extruxi. cuius dedicationem, quum sit paratum, differre lon-

gius irreligiosum est. Erimus ergo ibi dedicationis die, quem epulo celebrare constitui. subsistemus fortasse & sequenti die, sed tanto magis viam ipsam corripiemus, contingat modò te filiámque tuam fortes inuenire: nam hilares certum est, si nos incòlumes receperitis. Vale.

C. PLIN. CLEMENTI SVO S. 2

REgulus filium amisit: hoc vno malo indignus, quod nescio an malum putet. Erat puer acris ingenij, sed ambigui: qui tamen posset recta sectari, si patrem non referret. Hunc Regulus emancipauit, vt hęres matris existeret. Emancipatum (ita vulgò ex moribus hominis loquebantur) fœda & insolita parentibus indulgentiæ simulatione captabat. Incredibile est, sed Regulum cogita. amissum tamē luget insanè. Habebat puer manulos multos & vinctos & solutos: habebat canes maiores minorésque: habebat luscinias, psittacos, merulas: omnes Regulus circa rogum trucidauit. nec dolor erat ille, sed ostentatio doloris. Conuenitur ad eum mira celebritate. cuncti detestantur, oderunt: & quasi probent, quasi diligāt, cursant, frequentant: vtque breuiter quod sentio enuntiem, in Regulo demerendo, Regulum imitantur. Tenet se trans Tiberim in hortis in quibus latissimum solum porticibus immensis, ripam statuis suis occupauit; vt est in summa auaritia sumptuosus, in summa infamia gloriosus. Vexat ergo ciuitatem in saluberrimo tem-

pore: & quòd vexat, solatium putat. dicit se velle ducere vxorem: hoc quoque, sicut alia, peruersè. audies breui nuptias lugentis, nuptias senis: quorum alterum, immaturum: alterum, serum est. Vnde hoc augurer quæris? non quia affirmat ipse, quo mendacius nihil est, sed quia certum est Regulum esse facturum quicquid fieri non oportet. Vale.

C. PLIN. ANTONINO SVO S.

3

QVòd semel atque iterum consul fuisti, milis antiquis, quòd proconsul Asiæ, quam ante te, qualis post te vix vnus aut alter (non sinit enim me verecundia tua dicere, qualis nemo) quòd sanctitate, quòd autoritate, ætate quoque princeps ciuitatis, est quidem venerabile & pulchrum: ego tamen te vel magis in remissionibus miror. Nã seueritatem istam pari iucunditate condire, summæque grauitati tantum comitatis adiũgere, non minùs difficile quàm magnum est: id tu cum incredibili quadã suauitate sermonum, tum vel præcipuè stylo assequeris. nam & loquenti tibi illa Homerici senis mella profluere, & quæ scribis complere apes floribus, & innectere videntur. Ita certè sum refectus ipse quum Græca epigrammata tua, quum iambos proximè legerem: quantum ibi humanitatis, venustatis? quàm dulcia illa? quàm amantia? quàm antiqua? quàm arguta? quàm recta? Callimachum me vel Herodem, vel siquid his melius, tenere credebam. quorum tamẽ neuter vtrũque aut absoluit aut attigit.

Hominémne Romanum tam Græcè loqui? Non medius fidius ipsas Athenas tam Atticas dixerim. Quid multa? inuideo Græcis, quòd illorum lingua scribere maluisti. neque enim coniectura eget quid sermone patrio exprimere possis, cùm hoc insititio & inducto tam præclara opera perfeceris. Vale.

C. PLIN. SOSSIO SVO S. 4

CAluisium Nepotem validissimè diligo, virum industrium, rectum, disertũ, quod apud me vel potissimùm est. Idem C. Caluisium, contubernalem meum, amicum tuum, arcta propinquitate complectitur. est enim filius sororis. Hunc rogo semestri tribunatu splendidiorem & sibi & auunculo suo facias. obligabis me, obligabis Caluisium nostrum, obligabis ipsum, non minùs idoneum debitorem quàm non putas. Multa beneficia in multos contulisti. ausim contendere nullum te melius, æquè bene vix vnum aut alterum collocasse. Vale.

C. PLINIVS SPARSO SVO S. 5

AEschinem aiunt petentibus Rhodiis legisse orationem suã, deinde Demosthenis, summis vtranque clamoribus esse probatam. Quod tantorum virorum contigisse scriptis nõ miror, cùm orationem meam proximè doctissimi homines hoc studio, hoc assensu, hoc etiam labore per biduũ audierint:

quamuis intentionem eorum nulla hinc & inde collatio, nullum quasi certamen accenderet. Nam Rhodij cùm ipsis orationum virtutibus, tum etiam comparationis aculeis excitabantur: nostra oratio sine æmulationis gratia probabatur. an meritò, scies quũ legeris librum, cuius amplitudo non sinit me lõgiore epistola præloqui. oportet enim nos in hac certè, in qua possumus, breues esse: quò sit excusatius, quòd librum ipsum, nõ tamen vltra causę amplitudinem, extendimus. Vale.

C. PLINIVS NASONI SVO S. 6

TVsci grandine excussi, in regione Transpadana summa abundantia, sed par vtilitas nuntiatur: solum mihi Laurentinum meum in redditu. nihil quidem ibi possideo præter tectum & hortum, statímque arenas, solum tamen mihi in redditu. ibi enim plurimum scribo, nec agrum quem non habeo, sed ipsum me studiis excolo, ac iam possum tibi, vt aliis in locis horreum plenum, sic ibi scrinium ostendere. Igitur tu quoque si certa & fructuosa prædia concupiscis, aliquid in hoc littore para. Vale.

C. PLIN. LEPIDO SVO S. 7

SÆpe tibi dico inesse vim Regulo. mirum est quàm efficiat in quod incubuit. Placuit ei lugere filiũ; luget vt nemo. placuit statuas

ei & imagines quamplurimas facere: hoc omnibus officinis agit. Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, illum auro, ebore, marmore effingit. Ipse verò nuper adhibito ingenti auditorio librum de vita pueri recitauit: cùm eundem librum in exemplaria transcriptum mille per totam Italiam prouinciásque dimisit. Scripsit publicè vt à decurionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret cum populo: factum est. Hanc ille vim (seu quo alio nomine vocanda est intentio quicquid velis obtinendi) si ad potiora vertisset, quantum boni efficere potuisset? quanquam minor vis bonis quàm malis inest, ac sicut ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, ita recta ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat audacia. Exemplo est Regulus, imbecillum latus, os confusum, hæsitans lingua, tardissima inuentio, memoria nulla: nihil denique præter ingenium insanum, & tamen eò impudentia ipsóque illo furore peruenit, vt à pluribus orator habeatur. Itaque Herennius Senecio mirificè Catonis illud de oratore in hunc è contrario vertit. Orator est vir malus, dicendi imperitus. Non mehercule Cato ipse tam bene verum oratorem, quàm hic Regulum expressit. Habésne quo tali epistolæ parem gratiam referas? habes si rescripseris num aliquis in municipio vestro ex sodalibus meis, num etiam ipse tu hunc luctuosum Reguli librum, vt circulator in foro legeris, scilicet, vt ait Demosthenes ἐπάρας τὴν φωνὴν καὶ γεγηθὼς, καὶ λαρυγγίζων. Est enim tam ineptus, vt risum magis possi

exprimere, quàm gemitum. credas non de puero ſcriptum. ſed à puero. Vale.

C. PLIN. ARRIANO SVO S. 8

GRatularis mihi quòd acceperim auguratum: iure gratularis. primùm quòd grauiſſimi principis iudicium in minoribus etiam rebus conſequi pulchrum eſt: deinde quòd ſacerdotium ipſum cùm priſcum & religioſum, tum hoc quoque ſacrum planè & inſigne eſt, quòd nō adimitur viuenti Nam cætera, quanquam dignitate propemodum paria, vt tribuuntur, ſic auferuntur in hoc fortunæ hactenus licet, vt dari poſſit. mihi verò etiam illud gratulatione dignum videtur, quòd ſucceſſi Iulio Frontino, principi viro, qui me nominationis die per hos continuos annos inter ſacerdotes nominabat, tanquam in locum ſuum cooptaret, quod nunc euentus ita comprobauit, vt non fortuitum videretur. Te quidem (vt ſcribis) ob hoc maximè delectat auguratus meus, quòd Marcus Tullius augur fuit. lætaris enim quòd honoribus eius inſiſtam, quem æmulari in ſtudiis cupio ſed vtinam vt ſacerdotium, idem & conſulatum, multo etiam iunior quàm ille ſum conſequutus: ita ſenex ſaltem ingenium eius aliqua ex parte aſſequi poſſim Sed nimirum quæ ſunt in manu hominum & mihi & multis contigerunt: illud verò vt adipiſci arduum, ſic etiam ſperare nimium eſt, quod dari nonniſi à diis poteſt. Vale.

C. PLINIVS VRSO SVO S. 9

CAusam per hos dies dixit Iulius Bassus, homo laboriosus & aduersis suis clarus. Accusatus est sub Vespasiano à priuatis duobus, ad senatum remissus diu pependit: tandémque absolutus vindicatúsque est. Titum timuit, vt Domitiani amicus, à Domitiano relegatus est, reuocatus à Nerua; sortitúsque Bithyniam, redit reus: accusatus non minùs acriter, quàm fideliter defensus: varias sententias habuit, plures tamen, quasi mitiores. Egit contra eum Pompontus Rufus, vir paratus & vehemens. Rufo successit Theophanes, vnus ex legatis, princeps & fax accusationis & origo. Respondi ego nam mihi Bassus iniunxerat vt totius defensionis fundamenta iacerem: dicerem de ornamentis suis, quę illi & ex generis claritate & ex periculis ipsis magna erant: dicerem de conspiratione delatorum, quam in quęstu habebãt: dicerem causas, quibus factiosissimum quemque vt illum ipsum Theophanem offendisset, eundem me voluerat occurrere crimini, quo maximè premebatur. in aliis enim, quãuis auditu grauioribus, non absolutionem modò, verumetiam laudem merebatur. Hoc illum onerabat, quòd homo simplex & incautus quædam à prouincialibus, vt amicus acceperat. nam fuerat in prouincia eadem quæstor. Hæc accusatores, furta ac rapinas, ipsi munera vocabat. sed lex munera quoque accipi vetat. Hic ego quid agerem? quod

iter defensionis ingrederer? Negarem? verebar ne prauè furtũ videretur, quod confiteri timerem. præterea rem manifestam inficiari, augentis erat crimen, non diluentis: præsertim cùm reus ipse nihil integrum aduocatis reliquisset. Multis enim atque etiam principi dixerat, sola se munuscula, duntaxat natali suo aut Saturnalibus accepisse, & plerisque misisse. Veniam ergo peterem? iugularem reum, quem ita deliquisse concederem, vt seruari, nisi venia non posset. Tanquam rectè factum tuerer? non illi profuissem, sed ipse impudens extitissem. In hac difficultate placuit medium quiddam tenere. videor tenuisse. Actionem meam, vt prælia solet, nox diremit. Egeram horis tribus & dimidia, supererat sesquihora. nã quum è lege accusator sex horas, nouem reus accepisset, ita diuiserat tẽpora reus inter me & eum qui ducturus pòst erat, vt ego quinque horis, ille reliquis vteretur. Mihi successus actionis silẽtiũ finémque suadebat: temerariũ est enim secundis non esse contentũ. Ad hoc verebar ne me corporis vires iterato labore desererẽt, quem difficilius est repetere quàm iungere. Erat etiam periculũ ne reliqua actio mea & frigus vt deposita, & tædium vt resumpta pateretur. Vt enim faces ignem assidua cõcussione custodiũt, dimissum ægerrimè reparant; sic & dicentis calor, & audientis intentio continuatione seruatur, intercapedine & quasi remissione languescit. sed Bassus multis precibus penè etiam lacrymis, obsecrabat implerem meum tempus. Parui, vtilitatémque eius prætuli meæ. Benè cessit: inueni ita erectos animos senatus,

ita recentes, vt priore actione incitati magis quàm satiati viderētur. Successit mihi Lucius Albinus tam aptè vt orationes nostræ varietatem duarum, cōtextum vnius habuisse credantur. Respondit Herennius Pollio instanter & grauiter: deinde Theophanes rursus. Fecit enim hoc quoque vt cætera, impudentissimè, quòd post duos, & consulares & disertos, tempus sibi, & quidem laxiùs, vindicauit. Dixit in noctem atque etiam nocte illatis lucernis. Postero die egerunt pro Basso Titius Homulus, & Fronto, mirificè: quartum diem probationes occupauerūt. Censuit Bębius Macer, consul designatus, lege repetundarum Bassum teneri: Cępio Hispo salua dignitate iudices dandos. vterque rectè. Qui fieri potest (inquis) cùm tam diuersa censuerint? quia scilicet & Macro legem intuenti, consentaneum fuit damnare eum qui contra legē munera acceperat: & Cępio quum putaret licere senatui, sicut licet, & mitigaret leges & intendere, non sine ratione veniam dedit facto, vetito quidē, non tamē inusitato. Pręualuit sententia Cæpionis, quinimmò consurgenti ei ad censendum acclamatum est, quod solet residentibus. Ex quo potes æstimare, quanto consensu sit exceptū quum diceret quod tam fauorabile fuit, quū dicturus videretur. Sunt tamen vt in senatu, ita in ciuitate, in duas partes hominum iudicia diuisa. nam quibus sententia Cæpionis placuit, sententiam Macri vt rigidam durámque reprehendunt: quibus Macri, illam alteram dissolutam, atque etiam incongruentem vocant. negant enim congruens esse, retinere in sena-

tu cui iudices dederis. Fuit & tertia sententia: Valerius Paulinus assensus Cæpioni, hoc amplius censuit referendum de Theophane, quum legationem renuntiasset. Arguebatur enim multa in accusatione fecisse, quæ illa ipsa lege qua Bassum accusauerat, tenerentur. sed hanc sententiam consules (quanquam maximæ parti senatus mirè probabatur) nō sunt persequuti. Paulinus tamen & iustitiæ famam & constantiæ tulit. Misso senatu Bassus magna hominum frequentia, magno clamore, magno gaudio exceptus est. Fecerat eum fauorabilem renouata discriminū vetus fama, notúmque periculis nomen, & in procero corpore mœsta & squalida senectus. Habebis hanc interim epistolam πρόδρομον: expectabis orationem plenam onustámque. expectabis diu: neque enim leuiter & cursim, vt de re tanta retractanda est. Vale. 10

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Scribis mihi Sabinam, quæ nos reliquit hæredes, Modestum seruum suum nusquam liberum esse iussisse: idē tamen sic adscripsisse legatū, Modesto, quem liberū esse iussi. Quæris quid sentiam? Consului cum prudentibus. conuenit inter omnes nec libertatē deberi, quia non sit data: nec legatum, quia seruo suo dederit. sed mihi manifestus error videtur: ideóque puto nobis quasi scripserit Sabina faciendum quod ipsa scripsisse credidit. Cōfido accessurū te sententiæ meæ,

cùm religiosissimè soleas custodire defunctorum voluntatem, quam bonis hæredibus intellexisse pro iure est. Neque enim minùs apud nos honestas quàm apud alios necessitas valet. Moretur ergo in libertate sinentibus nobis, fruatur legato, quasi omnia diligentissimè cauerit. Cauit enim que hæredes bene elegit. Vale.

C. PLIN. MINVTIANO SVO S. II.

AVdistíne Valerium Licinianum in Sicilia profiteri? Nondum te puto audisse. est enim recens nuntius. Prætorius hic modò inter eloquentissimos causarum actores habebatur: nunc eò decidit vt exul de senatore, rhetor de oratore fieret. Itaque ipse in præfatione dixit dolenter & grauiter; Quos tibi fortuna ludos facis? Facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores. Cui sententiæ tantum bilis, tantum amaritudinis inest, vt mihi videatur ideo professus vt hoc diceret. Idem cùm Græco pallio amictus intrasset (carent enim togę iure, quib⁹ aqua & igni interdictum est) postquam se composuit, circumspexítque habitum suum, Latinè (inquit) declamaturus sum: dicens tristia & miseranda, dignum tamen illum qui hæc ipsa studia incesti scelere maculauerit. Confessus est quidem incestum: sed incertum vtrum quia verum erat, an quia grauiora metuebat, si negasset. Fremebat enim Domitianus, ęstuabátque ingenti inuidia destitutus. Nam quum Corneliam Vestalium

Maximam defodere viuam concupiſſet, vt qui illuſtrari ſęculum ſuum eiuſmodi exemplo arbitraretur, pontificis maximi iure, ſeu potiùs immanitate tyranni, licentia domini, reliquos pontifices non in regiam, ſed in Albanam villam conuocauit. Nec minore ſcelere quàm quòd vlciſci videbatur, abſentem inauditámque damnauit inceſti, quum ipſe fratris filiam inceſto non poluiſſet ſolùm, verumetiam occidiſſet. Nam vidua abortu periit. miſſi ſtatim pontifices, qui defodiendam necandámque curarent. Illa nunc ad Veſtam, nunc ad cæteros deos manus tendens, multa, ſed hoc frequentiſſimè clamitabat, Me Cæſar inceſtam putat: qua ſacra faciente, vicit, triumphauit. Blandiés hæc an irridens, ex fiducia ſui, an ex contemptu principis dixerit, dubium eſt. dixit donec ad ſuppliciũ neſcio an innocens, certè tãquam nocens ducta eſt. Quinetiam quum in illud ſubterraneum cubiculum demitteretur, hæſiſſétque deſcendenti ſtola, vertit ſe ac recollegit. quúmque ei carnifex manum daret, auerſata eſt, & reſiluit: fœdúmque contagium quaſi planè à caſto puróque corpore nouiſſima ſanctitate reiecit: omnibúſque numeris pudoris, πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν, εὐσχήμως πεσεῖν. Præterea Celer, eques Romanus, cui Cornelia obiiciebatur, quum in comitio virgis cæderetur, in hac voce perſtiterat, Quid feci? nihil feci. Ardebat ergo Domitianus & crudelitatis & iniquitatis infamia. Arripit Licinianum, quòd in agris ſuis occultaſſet Corneliæ libertam: ille ab iis quibus erat curæ, præmonetur, ſi comitium & virgas pati nollet, ad

confessionem cõfugeret, quasi ad veniam. Fecit. Loquutus est pro absente Herennius Senecio tale quiddam, quale est illud, κεῖται Πάτροκλος. Ait enim, Ex aduocato nuntius factus sum. Recessit Licinianus. gratum hoc Domitiano, adeo quidem vt gaudio proderetur, diceretque, Absoluit nos Licinianus. Adiecit etiam, non esse verecundiæ eius instandum: ipsi verò permisit si qua posset, ex rebus suis raperet antequam bona publicarentur, exiliúmque molle, velut præmium dedit. Ex quo tamen postea clementia diui Neruæ translatus est in Siciliam, vbi nunc profitetur, séque de fortuna præfationibus vindicat. Vides quàm obsequenter paream tibi, qui non solùm res vrbanas, verùm etiam peregrinas tam sedulò scribo, vt altiùs repetam. & sanè putabam te, quia tunc abfuisti, nihil aliud de Liciniano audisse, quàm relegatum ob incestum. Summam enim rerum nũtiat fama, non ordinem. Mereor vt vicissim quid in oppido tuo, quid in finitimis agatur (solent enim notabilia quæ dam incidere) perscribas. denique quicquid voles: dum modò non minùs longa epistola nũties: ego non paginas tantùm, sed etiam versus syllabásque numerabo. Vale.

C. PLIN. ARRIANO SVO S. 12

AMAS Egnatium Marcellinum, atque etiam mihi sæpe commendas: amabis magis, commendabísque, si cognoueris recens eius factum. Quum in prouinciam quæ-

ſtor exiſſet, ſcribámque qui fortè obtigerat, ante legitimum ſalarij tẽpus amiſiſſet, quod acceperat ſcribæ daturus, intellexit & ſtatuit ſubſidere apud ſe non oportere. Itaque reuerſus, Cæſarem, deinde Cæſare autore, ſenatum conſuluit quid fieri de ſalario vellet. Parua quæſtio, ſed tamen quæſtio. Hæredes ſcribæ ſibi; præfecti, ærario populóque vindicabant. Acta cauſa eſt. dixit hæredum aduocatus, deinde populi: vterque percommodè. Cæcilius Strabo ærario cenſuit inferendum: Bæbius Macer hęredibus dandum. obtinuit Strabo. Tu lauda Marcellinum, vt ego ſtatim feci. quamuis enim abundè ſufficiat illi, quòd eſt & à principe & à ſenatu probatus, gaudebit tamen teſtimonio tuo. Omnes enim qui gloria famáque ducuntur, mirum in modum aſſenſio & laus à minoribus etiam profecta delectat. Te verò Marcellinus ita reueretur vt iudicio tuo plurimum tribuat. Accedit his, quòd ſi cognouerit factum ſuum iſtò vſque penetraſſe, neceſſe eſt laudis ſuæ ſpatio & curſu & peregrinatione lætetur. etenim neſcio quo pacto vel magis homines iuuat gloria lata quàm magna. Vale.

C. PLIN. TACITO SVO S. 13

SAluum te in vrbem veniſſe gaudeo. veniſti autem ſiquando aliâs, nunc maximè mihi deſideratus. ipſe pauculis adhuc diebus in Tuſculano commorabor, vt opuſculum quod eſt in manibus, abſoluam. Vereor enim

re, si hanc intentionem iam in finem intermisero, ægrè resumam: interim ne quid festinationi meæ pereat, quod sum præsens petiturus, hac quasi præcursoria epistola rogo: sed priùs accipe causas rogãdi, deinde ipsum quod peto. Proximè quum in patria mea fui, venit ad me salutandum municipis mei filius prætextatus. Huic ego, Studes? inquam. Respondit, Etiam. Vbi? Mediolani. Cur non hîc? Et pater eius (erat enim vnà, atque etiam ipse adduxerat puerum.) Quia nullos hîc præceptores habemus. Quare nullos? Nam vehemẽter intererat vestra, qui patres estis, & opportunè complures patres audiebant, liberos vestros hîc potissimùm discere. Vbi enim aut iucundiùs morarentur quàm in patria: aut pudiciùs continerentur quàm sub oculis parentum? aut minore sumptu quàm domi? Quantulum est ergo collata pecunia conducere præceptores? quódque nunc in habitationes, in viatica, in ea quæ peregrè emuntur (omnia autem peregrè emuntur) impenditis, adiicere mercedibus? Atque adeo ego qui nondum liberos habeo, paratus sum pro repub. nostra, quasi pro filia vel parẽte, tertiam partem eius quod conferre vobis placebit, dare. Totum etiam pollicerer, nisi timerem ne hoc munus meum quandoque ambitu corrumperetur: vt accidere multis in locis video, in quibus præceptores publicè conducuntur. Huic vitio vno remedio occurri potest, si parentibus solis ius conducendi relinquatur, iisdémque religio rectè iudicandi necessitate collationis addatur. Nam qui fortasse de alieno negligentes, certè de suo diligentes erunt:

dabúntque operam ne eam à me pecuniam nonnisi dignus accipiat, si accepturus & ab ipsis erit. Proinde consentite, conspirate, maiorémque animum ex meo sumite, qui cupio esse quamplurimum, quod debeam conferre. Nihil honestius præstare liberis vestris, nihil gratius patriæ potestis. Edoceantur hîc qui hîc nascuntur, statimque ab infantia natale solum amare, frequentare consuescant: atque vtinam tam claros præceptores inducatis, vt à finitimis oppidis studia hinc petantur. vtque nunc liberi vestri aliena in loca, ita mox alieni in hunc locum confluant. Hæc putaui altius & quasi à fonte repetenda: quò magis scires quàm gratum mihi foret si susciperes quod iniungo: iniungo autem, & pro rei magnitudine rogo vt ex copia studiorum quæ ad te ex admiratione ingenij tui conuenit, circumspicias præceptores quos sollicitare possimus: sub ea tamen conditione, ne cui fidem meam obstringam. Omnia enim libera parentibus seruo. Illi iudicēt, illi eligant: ego mihi curam tantùm & impendium vindico. Proinde siquis fuerit repertus qui ingenio suo fidat, eat illuc ea lege vt hinc nihil aliud certum quàm fiduciam suam ferat. Vale.

C. PLIN. PATERNO SVO S. 14

TV fortasse orationem, vt soles, & flagitas & expectas: at ego quasi ex aliqua peregrina delicatáque merce lusos meos tibi prodo. Accipies cum hac epistola hēdecasyllabos nostros: quibus nos in vehiculo, in ba-

lineo, inter cœnam oblectamus otium temporis. his iocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur: describimus aliquid modò pressiùs, modò elatiùs: atque ipsa varietate tentamus efficere vt alia aliis, quædam fortasse omnibus placeant. Ex quibus tamen si nonnulla tibi paulo petulantiora videbuntur, erit eruditionis tuæ cogitare summos illos & grauissimos viros qui talia scripserunt, non modò lasciuia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse. quæ nos refugimus, non quia seueriores (vnde enim?) sed quia timidiores sumus. Scimus alioqui huius opusculi illam esse verissimam legem quam Catullus expressit,

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est:
Qui tunc denique habent salem & lepôrem,
Si sunt molliculi & parum pudici.

Ego quãti faciam iudicium tuum, vel ex hoc potes æstimare, quòd malui omnia à te pensitari quàm electa laudari. Et sanè quæ sunt commodissima, desinunt videri quum paria esse cœperunt. Præterea sapiens subtilísque lector debet non diuersis conferre diuersa, sed singula expendere, nec deteriùs in alio putare quod est in suo genere perfectum. Sed quid ego plura? nam longiore præfatione vel excusare, vel commendare ineptias, ineptissimum est. Vnum illud prædicendum videtur, cogitare me has nugas meas ita inscribere, Hendecasyllabi, qui titulus sola metri lege constringitur. Proinde siue epigrammata, siue idyllia, siue eclogas, siue (vt multi) poëmata, seu quod aliud vocare malueris, licebit vo-

ces : ego tantùm hendecasyllabos præsto. A simplicitate tua peto vt quod de libello meo dicturus es aliis, mihi dicas. neque est difficile quod postulo : nam si hoc opusculũ nostrum aut potissimum esset, aut solum, fortasse posset durum videri dicere, Quære quod agas: molle & humanum est, Habes quod agas. Vale.

C. PLIN. FVNDANO SVO S. 15

SIquid omnino, hoc certè iudicio facio, quòd Asinium Rufum singulariter amo. Est homo eximius & bonorum amantissimus cur enim non me quoque inter bonos numerem? Idem Cornelium Tacitum (scis quem virum) arcta familiaritate complexus est. Proinde si vtrunque nostrûm probas, de Rufo quoque necesse est idem sentias, cùm sit ad connectendas amicitias vel tenacissimum vinculum, morum similitudo. Sunt ei liberi plures. nam in hoc quoque fũctus est optimi ciuis officio, quòd fœcunditate vxoris largè frui voluit eo sæculo quo plerique etiam singulos filios orbitatis præmia graues faciunt: quibus ille despectis, aui quoque nomen assumpsit. Est enim auus, & quidem ex Saturio Firmo, quem diliges vt ego, si vt ego propiùs inspexeris. Hæc eò pertinent, vt scias quàm copiosam, quàm numerosam domũ vno beneficio sis obligaturus : ad quod petendum, voto primùm, deinde bono quodam omine adducimur. Optamus enim tibi, ominamúrque in proximum annum consulatum. Ita nos virtutes tuæ & iudicia principis augurari

volunt. Concurrit autem vt sit eodem anno quæstor maximus ex liberis Rufi Asinius Bassus, iuuenis, nescio an dicam quòd me pater & sentire & dicere cupit, adolescentis verecund a vetat, ipso patre melior. Difficile est vt mihi de absente credas, quanquam credere soles omnia, tantum in illo industriæ, probitatis, eruditionis, ingenij, studij, memoriæ denique esse, quantum expertus inuenies. Vellem tam ferax seculum bonis artibus haberemus, vt aliquos Basso præferre deberes: tum ego te primus hortarer monerémque, circumferres oculos, ac diu pensitares quem potissimùm eligeres. Nunc verò, sed nihil volo de amico meo arrogantius dicere: hoc solùm dico, dignum esse iuuenem quem more maiorum in filij locum assumas. Debent autem sapientes viri, vt tu, tales quasi à rep. liberos accipere, quales à natura solemus optare. Decorus erit tibi consuli quæstor patre prætorio, propinquis consularibus: quibus iudicio ipsorum, quamquam adolescentulus adhuc, iam tamen inuicem ornamento est. Proinde indulge precibus meis, obsequere consilio: & ante omnia, si festinare videor, ignosce: primùm quia votis suis amor plerunque præcurrit: deinde quòd in ea ciuitate in qua omnia quasi ab occupantibus aguntur, quæ legitimum tempus expectant, non matura, sed sera sunt: in summa, quòd rerum quas assequi cupias, præsumptio ipsa iucunda est. Uereatur iam te Bassus vt consulem: tu dilige illum vt quæstorem: nos denique vtriusque vestrûm amantissimi, duplici lætitia perfruamur. Etenim quum sic te, sic Bassum diliga-

diligamus vt & illum cuiuscunque & tuum quemcunque quæstorem in petendis honoribus omni opera, omni labore, gratia simus iuuaturi, perquàm iucundum nobis erit si in eundem iuuenem studium nostrum & amicitiæ meæ & consulatus tui ratio contulerit: si denique precibus meis tu potissimus adiutor accesseris, cuius senatus & suffragio libentissimè indulgeat, & testimonio plurimum credat. Vale.

C. PLIN. VALERIO PAVLINO SVO S. 16

GAude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine. adhuc honor studiis durat. Proximè quum dicturus apud centumuiros essem, adeundi mihi locus, nisi à tribunali, nisi per ipsos iudices non fuit: tanta stipatione cætera tenebantur. Ad hoc quidam ornatus adolescens, scissis tunicis, vt in frequentia solet, sola velatus toga perstitit, & quidem horis septem. nam tamdiu dixi, magno cum labore, sed maiore cum fructu. Studeamus ergo, nec desidiæ nostræ prætendamus alienam. Sunt qui audiant, sunt qui legant, nos modò dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus. Vale.

C. PLINIVS GALLO SVO S. 17

ET admones & rogas vt suscipiam absentis Corelliæ causam contra C. Cæcilium, consulem designatum. Quòd admones gra-

tias ago: quòd rogas, queror. admoneri enim debeo vt sciam: rogari non debeo vt faciam quod mihi nō facere turpissimum est. An ego tueri Corelli filiam dubitem? Est quidem mihi cum isto contra quem me aduocas, non planè familiaritas, sed tamen amicitia. Accedit huc dignitas hominis, atque hic ipse cui destinatus est honor: cuius nobis hoc maior agenda reuerentia est, quòd iam illo functi sumus. Naturale est enim cuique vt ea quæ quis adeptus est, ipsa quam amplissima existimari velit. Sed mihi cogitanti ad futurum me Corelli filiæ, omnia ista frigida & inania videntur. Obuersatur oculus ille vir quo neminem ætas nostra grauiorem, sanctiorem, subtiliorem denique tulit: quem ego quum ex admiratione diligere cœpissem, quod euenire contrà solet, magis admiratus sum, postquam penitus inspexi. (inspexi enim penitus) Nihil à me ille secretum, non ioculare, non serium, non triste, non lætum. Adolescentulus eram, etiam mihi ab illo honor, atque etiam (audebo dicere) reuerētia, vt æquali habebatur. Ille meus in petendis honoribus suffragator & testis: ille in inchoandis deductor & comes: ille in gerendis consiliator & rector. ille denique in omnibus officiis nostris, quāquam & imbecillus & senior, quasi iuuenis & validus conspiciebatur. Quantum ille famæ meæ, domi, in publico, quantum etiam apud principem adstruxit? Nam quum fortè de bonis iuuenibus apud Neruam Imperatorem sermo incidisset, & plerique, me laudibus ferrent, paulisper se intra silentium tenuit, quod illi plurimum au-

toritatis addebat:deinde grauitate quam noras, Necesse est (inquit) parcius laudem Secundum, quia nihil nisi ex consilio meo facit. Qua voce tribuit mihi, quantum petere voto immodicum erat, nihil me facere non sapientissimè, quum omnia ex consilio sapientissimi viri facerem. Quinetiam moriens filiæ suæ (vt ipsa solet prædicare) Multos quidem amicos tibi in longiore vita paraui, præcipuos tamen, Secũdum & Cornutum. Quod dum recordor, intelligo mihi laborandum nequa parte videar hanc de me fiduciam prouidentissimi viri destituisse. Quare ego verò Corelliæ adero promptissimè, nec subire offensas recusabo: quanquam non solùm veniam me verumetiam laudem apud istum ipsum, à quo, vt ais, noualis fortasse vt fœminæ intenditur, arbitror cõsequuturum, si hæc eadem in actione, latiùs scilicet & vberiùs quàm epistolarum angustiæ sinunt, contigerit mihi vel in excusationem vel etiam in commendationem meam dicere. Vale.

C. PLIN. ANTONINO SVO S. 18

QVemadmodum magis approbare tibi possum quantopere miror epigrammata tua Græca, quàm quòd quædam æmulari Latinè & exprimere tentaui? In deterius tamen accidit hoc: primùm imbecillitate ingenij mei, deinde inopia: ac potius, vt Lucretius ait, hac egestate patrij sermonis. Quòd si hæc, & quæ sunt Latina, & mea habere tibi

aliquid venuſtatis videbuntur, quantum putas ineſſe eis gratiæ, quæ & à te & Grecè proferuntur? Vale.

C. PLIN. HISPVLLÆ SVAE S. 19

CVm ſis pietatis exemplum, fratrémque optimum & amantiſſimum tui pari charitate dilexeris, filiámque eius vt tuam diligas, nec tantùm amitæ eius, verumetiam patris amiſſi affectum repræſentes, non dubito maximo tibi gaudio fore quum cognoueris dignam patre, dignam te, dignam auo euadere. Summum eſt acumen, ſumma fragilitas: amat me, quod caſtitatis indicium eſt. Accedit his ſtudium literarum quod ex mei charitate concepit Meos libellos habet, lectitat, ediſcit etiam. Qua illa ſolicitudine quum videor acturus; quanto quum egi gaudio afficitur? Diſponit qui nuntient ſibi quem aſſenſum, quos clamores excitarim, quem euentum iudicij tulerim: eadem ſi quando recito, in proximo diſcreta velo ſedet, laudéſque noſtras auidiſſimis auribus excipit. Verſus quidem meos cantat formátque cithara, non artifice aliquo docente, ſed amore, qui magiſter eſt optimus. His ex cauſis in ſpem certiſſimam adducor, perpetuam nobis maiorémque indies futuram eſſe concordiam. Non enim ætatem meam aut corpus, quę paulatim occidunt ac ſeneſcũt, ſed gloriam diligit. Nec aliud decet tuis manibus educatam, tuis præceptis inſtitutam: quæ nihil in contubernio tuo viderit, niſi ſanctum honeſtúmque: quæ

denique amare me ex tua prædicatione consueuerit:nam quum matrem meam parentis loco venerêre, mêque à pueritia statim formare, laudare, talémque, qualis nunc vxori meæ videor, ominari solebas. Certatim ergo tibi gratias agimus:ego, quòd illam mihi:illa, quòd me sibi dederis, quasi inuicem delegeris. Vale.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S. 20

QVid senserim de singulis libris tuis, notum tibi vt quemque perlegerâ feci: accipe nunc quid de vniuersis generaliter iudicem. Est opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosum etiam, & cum magna tua laude diffusum. In quo tu ingenij simul dolorísque velis latissimè vectus es, & horum vtrunque inuicem adiumento fuit. Nam dolori sublimitatem & magnificentiam, ingenio vim & amaritudinem dolor addidit. Vale.

C. PLIN. VELIO CEREALI SVO S. 21

TRistem & acerbum casum Heluidiarum sororum, vtraque à partu, vtraque filiam enixa decessit. Afficior dolore nec tamen supra modum doleo. ita mihi luctuosum videtur quòd puellas honestissimas in flore primo fœcunditas abstulit. Angor infantiũ sorte, quę sunt parentibus statim, & dum nascuntur, orbatæ. Angor optimorum maritorum,

angor etiam meo nomine. Nam patrem illarum defunctum quoque perseuerātissimè diligo, vt actione mea, librísque testatum est. cui nunc vnus ex tribus liberis superest, domúmque pluribus adminiculis paulo antè fundatam desolatus fulcit ac sustinet. Magno tamen fomēto dolor meus acquiescet, si hunc saltem fortem & incolumem, parémque illi patri, illi auo fortuna seruauerit. Cuius ego pro salute, pro moribus, hoc sum magis anxius, quòd vnicus factus est. Nosti in amore mollitiam animi mei, nosti metus. Quo minus te mirari oportebit quòd plurimum timeam de quo plurimum spero. Vale.

C. PLIN. SEMPRONIO RVFO SVO S. 22

INterfui principis optimi cognitioni in cōsilium assumptus. Gymnicus agon apud Viennenses ex cuiusdam testamento celebrabatur. Hunc Trebonius Rufinus, vir egregius nobísque amicus, in duûmuiratu suo tollendum abolendúmque curauit. Negauit ex autoritate publica fecisse. Egit ipse causam non minus feliciter quàm disertè. Commendabat actionem, quòd tanquam homo Romanus & bonus ciuis in negotio suo maturè & grauiter loquebatur. Quum sententiæ rogarentur, dixit Iunius Mauricus (quo viro nihil firmius, nihil verius) non esse restituendum Viennensibus agona: adiecit, Vellem etiam Romæ tolli posse. Constanter inquis, & fortiter. Quidni? Sed hoc Maurico nouum non est. Idem apud Neruam

Imperatorem non minus fortiter. Cœnabat Nerua cum paucis, Veiento proximus, atque etiam in ſinu recũbebat. (Dixi omnia, quum hominem nominaui) incidit ſermo de Catullo Meſſalino, qui luminibus orbatus, ingenio ſæuo mala cæcitatis addiderat. non verebatur, non erubeſcebat, non miſerebatur. ſæpius à Domitiano non ſecus ac tela, quæ & ipſa cæca & improuida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. De huius nequitia ſanguinariiſque ſententiis in commune omnes ſuper cœnam loquebantur: tum ipſe Imperator, Quid putamus paſſurum fuiſſe ſi viueret? Et Mauricus, Nobiſcum cœnaret. Longiùs abij, libens tamen. Placuit agona tolli, qui mores Viennenſium infecerat, vt noſter hic omnium. Nam Viennenſium vitia intra ipſos reſidunt, noſtra latè vagantur. Vtque in corporibus, ſic in imperio, grauiſſimus eſt morbus qui à capite diffunditur. Vale.

C. PLIN. POMPONIO BASSO SVO S. 23

Magnam cepi voluptatem quum ex communibus amicis cognouiſſe, vt ſapientia tua dignum eſt, & diſponere otium & ferre, habitare amœniſſimè, & nunc terra nunc mari corpus agitare: multum diſputare, multum audire, multum lectitare: quúmque plurimum ſcias, quotidie tamen aliquid addiſcere. Ita ſeneſcere oportet virũ qui magiſtratus ampliſſimos geſſerit, exercitus rexerit, totúmque ſe reip. quandiu decebat, obtulerit.

Nam & prima vitæ tempora, & media patriæ, extrema nobis impertire debemus, vt ipſæ leges monent, quæ maiorem annis LX. otio reddunt. Quando mihi licebit? quando per ætatem honeſtum erit imitari iſtud pulcherrimæ quietis exemplum? quando ſeceſſus mei non deſidiæ nomen, ſed tranquillitatis accipient? Vale.

C. PLIN. VALENTI SVO S. 24

PRoximè quum apud cẽtumuiros in quadruplici iudicio dixiſſem, ſubit recordatio egiſſe me iuuenem, æquè in quadruplici iudicio, proceſſit animus, vt ſolet, longiùs: cœpi reputare quos in hoc iudicio, quos in illo ſocios laboris habuiſſem. Solus eram qui in vtroque dixiſſem: tantas conuerſiones aut fragilitas mortalitatis aut fortunæ mobilitas facit. Quidam ex iis qui tunc egerant, deceſſerunt, exulant alij: huic ætas & valetudo ſilentium ſuaſit: hic ſponte beatiſſimo otio fruitur: alius exercitum regit: illum ciuilibus officiis principis amicitia exemit. Circa noſipſos quàm multa mutata ſunt: ſtudiis proceſſimus, ſtudiis periclitati ſumus: rurſúſque proceſſimus. Profuerũt nobis bonorum amicitiæ, bonorum obfuerunt, iterúmque proſunt. Si computes annos, exiguum tempus: ſi vices rerum, æuum putes. Quod poteſt eſſe documento, nihil deſperare, nulli rei fidere, cùm videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi. Mihi autem familiare eſt, omnes cogitationes meas tecum commu-

nicare, iiſdémque te vel præceptis vel exemplis monere, quibus ipſe me moneo: quæ ratio huius epiſtolæ fuit. Vale.

C. PLIN. MESSIO MAXIMO SVO S. 25

SCripſeram tibi verendum eſſe ne ex tacitis ſuffragiis vitium aliquod exiſteret: factum eſt. proximis comitiis, in quibuſdã tabellis multa iocularia, atque etiam fœda dictu in vna verò pro candidatorum nominibus, ſuffragatorum nomine inuenta ſunt. Excãduit ſenatus, magnóque clamore ei qui ſcripſiſſet iratum principem eſt concrepatus: ille tamen fefellit, & latuit, fortaſſe etiam inter indignantes fuit. Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta re, tam ſerio tempore, tam ſcurriliter ludat? qui denique omnino in ſenatu dicax & vrbanus & bellus eſt? tantum licentiæ prauis ingeniis adiicit illa fiducia. Quis enim ſciet? popoſcit tabellas, ſtylum accepit, demiſit caput, neminem veretur, ſe contemnit. Inde iſta ludibria, ſcæna & pulpito digna. Quò te vertas? quæ remedia conquiras? vbique vitia remediis fortiora: ἀλλὰ ταῦτα τῷ ὑπὲρ ἡμᾶς ἄλλῳ μελήσει, cui multum quotidie vigiliarum, multum laboris adiicit hæc noſtra iners, ſed tamen effrænata petulantia. Vale.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S. 26

PEtis vt libellos meos, quos studiosissimè comparasti, recognoscendos emendandósque curem. faciam. Quid enim suscipere libentiùs debeo, te præsertim exigente? Nam quum vir grauissimus, doctissimus, disertissimus, super hæc occupatissimus, maximæ prouinciæ præfuturus, tanti putes scripta nostra circumferre tecum, quantopere mihi prouidendum est ne te hęc pars sarcinarum, tanquam superuacua offendat? Addit ergo primùm vt comites istos quàm commodissimos habeas: deinde vt reuersus inuenias quos istis addere velis. Neque enim mediocriter me ad noua opera tu lector hortaris. Vale.

C. PLIN. FALCONI SVO S. 27

TErtius dies est, quòd audiui recitantem Sentium Augurinum cum summa mea voluptate, immò etiam admiratione (poëmatia appellat) multa tenuiter, multa sublimiter, multa venustè, multa tenerè, multa dulciter, multa cum bile. Aliquot annis puto nihil generis eiusdem absolutius scriptum, nisi fortè me fallit aut amor eius, aut quòd meipsum laudibus euexit. Nam lemma sibi sumpsit quod ego interdum versibus ludo. Atque adeo iudicij mei te iudicem faciam, si mihi ex hoc ipso lemmate secundus versus occurrerit. nam cęteros teneo, & iam explicui,

Canto carmina versibus minutis,
His olim quibus & meus Catullus,
Et Caluus, veteresque. Sed quid ad me?
Vnus Plinius est mihi, priores
Mauult versiculos, fero relicto,
Et quærit quod amet, putátque amari.
Ille Plinius, ille. quid Catones?
I nunc qui sapias, amare noli.

Vides quàm acuta omnia, quàm apta, quàm expressa? Ad hunc gustum totum librum repromitto, quem tibi, vt primùm publicauerit, exhibebo. Interim ama iuuenem, & temporibus nostris gratulare pro ingenio tali, quod ille moribus adornat. Viuit cum Spurinna, viuit cum Antonino: quorum alteri affinis, vtrique contubernalis est. Possis ex hoc facere coniecturam quàm sit emendatus adolescens, qui à grauissimis senibus sic amatur. Est enim illud verissimum, γιγνώσκων ὅτι τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται ξυνών. Vale.

C. PLIN. SEVERO SVO S. 28

HErennius Seuerus, vir doctissimus, magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelij Nepotis & Titi Cassij: petítque si sunt istic, vt esse credibile est, exscribendas pingendásque delegem. Quam curam tibi potissimùm iniungo: primùm, quia desideriis meis amicissimè obsequeris: deinde, quia tibi studiorum summa reuerentia, summus amor studiosorum: postremò, quod patriam tuam,

omnésque qui nomen eius auxerunt, vt patriam ipsam, veneraris & diligis. Peto autem vt pictorem quàm diligentissimum assumas. nam quum est arduum similitudinem effingere ex vero, tum longè difficillima est imitationis imitatio. A qua rogo vt artificem quem elegeris, ne in melius quidem sinas aberrare. Vale.

C. PLINIVS ROMANO SVO S. 29

EIa tu, quum proximè res agentur, quoquomodo ad iudicandum veni. Nihil est quòd in dextram aurem fiducia mei dormias: non impunè cessatur. Ecce, Licinius Nepos, prætor, acer & fortis vir, multam dixit etiam senatori. Egit ille in senatu causam suam: egit autem sic, vt deprecaretur. Remissa est multa, sed timuit, sed rogauit, sed opus venia fuit. Dices, Non omnes prætores tam seueri. Falleris. nam vel instituere vel reducere eiusmodi exemplum, non nisi seueri instituti, reductúm ve exercere etiam leuissimi possunt. Vale.

C. PLIN. LICINIO SVO S. 30

ATtuli tibi ex patria mea pro munusculo quæstionem, altissima ista eruditione dignissimam. Fons oritur in monte, per saxa decurrit, excipitur cœnatiuncula manu facta: ibi paululum retentus in Larium lacum decidit. Huius mira natura. ter

in die statis auctibus ac diminutionibus cre-scit, decrescítque. Cernitur id palàm, & cum summa voluptate deprehenditur. Iuxtà recumbis & vesceris: atque etiam ex ipso fonte (nam & frigidissimus) potas: interim ille certis dimensísque momentis vel subtrahitur vel assurgit. Annulum, seu quid aliud ponis in sicco, alluitur sensim, ac nouissimè operitur: detegitur rursus, paulatímque deseritur. si diutiùs obserues, vtrunque iterum ac tertiò videas. Spiritúsne aliquis occultior os fontis & fauces modò laxat, modò includit, prout in latus occurrit, aut decessit expulsus? quod in ampullis cęterísque generis eiusdem videmus accedere, quibus non hians nec statim patens exitus. nam illa quoque, quanquam prona & vergentia, per quasdam obluctantis animæ moras crebris quasi singultibus sistunt quod effundunt. An quæ Oceano natura, fonti quoque? quáque ille ratione aut impellitur aut resorbetur, hac modicus hic humor vicibus alternis supprimitur vel egeritur? An vt flumina quæ in mare deferuntur, aduersantibus ventis, obuióque æstu retorquētur, ita est aliquid quod huius fontis excursum per momenta repercutiat? An latentibus venis certa mensura, quæ dum colligit quod exhauserat, minor riuus est & pigrior: quum collegit, agilior maiórque profertur? An nescio quod libramentum abditum & cæcum, quod quum exinanitum est, suscitat & elicit fontem: quum repletum, moratur & strangulat? Scrutare tu causas (potes enim) quæ tantum miraculum efficiunt. mihi abundè est, si satis expressi quod efficitur. Vale.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPIstolarum
LIBER QVINTVS.

C. PLIN. SEVERO SVO. S. I

LEGATVM mihi obuenit modicum, sed amplissimo gratius. Cur amplissimo gratius? Pomponia Gratilia exhæredato filio Assudio Curiano, heredem reliquerat me: dederat cohæredes Sertorium Seuerum, prætoriũ virum, alióſque equites Romanos ſplẽdidos: Curianus orabat vt ſibi donarem portionem meam, ſéque præiudicio iuuarem: eandem tacita cõuentione ſaluam mihi pollicebatur. Reſpõdebã, nõ cõuenire moribus meis aliud palàm, aliud agere ſecretò. Præterea, nõ eſſe ſatis honeſtum donare & locupleti & orbo: in ſumma, non profuturum ei, ſi donaſſem: profuturum, ſi ceſſiſſem: eſſe autem me paratum cedere, ſi iniquè exhæredatum mihi liqueret. Ad hoc ille, Rogo cognoſcas. Cunctatus paulùm, Faciam, inquam: neque enim video cur ipſe me minorem putem quàm tibi videor. Sed iam nunc memento, non defutu-

rā mihi constantiā, si ita fides duxerit secundùm matrem tuam pronuntiandi. Vt voles, ait: voles enim quod æquissimum. adhibui in consilium duos, quos tunc ciuitas nostra spectatissimos habuit, Corellium & Frontinum. His circumdatus, in cubiculo meo sedi. Dixit Curianus quæ pro se putabat. Respondi paucis ego (neque enim aderat alius qui defunctæ pudorem tueretur) deinde secessi, & consilij sententia: Videtur (inquam) Curiane, mater tua iustas habuisse causas irascendi tibi. Post hoc ille, Cum cæteris subscripsit centumuirale iudicium, mecum non subscripsit. Appetebat iudicij dies: cohæredes mei componere & transigere cupiebant: non diffidentia causæ, sed metu tēporum. Verebantur, quod videbant multis accidisse, ne ex centumuirali iudicio capitis rei exirent. Et erant quidam in illis, quibus obiici & Gratillæ amicitia & Rustici posset: rogant me vt cum Curiano loquar. Conuenimus in ædem Cōcordię. ibi ego, Si mater (inquā) te ex parte quarta scripsisset hæredē, num queri posses? quid si hæredem quidē instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, vt non amplius apud te quàm quarta remaneret? Igitur sufficere tibi debet, si exhæredatus à matre quartam partem ab hæredibus eius accipias, quam tamen ego augebo. Scis te non subscripsisse mecum, & iam biennium transisse, omniáque me vsucepisse: sed vt te cohęredes mei tractabiliorem experiantur, vtque tibi nihil abstulerit reuerentiā mei, offero pro mea parte tantumdem. Tuli fructum non cōscientiæ modò, verumetiam famæ. ille ergo

Curianus legatum mihi reliquit : & factum meum (nisi fortè blandior mihi) antiquorum notabili honore signauit. Hęc tibi scripsi, quia de omnibus quæ me vel delectant vel angunt, non aliter tecum quàm mecum loqui soleo : deinde, quòd durum existimabam, te amantissimumq; mei fraudare voluptate quam ipse capiebam. Neque enim sum tam sapiens vt nihil mea intersit an iis quæ honestè fecisse me credo, testificatio quędam & quasi pręmium accedat. Vale.

C. PLIN. FLACCO SVO S. 2

ACcepi pulcherrimos turdos, cum quibus parem calculum ponere, nec vllis copiis ex Laurentino nec maris tam turbidis tempestatibus possum. Recipies ergo epistolas steriles, & simpliciter ingratas : ac ne illam quidem solertiam Diomedis in permutando munere imitantes. Sed, quæ facilitas tua, hoc magis dabis veniam, quòd se non mereri fatentur. Vale.

C. PLIN. ARISTONI SVO S. 3

CVm plurima officia tua mihi grata & iucunda sunt, tum vel maximè quòd me celandum non putasti, fuisse apud te de versiculis meis multū copiosūmque sermonem, eúmque diuersitate iudiciorum longiùs processisse : extitisse, etiam quosdam qui

ſcripta quidem ipſa non improbarent, me tamen amicè ſimplicitérque reprehenderent quòd hæc ſcriberem, recitarémque. Quibus ego, vt augeam meam culpam, ita reſpondeo, Facio nonnunquam verſiculos ſeueros parum, facio comœdias, & audio & ſpecto mimos, & lyricos lego, & ſatyricos intelligo: aliquando præterea rideo, iocor, ludo: vtque omnia innoxiæ remiſſionis genera breuiter amplectar, homo ſum. Nec verò moleſtè fero hanc eſſe de moribus meis exiſtimationem, vt qui neſciunt talia doctiſſimos, grauiſſimos, ſanctiſſimos homines ſcriptitaſſe, me ſcribere mirentur. ab illis autem quibus notũ eſt quos quantóſque autores ſequar, facilè impetrari poſſe confido, vt errare me, ſed cum illis ſinant, quorum non ſeria modò, verumetiam luſus exprimere, laudabile eſt. An ego verear (neminem viuentium, ne quam in ſpeciem adulationis incidam, nominabo) ne me non ſatis deceat, quod decuit M. Tullium, Caium Caluum, Aſinium Pollionem, Marcũ Meſſalam, Quintum Hortenſium, M. Brutũ, L. Sullam, Q. Catulum, Quintum Scæuolam, Ser. Sulpitium, Varronem, Torquatum (immò Torquatos) C. Memmium, Lentulum, Gætulicum, Annæum Senecam, Lucceium, & proximè Virginium Rufum; &, ſi non ſufficiunt exempla priuata, Diuũm Iulium, Diuũ Auguſtum, Diuum Neruam, T. Cæſarem? Neronem enim tranſeo, quanuis ſciam non corrumpi in deterius quæ aliquando etiam à malis, ſed honeſta manere quæ ſæpius à bonis fiunt. inter quos vel præcipuè numerãdus eſt P. Vergilius, Cornelius Nepos, & priùs

Ennius, Acciúsque. Non quidem hi senatores, sed sãctitas morum non distat ordinibus: recito tamen, quod illi an fecerint nescio etiã. sed illi iudicio suo poterant esse contenti: mihi modestior constantia est quàm vt satis absolutum putem quod à me probetur. Itaque has recitandi causas sequor. primùm quòd ipse qui recitat, aliquanto acrius scriptis suis auditorum reuerentia intendit: deinde quòd de quibus dubitat, quasi ex consilij sententia statuit. multa etiam à multis admonetur; &, si non admoneatur, quid quisq; sentiat, perspicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, silentio, quæ satis apertis notis iudiciũ ab humanitate discernunt. atque adeo, si cui fortè eorum qui interfuerunt, cura fuerit eadem illa legere, intelliget me quædam aut commutasse, aut præteriisse, fortasse etiam ex suo iudicio, quanuis ipse nihil dixerit mihi. Atque hæc ita disputo, quasi populum in auditorium, non in cubiculum amicos aduocarim, quos plures habere, multis gloriosum, reprehensioni nemini fuit. Vale.

C. PLIN. VALERIANO SVO S. 4

RES parua, sed initium non paruum. Solers vir prætorius à senatu petiit vt sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur: contradixerunt Vicentinorum legati: adfuit Tuscillus Nominatus: dilata causa est. alio senatu Vicentini sine aduocato intrauerunt: dixerunt se deceptos, lapsíne verbo, an quia ita sentiebant. Interrogati à Nepote

prætore quem docuissent, responderunt, Quẽ prius. Interrogati an tunc gratis adfuisset: responderunt, Sex millibus nummûm. an rursus aliquid dedissent: dixerunt, Mille denarios. Nepos postulauit vt Nominatus induceretur. Hactenus illo die. Sed, quantum auguror, lõgiùs res procedet. Nam pleraque tacita tantùm ex minimo commota, latissimè serpunt. Erexi aures tuas, quandiu nunc oportet, scio quàm blãdè roges vt reliqua cognoscas, si tamen non antè ob hæc ipsa veneris Romam, spectatórque malueris esse quàm lector. Vale.

C. PLIN. MAXIMO SVO S. 5

NVntiatum mihi est, C. Fannium decessisse: qui nuntius graui me dolore confudit. primùm, quòd amaui hominem elegãtem & disertum: deinde, quòd iudicio eius vti solebam. Erat enim natura acutus, vsu exercitatus, varietate promptissimus. Angit me super ista, casus ipsius. Decessit veteri testamento: omisit quos maximè diligebat: prosecutus est quibus offensior erat. Sed hoc vtcunque tolerabile: grauius illud, quod pulcherrimum opus imperfectum reliquit. Quanuis enim agendis causis distringeretur, scribebat tamen exitus occisorum aut relegatorum à Nerone: & iam tres libros absoluerat subtiles, & diligentes, & Latinos, atque inter sermonem historiámque medios. Ac tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto

frequentiùs hi lectitabantur. Mihi autem videtur acerba semper & immatura mors eorum qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti, quasi in diem viuunt, viuendi causas quotidie finiunt: qui verò posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, vt quæ semper inchoatum aliquid abrumpat. Caius quidem Fannius quod accidit, multo antè præsensit. Visus est sibi per nocturnam quietem iacere in lectulo suo compositus in habitu studentis, habere ante se scrinium (ita solebat) mox imaginatus est venisse Neronem, in toro sedisse: prompsisse primum librũ quem de sceleribus eius ediderat, eúmque ad extremum reuoluisse: idem in secundo ac tertio fecisse, tunc abiisse. Expauit: & sic interpretatus est, tanquam idem sibi futurus esset scribendi finis, qui fuisset illi legendi: & fuit idem. Quod me recordantem miseratio subit quantum vigiliarum, quantũ laboris exhauserit frustrà. Occursant animo mea mortalitas, mea scripta. nec dubito te quoque eadem cogitatione terreri pro istis quæ inter manus habes. Proinde dum suppetit vita, enitamur vt mors quampaucissima quæ abolere possit, inueniat. Vale.

C. PLIN. APOLLINARI SVO S. 6

AMaui curam & solicitudinem tuã, quòd quum audisses me æstate Tuscos meos petiturum, ne facerem suasisti, dum putas insalubres. Et sanè grauis & pestilens ora Tu-

ſcorum, quæ per litus extenditur: ſed hi procul à mari receſſerunt. Quinetiam Apennino ſaluberrimo montium ſubiacent, atque adeo, vt omnem pro me metum ponas, accipe temperiem cœli, regionis ſitum, villæ amœnitatem, quæ & tibi auditu & mihi relatu iucũda erunt. Cœlum eſt hyeme frigidũ & gelidũ. Myrtos, oleas, quæque alia aſſiduo tepôre lætantur, aſpernatur ac reſpuit: laurum tamen patitur, atque etiam viridiſſimam profert interdum, ſed non ſępius, quàm ſub vrbe noſtra necat. Æſtatis mira clementia. ſemper ac ſpiritu aliquo mouetur, frequentiùs tamen auras quàm ventos habet. hinc ſenes multos videas auos proauóſque. Iam iuuenum audias fabulas veteres, ſermonéſque maiorũ: quúmque veneris illò, putes alio te ſeculo natum. Regionis forma pulcherrima, imaginare amphitheatrum aliquod immenſum: & quale ſola rerum natura poſſit effingere. Lata & diffuſa planities montibus cingitur: montes ſumma ſui parte procera nemora & antiqua habent. Frequens ibi & varia venatio: inde cæduæ ſyluæ cum ipſo monte deſcendunt: has inter pingues terreníque colles (neque enim facilè vſquam ſaxum, etiam ſi quæratur, occurrit) planiſſimis campis fertilitate non cedunt, opimámque meſſem ſeriùs tantùm, ſed non minùs percoquunt. Sub his per latus omne vineæ porriguntur, vnámque faciem longè latéque contexunt: quarum à fine imóque, quaſi margine arbuſta naſcuntur: prata inde, campíque. Campi, quos nonniſi ingentes boues & fortiſſima aratra perſtringunt, tãtis glebis tenaciſſimum ſolum quum

primùm prosequatur, assurgit, vt nouo demũ sulco perdometur. prata florida & gẽmea, trifoliũ, aliásq; herbas, teneras semper & molles, & quasi nouas alunt. cuncta enim perennibus riuis nutriũtur. Sed vbi aquæ plurimũ, palus nulla: quia deuexa terra quicquid liquoris accepit, nec absorbuit, effundit in Tiberim. Medios ille agros secat: nauium patiens, omnésque fruges deuehit in vrbẽ, hyeme duntaxat & vere: æstate summittitur, immensíque fluminis nomen arenti alueo deserit, autumno resumit. Magnam capies voluptatem, si hunc regionis situm ex monte prospexeris. Neque enim terras tibi, sed formam aliquam ad eximiam pulchritudinem pictam videberis cernere. ea varietate, ea descriptione, quocunque inciderint oculi, reficiuntur. Villa in colle imo sita prospicit quasi ex summo, ita leuiter & sensim cliuo fallente consurgit, vt quum ascendere te non putes sentias ascendisse. A tergo Apenninum, sed longiùs habet. Accipit ab hoc auras quamlibet sereno & placido die, non tamen acres & immodicas, sed spatio ipso lassas & infractas. magna sui parte meridiem spectat, æstiuúmque solem ab hora sexta, hybernum aliquanto maturius, quasi inuitat in porticum latam & pro modo longam. Multa in hac membra, atrium etiam ex more veterum. ante porticum xystus concisus in plurimas species, distinctúsque buxo, demissus inde pronúsque puluinus, cui bestiarum effigies inuicem aduersas buxus inscripsit. Acanthus in plano mollis, & penè dixerim liquidus. ambit hunc ambulatio pressis variéque tonsis viridibus

inclusa: ab his gestatio in modum circi, quæ buxum multiformem humiléſque & retẽtas manu arbuſculas circumit. omnia maceria muniuntur: hanc gradata buxus operit & ſubtrahit. Pratũ inde nõ minùs naturæ quàm ſuperiora illa, arte viſendum: campi deinde, porro multáque alia prata & arbuſta. A capite porticus triclinium excurrit, valuis xyſtum deſinentem, & protinus pratum multúmque ruris videt feneſtris. Hac latus xyſti & quod proſilit villæ, ac adiacentis hippodromi nemus comáſque proſpectat. Contra mediam ferè porticum diæta paulum recedit, cingit areolam, quæ quatuor platanis inumbratur. Inter has marmoreo labro aqua exundat, circumiectáſque platanos, & ſubiecta platanis gramina leni aſpergine fouet. Eſt in hac diæta dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem, ſonúmque excludit: iunctáq; ei quotidiana amicorúmque cœnatio. Areolam illã porticus alia, eadémque omnia quæ porticus aſpicit. Eſt & aliud cubiculum à proxima platano, viride, & vmbroſum, marmore excultũ prodiotenus: nec cedit gratiæ marmoris, ramos, inſidentéſque ramis aues imitata pictura, cui ſubeſt fonticulus: in hoc fonte crater, circa ſipunculi plures miſcent iucundiſſimum murmur. In cornu porticus ampliſſimũ cubiculum à triclinio occurrit: aliis feneſtris xyſtum, aliis deſpicit pratum. Sed antè piſcina, quæ feneſtris ſeruit ac ſubiacet, ſtrepitu viſúque iucunda. nam ex edito deſiliẽs aqua, ſuſcepta marmore albeſcit. Idem cubiculum hyeme tepidiſſimum, quia plurimo ſole perfunditur. Cohæret hypocauſton, & ſi dies

nubilus, immisso vapore, solis vicem supplet. Inde apodyterium balinei laxum & hilare excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum atque opacum. Si natare latiùs aut tepidiùs velis, in area piscina est, in proximo puteus, ex quo possis rursus astringi, si pœniteat teporis. Frigidariæ cellæ connectitur media, cui sol benignissimè præsto est, caldariæ magis: prominet enim. in hac tres descensiones: duæ in sole, tertia à sole longiùs, à luce non longiùs. Apodyterio superpositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit. Nec procul à balineo scalæ, quæ in cryptoporticum ferũt, priùs ad diætas tres. harum alia areolę illi, in qua platani quatuor, alia prato, alia vineis imminet diuersis, diuersasque cœli partes; vt prospectus habet. in summa cryptoporticu cubiculum, ex ipsa cryptoporticu excisum, quod hippodromum, vineas, montes intuetur. Iũgitur cubiculum obuium soli maximè hyberno. hinc oritur diæta, quæ villæ hippodromum adnectit. hæc facies, hic visus à frõte, à latere cryptoporticus in edito posita, quæ non aspicere vineas, sed tangere videtur. In media triclinium saluberrimum afflatum ex Apenninis vallibus recipit: pòst latissimis fenestris vineas, valuis æquè vineas, sed per cryptoporticum quasi admittit. à latere triclinij, quod fenestris caret, scalæ conuiuio vtilia secretiore ambitu suggerunt. In fine cubiculum, cui non minus iucundum prospectum cryptoporticus ipsa quàm vineæ præbent. Subest cryptoporticus subterraneæ similis, æstate incluso frigore riget: contentáque

aëre

aëre suo nec desiderat auras, nec admittit. post vtranque cryptoporticum, vnde triclinium desinit, incipit porticus: ante medium diem, hyberna; inclinato die, æstiua. hac adeuntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, vt circuit sol, aut sole vtuntur aut vmbra. Hanc dispositionem amœnitatémque tectorum longè latéque præcedit hippodromus, medius patescit, statímque intrantium oculis totus offertur, platanis circuitur. illæ hedera vestiuntur, vtque summæ suis, ita imæ alienis frondibus virent. Hedera truncum & ramos pererrat, vicináſque platanos transitu suo copulat. has buxus interiacet. Exteriores buxos circũuenit laurus, vmbræque platanorum suam confert. Rectus hic hippodromi limes, in extrema parte hemicyclo frangitur, mutátque faciem, cupressis ambitur & tegitur, densiore vmbra opacior nigriórque, interioribus circulis (sunt enim plures) purissimum diem recipit. Inde etiam rosas effert, vmbrarúmque frigus non ingrato sole distinguit. Finito vario illo multiplicíque curuamine, recto limiti redditur, nec huic vni. Nam viæ plures intercedentibus buxis, diuiduntur. alibi pratulum, alibi ipsa buxus interuenit in formas mille descripta, literis interdum quæ modò nomen domini dicunt, modò artificis: alternis metulæ surgunt, alternis inserta sunt poma: & in opere vrbanissimo subita velut illati ruris imitatio medium in spatiũ breuioribus vtrinque platanis adornantur. Post has acanthus hinc inde lubricus & flexuosus, deinde plures figuræ, pluráque nomina. in capite stibadium

candido marmore, vite protegitur: vitem quatuor columellę caryſtiæ ſubeunt. E ſtibadio aqua velut expreſſa cubantium pondere ſipunculis effluit, cauato lapide ſuſcipitur, gracili marmore continetur, atque ita occultè temperatur vt impleat, nec redundet. Guſtatorium grauiórque cœnatio margini imponitur, leuior nauicularum & auium figuris innatans circuit. contrà fons egerit aquam & recipit: nam expulſa in altum in ſe cadit, iunctíſque hiatibus & abſorbetur & tollitur, è regione ſtibadij aduerſum cubiculum tãtum ſtibadio reddit ornatus quantum accipit ab illo. à marmore ſplendet, valuis in viridia prominet & texit: alia viridia ſuperioribus inferioribúſque feneſtris ſuſpicit deſpicítque. Mox diætula refugit quaſi in cubiculum idem atque aliud. Lectus hîc & vndique feneſtræ, & tamen lumẽ obſcurum vmbra premente. nam lætiſſima vitis per omne tectum in culmen nititur & aſcendit. Non ſecus ibi quàm in nemore iaceas imbrem tantùm tanquam in nemore non ſentias. Hîc quoque fons naſcitur, ſimúlque ſubducitur. Sunt locis pluribus diſpoſita ſedilia è marmore, quæ ambulatione feſſos vt cubiculum ipſum iuuant. Fonticuli ſedilibus adiacent, per totum hippodromum inductis fiſtulis ſtrepunt riui, & qua manus duxit ſequuntur. His nunc illa viridia, nunc hæc, interdum ſimul omnia iuuantur. Vitaſſem iamdudum ne viderer argutior, niſi propoſuiſſem omnes angulum tecum epiſtola circumire. Neque enim verebar ne laborioſum eſſet legenti tibi, quod viſenti non fuiſſet: præſertim quum interquieſcere ſi liberet, depoſitáque epiſtola, quaſi reſidere

sæpius posses. Præterea indulsi amori meo. amo enim quæ maxima ex parte ipse inchoaui, aut inchoata percolui. In summa (cur enim non aperiam tibi vel iudicium meum vel errorem?) primum ego officium scriptoris existimo, vt titulum suum legat, atque identidem interroget se quid cœperit scribere; sciâtque, si materiæ immoratur, non esse longum: longissimum, si aliquid accersit atque attrahit. Vides quot versibus Homerus, quot Virgilius arma; hic Æneæ, Achillis ille describat: breuis tamen vterque est, quia facit quod instituit. Vides vt Aratus minutissima etiam sidera consectetur & colligat, modum tamen seruat. Non enim excursus hic eius, sed opus ipsum est. Similiter nos, vt parua magnis conferamus, quum totam villam oculis tuis subiicere conamur, si nihil inductum & quasi deuium loquimur, non epistola quæ describit, sed villa quæ describitur magna est. Verùm illuc vnde cœpi, ne secundùm legem meam iure reprehendar, si longior fuero in hoc quod excessi. Habes causas cur ego Tuscos meos Tusculanis, Tyburtinis, Prænestinísque meis præponam. Nam super illa quæ retuli, altiùs ibi otium & pinguius, eóque securius, nulla necessitas togæ, nemo accersitor ex proximo. Placida omnia & quiescentia: quod ipsum salubritate regionis, vt purius cœlum, vt aër liquidior accidit: ibi animo, ibi corpore maximè valeo. Nam studiis animum, venatu corpus exerceo. Mei quoque nusquam salubrius degunt, vsque adhuc certè neminem ex iis quos eduxeram mecum (venia sit dicto)

ibi amisi. Dij modò in posterum hoc mihi gaudium, hanc gloriam loco seruent. Vale.

C. PLIN. CALVISIO SVO S.

7

NEc hæredem institui, nec præcipere posse rempub. constat. Saturninus autem qui nos reliquit hæredes, quadrantem reipub. nostræ, deinde pro quadrante præceptionẽ quadringentorum millium dedit. Hoc si ius aspicias, irritum: si defuncti voluntatem, ratum, & firmum est. Mihi autem defuncti voluntas (vereor quam in partem iurisconsulti quod sum dicturus accipiãt) antiquior iure est, vtique in eo quod ad communem patriam voluit peruenire, an cui de meo sestertiûm vndecies contuli, huic quadringentorum millium paulo amplius tertiam partem ex aduentitio denegem. Scio te quoque à iudicio meo non abhorrere, cùm eandem remp. vt ciuis optimus diligas. Velim ergo quum proximè decuriones contrahentur, quid sit iuris indices, parcè tamen & modestè. deinde subiungas nos quadringenta millia offerre, sicut præceperit Saturninus. Illius hoc munus, illius liberalitas, nostrum tantùm obsequium vocetur. Hæc ego scribere publicè supersedi: primùm, quòd memineram pro necessitudine amicitiæ nostræ, pro facultate prudentiæ tuę, & debere te & posse perinde meis ac tuis partibus fungi: deinde quia verebar ne modum quem tibi in sermone custodire facile est, tenuisse in epistola non viderer. Nã sermonem vultus, gestus, vox ipsa moderatur: epistola

omnibus commendationibus destituta malignitati interpretantium exponitur. Vale.

C. PLIN. CAPITONI SVO S. 8

SVades vt historiam scribam, & suades non solus: multi hoc me sępe monuerunt, & ego volo, non quia commodè facturum esse confido (id enim temerè credas, nisi expertus) sed quia mihi pulchrum in primis videtur, non pati occidere quibus æternitas debeatur, aliorúmque famam cum sua extendere. Me autē nihil æquè ac diuturnitatis amor & cupido solicitat: res eo homine dignissima, præsertim qui nullius sibi conscius culpę, posteritatis memoriam non reformidet. Itaque diebus ac noctibus cogito *-si qua me quoque possim Tollere humo.* Id enim voto meo sufficit: illud supra votum, *-victórque virûm volitare per ora.* Quanquam ô. Sed hoc satis est, quod propè sola historia polliceri videtur. orationi enim & carmini est parua gratia, nisi eloquentia sit summa: historia quoquo modò scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi, & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, vt qui sermunculis etiam fabellísque ducantur: me verò ad hoc studium impellit domesticum quoque exemplum. Auunculus meus, idémque per adoptionem pater, historias, & quidem religiosissimè, scripsit. Inuenio autem apud sapientes, honestissimum esse maiorum vestigia sequi, si modò recto itinere præcesserint. Cur ergo cun-

ctor? Egi magnas & graues causas. has (etiã si mihi tenuis ex eis spes) destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc quod reliquum est studij addidero, mecum pariter intercidat. nam si rationem posteritatis habeas, quicquid non est peractum, pro non inchoato est. Dices, Potest simul & rescribere actiones, & componere historiam. Vtinam: sed vtrunque tam magnum est, vt abundè sit alterum efficere. Vndeuicesimo ætatis anno dicere in foro cœpi, & nunc demum quid præstare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video. Quid si huic oneri nouum accesserit? habet quidem oratio & historia multa communia, sed plura diuersa in his ipsis quæ communia videntur. Narrat sanè illa, narrat hæc, sed aliter. huic pleráque humilia & sordida, & ex medio petita: illi omnia recondita, splendida excelsa conueniunt. hanc sæpius ossa, musculi, nerui: illam tori quidam & quasi iubæ decent. hæc vel maximè vi, amaritudine, instantia: illa tractu & suauitate, atque etiam dulcedine placet. postremò alia verba, alius sonus, alia constructio. Nã plurimũ refert, vt Thucidides ait, κτῆμα sit an ἀγώνισμα: quorum alterum oratio, alterum historia est. His ex causis non adducor vt duo dissimilia, & hoc ipso diuersa, quòd maxima, confundam misceámque, ne tánta quasi colluuione turbatus ibi faciam quod hîc debeo. Ideóque interim veniam, ne à forensibus verbis recedam, aduocandi peto. Tu tamen iam nunc cogita quæ potissimum tempora aggrediamur. vetera & scripta aliis, parata inquisitio, sed onerosa collatio, intacta & noua, graues

offensæ,leuis gratia. Nam preterij quòd in tantis vitiis hominum plura culpanda sunt quàm laudanda:tum si laudaueris, parcus: si culpaueris,nimius fuisse dicaris: quamuis illud plenissimè,hoc restrictissimè feceris. Sed hæc me non retardant: est enim mihi pro fide satis animi. Illud peto præstruas ad quod hortatis, eligásque materiam, ne mihi iam scribere parato alia rursus cunctationis & moræ iusta ratio nascatur. Vale.

C. PLIN. SATVRNINO SVO S. 9

VAriè me affecerunt literę tuę: nam partim læta, partim tristia cõtinebant. Lęta, quòd te in vrbe teneri nuntiabant, Nollem, inquis:sed ego volo, propterea quòd recitaturum statim vt venissem,pollicebantur. Ago gratias quòd expector:triste illud, quòd Iulius Valens grauiter iacet: quanquam ne hoc quidem triste,si illius vtilitatibus æstimetur, cuius interest quam maturissimè inexplicabili morbo liberari. Illud planè non triste solùm, verumetiam luctuosum, quòd Iulius Auitus decessit,dum ex quęstura redit. Decessit autem in naui, procul à fratre amantissimo,procul à matre, à sororibus. Nihil ista ad mortuum pertinent, sed pertinuerunt quum moreretur:pertinent ad hos qui supersunt. Iam quidem in flore primo tantæ indolis iuuenis extinctus est,summa consecuturus, si virtutes eius maturuissent. quo ille studiorum amore flagrabat? quantum

legit? quantum etiã ſcripſit? quæ nunc omnia cum ipſo ſine fructu poſteritatis abierunt. Sed quid ego indulgeo dolori? cui ſi frenos remittas, nulla materia non maxima eſt. Finem epiſtolæ faciam; vt facere poſſim etiam lacrymis quas epiſtolas expreſſit. Vale.

C. PLIN. ANTONINO SVO S. 10

CVm verſus tuos æmulor, tum maximè quàm ſint boni experior Vt enim pictores pulchram abſolutámque faciem rarò, niſi in peius, effingunt: ita ego ab hoc archetypo laboro & decido. quo magis hortor vt quamplurima proferas, quæ imitari omnes concupiſcant, nemo aut pauciſſimi poſſint. Vale.

C. PLIN. TRANQVILLO SVO S. 11

LIbera tandem hendecaſyllaborum meorum fidem, qui ſcripta tua communibus amicis ſpoponderunt: appellantur quotidie & flagitãtur: ac iam periculum eſt ne cogantur ad exhibendum formulam accipere. Sum & ipſe in edendo hæſitator, tu mora tamen meam quoque cunctationem tarditatémque viciſti. Proinde aut rumpe iam moras, aut caue ne eoſdem illos libellos quos tibi hendecaſyllabi noſtri blanditiis elicere non poſſunt, conuitio, ſcazontes extorqueant. Perfectum opus abſolutúmque eſt, nec iam ſplendeſcit lima, ſed atteritur. Patere me videre titulum tuum, patere audire, deſcribi,

legi, vænire volumina Tranquilli mei. Æquum est nos in amore tam mutuo eandem percipere ex te voluptatem, qua tu perfrueris ex nobis. Vale.

C. PLIN. FABATO PROSOCERO SVO S. 12

Recepi literas tuas, ex quibus cognoui speciosissimam te porticum sub tuo filiique tui nomine dedicasse, sequenti die in portarum ornatum pecuniam promisisse, vt initium nouæ liberalitatis esset consummatio prioris. Gaudeo primùm tua gloria, cuius ad me pars aliqua pro necessitudine nostra redundat: deinde quòd memoriam soceri mei pulcherrimis operibus video proferri: postremò quòd patria nostra florescit, quam mihi à quocunque excoli iucundum, à te verò lætissimum est. Quod superest, deos precor vt animum istum tibi, animo isti tempus quamlongissimum tribuant. Nam liquet mihi futurum vt peracto quod proximè promisisti, inchoes aliud. Nescit enim semel incitata liberalitas stare, cuius pulchritudinem vsus ipse commendat. Vale.

C. PLIN. SCAVRO SVO S. 13

Recitaturus oratiunculam quam publicare cogito, aduocaui aliquos, vt vererer paucos, vt verum audirem. Nam mihi duplex ratio recitandi; vna, vt solicitu-

dine incendar: altera, vt admoneat, siquid fortè me, vt meum fallit. tuli quod petebam: inueni qui mihi copiam consilij sui facerent. Ipse præterea quædam emendanda annotaui. Emendaui librum quem misi tibi. Materiam ex titulo cognosces, cætera liber explicabit; quem iam nunc oportet ibi consuescere, vt sine præfatione intelligatur. Tu velim quid de vniuerso, quid de partibus sentias, scribas mihi. Ero enim vel cautior in continendo, vel constantior in edendo, si huc vel illuc autoritas tua accesserit. Vale.

C. PLIN. VALERIANO SVO S. 14

ET tu rogas, & ego promisi, si rogasses, scripturum me tibi quem habuisset euentum postulatio Nepotis circa Tuscillũ Nominatum. Inductus est Nominatus, egit ipse pro se nullo accusante. Etenim legati Vicentinorum non modò non presserunt eum, verumetiam subleuauerũt. Summa defensionis, non fidẽ sibi in aduocatione, sed constantiam defuisse: descendisse vt acturum, atque etiã in curia visum: deinde sermonibus amicorum perterritum recessisse, monitum enim ne desiderio senatoris non iam quasi de nundinis, sed quasi de gratia, fama, dignitate certantis tam pertinaciter, præsertim in senatu repugnaret: alioqui maiorẽ inuidiam quàm proximè passurus erat. Sanè prius tamen à paucis acclamatum exeunti: subiũnxit preces multúmque lacrymarum; quinetiam tota actione homo in dicendo exercitatus operam

dedit vt deprecari magis (id enim & fauorabilius & tutius) quàm defendi videretur. Absolutus est sententia designati consulis Afranij Dextri, cuius hæc summa, meliùs quidem Nominatum fuisse facturum, si causam Vicentinorum eodem animo quo susceperat pertulisset: quia tamen in hoc genus culpæ non fraude incidisset, nihílque dignum animaduersione admisisse conuinceretur, liberandum ita vt Vicẽtinis quod acceperat, redderet. Assenserunt omnes, præter Flauium Aprum. Is interdicendum ei aduocationibus in quinquennium censuit: & quamuis neminem autoritate traxisset, constanter in sententia mansit: quinetiam Dextrum, qui primùm diuersum censuerat, perlata lege de senatu habendo, iurare coegit è repub. esse quod censuisset: cui, quanquam legitimæ postulationi, à quibusdam reclamatum est: exprobrare enim censenti ambitionem videbatur. Sed priúsquam sententiæ dicerentur, Nigrinus tribunus plebis recitauit libellum disertum & grauem, quo questus est venire aduocationes, vænire etiam præuaricationes, in lites coiri: & gloriæ loco poni ex spoliis ciuium magnos & statos redditus. Recitauit capita legum, admonuit senatusconsultorum: in fine dixit petendum ab optimo principe vt quia leges, quia senatusconsulta contemnerentur, ipse tantis vitiis mederetur. Pauci dies, & liber principis seuerus, & tamen moderatus. leges ipsum, est in publicis actis. Quàm me iuuat quòd in causis agendis non modò pactione, dono, munere, verumetiam xeniis semper abstinui! Opor-

tet quidem quæ ſunt inhoneſta, non quaſi illicita, ſed quaſi pudenda vitare: iucundũ tamen ſi prohiberi publicè videas quod nunquã tibi ipſe permiſeris. Erit fortaſſe, immò non dubiè, huius propoſiti mei & minor laus, & obſcurior fama, quum omnes ex neceſſitate facient quod ego ſponte faciebam. Interim fruor voluptate, quum alij diuinum me, alij meis rapinis, meę auaritię occurſum per ludum ac iocum dictitant. Vale.

C. PLINIVS PONTIO SVO S. 15

SEceſſeram in municipium, quum mihi nuntiatum eſt, Cornutum Tertullum accepiſſe Æmiliæ viæ curam. Exprimere non poſſum quanto ſim gaudio affectus & ipſius & meo nomine. ipſius, quòd ſit licet, ſicut eſt, ab omni ambitione longè remotus, debet tamen ei iucundus eſſe honor vltrò datus: meo, quòd aliquanto magis me delectat mandatum mihi officium poſtquam par Cornuto datum video. neque enim augeri dignitate quàm æquari bonis gratiùs. Cornuto autem quid melius? quid ſanctus? quid in omni genere laudis ad exẽplar antiquitatis expreſſius? quod mihi cognitum eſt non fama, qua alioqui optima & meritiſſima fruitur, ſed longis magniſque experimentis, vnà diligimus, vnà dileximus omnes ferè quos ætas noſtra in vtroque ſexu æmulandos tulit, quæ ſocietas amicitiarum arctiſſima nos familiaritate coniunxit. Acceſſit vinculum neceſſitudinis publicæ. Idem enim mihi, vt ſis colle-

ga, quasi voto petitus, in præfectura ærarij fuit: fuit & in consulatu. tum ego qui vir & quantus esset, altißimè inspexi, quum sequerer vt magistrum, vt parentem vererer: quod non tam ætatis mutaritate quàm vitę merebatur. His ex causis, vt illi, sic mihi gratulor, nec priuatim magis quàm publicè, quòd tãdem homines nõ ad pericula, vt priùs, verùm ad honores virtute perueniunt. In infinitum epistolam extendam, si gaudio meo indulgeam. Præuertor ad ea quę me agentem hîc nuntius deprehendit: Eram cum prosocero meo, eram cum amita vxoris, eram cum amicis diu desideratis, circumibam agellos, audiebam multúm rusticarum querelarum: rationes legebam inuitus & cursim (aliis enim chartis, aliis sum literis initiatus) cœperam etiam itineri me pręparare: nam includor angustiis commeatus, eósque ipso quòd delegatum Cornuto audio officium, mei admoneor. Cupio te quoque sub idem tempus Campania tua remittat, ne quis, quum in vrbem rediero, contubernio nostro dies pereat. Vale.

C. PLIN. MARCELLINO SVO S. 16

TRistissimus hæc tibi scribo. Fundani nostri filia minor est defuncta: qua puella nihil vnquam festiuius, amabilius, nec modò longiore vita, sed propè immortalitate dignius vidi. Nondum annos quatuordecim impleuerat, & iam illi anilis prudentia, matronalis grauitas erat: & tamen suauitas puellaris cum virginali verecũdia. Vt illa par-

tris ceruicibus inhærebat? vt nos amicos paternos & amãter & modestè cõplectebatur? vt nutrices, vt pædagogos, vt præceptores, pro suo quemque officio diligebat? quàm studiosè, quàm intelligenter lectitabat? vt parcè custoditéque ludebat? qua illa temperantia, qua patientia, qua etiam constantia nouissimam valetudinem tulit? medicis obsequebatur, sororem, patrem adhortabatur, ipsámque se destitutam corporis sui viribus, vigore animi sustinebat: durauit hic illi vsque ad extremũ, nec aut spatio valetudinis, aut metu mortis infractus est, quò plures grauiorésque nobis causas relinqueret & desiderij & doloris. O triste planè acerbúmque funus! ô morte ipsa mortis tempus indignius! Iam destinata erat egregio iuueni, iam electus nuptiarum dies, iam nos aduocati. Quod gaudium, quo mœrore mutatum est? Non possum exprimere verbis quantum animo vulnus acceperim, quum audiui, Fundanum ipsum (vt multa luctuosa dolor inuenit) præcipientem, quod in vestes, margaritas, gemmas fuerat erogaturus, hoc in thura & vnguenta & odores impenderetur. Est quidem ille eruditus & sapiens, vt qui se ab ineunte ætate altioribus studiis artibúsque dediderit: sed nunc, omnia quæ audiit sæpéque dixit, aspernatur: expulsísque virtutibus aliis, pietatis est totus. Ignosces, laudabis etiam, si cogitaueris quid amiserit. Amisit enim filiam quæ non minus mores eius quàm os vultúmque referebat, totúmque patrem mira similitudine exscripserat. Proinde si quas ad eundem de dolore tam iusto literas mit-

tes,memento adhibere solatium, non quasi castigatorium & nimis forte, sed molle & humanum. Quod vt faciliùs admittat,multum faciet medij temporis spatium. Vt enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque vltrò requirit: sic recens animi dolor consolationes reiicit ac refugit, mox desiderat, & clementer admotis acquiescit. Vale.

C. PLIN. SPVRINNÆ SVO S. 17

SCio quantopere bonis artibus faueas, quantum gaudij capias, si nobiles iuuenes dignum aliquid maioribus suis faciant: quo festinantius nuntio tibi fuisse me hodie in auditorio Calphurnij Pisonis. Recitabat ἐρωτοπαίγνιον, eruditam sanè luculentámque materiam: scripta elegis erat fluctibus, & teneris, & enodibus, sublimibus etiam verbis, vt poposcit locus. Altè enim & variè nũc attollebatur, nunc residebat: excelsa depressis, exilia plenis, seueris iucunda mutabat. omnia ingenio pari. Commendabat hæc voce suauissima. vocem verecundia, multum sanguinis, multum solicitudinis in ore, magna ornamenta recitantis. Etenim nescio quo pactò magis in studiis homines timor quàm fiducia decet. Ne plura (quãquam libet plura, quò sint pulchriora de iuuene, rariora de nobili) recitatione finita, multum ac diu exosculatus adolescentem, qui est accerrimus stimulus monendi, laudibus incitaui pergeret quà cœpisset, luménque quod sibi maiores sui

prætuliſſent, poſteris ipſis præferret. Gratulatus ſum optimæ matri, gratulatus & fratri, qui ex auditorio illo non minorem pietatis gloriam quàm ille alter eloquētiæ tulit. tam notabiliter pro fratre recitante primùm metus eius, mox gaudium eminuit. Dij faciant vt talia tibi ſæpiùs nuntiem. Faueo enim ſæculo, ne ſit ſterile & effœtum: mirêque cupio ne nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulchrum niſi imagines habeant: quæ nunc mihi hos adoleſcentes tacitè laudare, adhortari, & quod amborum gloriæ ſatis magnum eſt, agnoſcere videntur. Vale.

C. PLINIVS MACRO SVO S. 18

BEne eſt mihi, quia tibi bene eſt. Habes vxorem tecum, habes filium. Frueris mari, fontibus, viridibus, agro, villa amœniſſima, neque enim dubito eſſe amœniſſimam, in qua ſe compoſuerat homo, felicior antè quàm feliciſſimus fieret. Ego in Tuſcis & venor & ſtudeo, quæ interdum alternis, & interdum ſimul facio: nec tamen adhuc poſſum pronuntiare vtrum ſit difficilius capere aliquid an ſcribere. Vale.

C. PLIN. PAVLINO SVO S. 19

VIdeo quàm molliter tuos habeas, quo ſimpliciùs tibi cōfitebor qua indulgētia meos tractē. Eſt mihi ſemper in animo & Homericū illud, πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν, & hoc

noſtrũ; paterfamiliâs. Quòd ſi eſſem natura aſperior & durior, frangeret me tamen infirmitas liberti mei Zoſimi: cui tanto maior humanitas exhibenda eſt, quanto nunc illa magis eget. eſt homo probus, officioſus, literatus, & ars quidem eius, & quaſi inſcriptio, comœdus, in qua plurimum facit. Nam pronuntiat acriter, ſapienter, aptè, decenter, etiam vtitur & cithara peritè vltrà quàm comœdo neceſſe eſt. Idem tam commodè orationes & hiſtorias & carmina legit, vt hoc ſolum didiciſſe videatur. Hæc tibi ſedulò expolui, quò magis ſcires quàm multa vnus mihi & quàm iucunda miniſteria præſtaret. Accedit huc lõga iam charitas hominis, quam ipſa pericula auxerunt. eſt enim à natura comparatum vt nihil æquè amorem incitet & accendat quàm carendi metus, quem ego pro hoc non ſemel patior. Nam antè aliquot annos dum intentè inſtantérque pronuntiat, ſanguinem reiecit, atque ob hoc in Ægyptum miſſus à me, poſt longam peregrinationem confirmatus rediit nuper: deinde dum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmitatis tuſſicula admonitus, rurſus ſanguinem reddidit. Qua ex cauſa deſtinaui eũ mittere in prædia tua, quæ Foroiulij poſſides. audiui enim te ſæpe referentem eſſe ibi & aëra ſalubrem, & lac huiuſmodi curationibus accõmodatiſſimum. Rogo ergo ſcribas tuis vt illi villa, vt domus pateat: offerant etiam ſumptibus eius, ſiquid opus erit: erit autem opus modico. eſt enim tã parcus & continens, vt non ſolùm delicias, verumetiam neceſſitates valetudinis frugalitate reſtringat. ego proficiſcendi tantum via-

tici dabo, quantum sufficit & moderato & eunti in tua. Vale.

C. PLIN. VRSO SVO S. 20

ITerum Bithyni post breue tempus à Iulio Basso etiam Rufum Varenum proconsulē detulerunt: Varenum, quem nuper aduersus Bassum aduocatum & postularant & acceperant. inducti in senatum, inquisitionem postulauerunt: tum Varenus petit vt sibi quoque defensionis causa vocare testes liceret: recusantibus Bithynis, cognitio suscepta est. Egi ego pro Vareno non sine euētu. num bene an malè, liber indicabit. In actionibus enim vtranque in partem fortuna dominatur: multum commēdationis & detrahit & affert memoria, vox, gestus, tempus ipsum: postremò vel amor vel odium rei: liber offensis, liber gratia, liber & secundis casibus, & aduersis caret. Respondit mihi Fonteius Magius, vnus ex Bithynis, plurimis verbis, paucissimis rebus. Mos est plerisque Græcorum vt illis sit pro copia volubilitas: tam lōgas támque rigidas periodos vno spiritu quasi torrēte cōtorquent. Itaq; Iulius Cādidus non inuenustè solet dicere, aliud esse eloquentiā aliud loquentiā. Nam eloquētia vix vni aut alteri, immò si Marco Antonio credimus, nemini: hæc verò quam Cādidus loquentiā appellat, multis atque etiam impudentissimo cuique maximè contingit. Postero die dixit pro Vareno Homulus callidè, acriter, cultè: contrà Nigrinus presse, grauiter, ornatè. Censuit

Acilius Rufus, consul designatus, inquisitionem Bithynis dandam: postulationem Vareni silentio præteriit. Hęc forma negandi fuit. Cornelius Priscus consularis & accusatoribus quæ petebam & reo tribuit, vicítque numero. Impetrauimus rem nec lege comprehensam, nec satis vsitatam, iustam tamen. Quare iustam non sum epistola exequuturus, vt desideres actionem. Nam si verum est Homericum illud,

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται,

apud te prouidendum est, mihi ne gratiam nouitatis & florem, quę oratiunculam meam vel maximè commendat, epistolæ loquacitate præcerpam. Vale.

C. PLINIVS RVFO SVO. S. 21

DEscenderam in Basilicam Iuliam, auditurus quibus proxima comperendinatione respondere debebam. Sedebant iudices, centumuiri venerant, obseruabantur: aduocati silentium longum, tandem à prætore nuntius. Dimittuntur centumuiri: eximitur dies, me gaudente, qui nunquam ita paratus sum, vt non mora læter. Causa dilationis, Nepos prætor, qui legibus quærit. Proposuerat breue edictum, admonebat accusatores, admonebat reos, executurum se quæ senatusconsulto continerentur. Suberat edicto senatusconsultum hoc. Omnes qui quid negotij haberent, iurare priùs quàm agerent iubebantur, nihil se ob aduocationem cuiquam

dedisse, promisisse, cauisse. His enim verbis, ac mille præterea, & vænire aduocationes & emi vetabantur. Peractis tamen negotiis, permittebantur pecuniam duntaxat decem millium dare. Hoc facto Nepotis commotus prætor, qui centumuiralibus præsidet, deliberaturus an sequeretur exemplum inopinatum, nobis otium dedit. Interim tota ciuitate Nepotis edictum carpitur, laudatur. multi, Inuenimus qui curua corrigerent. Quid? ante hunc prætores non fuerunt? Quis autem hic est qui emendet publicos mores? Alij contrà, Rectissimè fecit initurus magistratum: iura cognouit: senatusconsulta legit: reprimit fœdissimas pactiones: rem pulcherrimam turpissimè vænire non patitur. Tales vbique sermones, qui tamen alterutram in partem ex euentu prævalebunt. Est omnino iniquum, sed vsu receptum, quòd honesta consilia vel turpia prout malè aut prosperè cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur. Inde plerunque eadem facta modò diligentiæ, modò vanitatis, modò libertatis, modò furoris nomen accipiunt.

Vale.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPISTOLARVM

LIBER SEXTVS.

C. PLIN. TYRONI SVO S. 1

QVANDIV ego trans Padum, tu in Piceno, minùs te requirebam: postquam ego in vrbe, tu adhuc in Piceno, multò magis: seu quòd ipsa loca in quibus esse vnà solemus, acrius me tui commonent, seu quòd desiderium absentium nihil perinde ac vicinitas acuit: quódque propiùs accesseris ad spem fruendi, hoc impatientiùs careas. Quicquid in caussa, eripe me huic tormento: veni, aut ego illuc, vnde inconsultè properaui, reuertar, vel ob hoc solum, vt experiar an mihi quum sine me Romæ cœperis esse, similes his epistolas mittas. Vale.

C. PLIN. ARRIANO SVO S. 2

SOleo nonnunquam in iudiciis quærere Marcum Regulum: nolo enim dicere desiderare. cur ergo quæro? habebat studiis honorem, timebat, pallebat, scribebat: quamuis non posset dediscere illud ipsum, quòd oculũ modò dextrum, modò sinistrum circumlinebat: dextrum, si à petitore; alterum, si à pos-

ſeſſore eſſet acturus, quòd candidum ſpleniũ in hoc aut illud ſupercilium transferebat: quòd ſemper aruſpices conſulebat de actionis euentu, animi ſuperſtitione, ſed tamen à magno ſtudiorum honore veniebat. Iam illa perquàm iucunda vnà dicentibus, quòd libera tempora petebat, quòd audituros corrogabat. Quid denique iucundius quàm ſub alterius inuidia, quandiu velis, & in alieno auditorio quaſi deprehenſum commodè dicere? Sed vtcunque ſe habent iſta, bene fecit Regulus, quòd eſt mortuus, melius ſi antè. Nunc etiam ſanè poterat ſine malo publico viuere ſub eo principe, ſub quo nocere nõ poterat. ideo fas eſt, nonnunquam eum quærere. Nam poſtquam obiit ille, increbuit paſſim & inualuit conſuetudo, binas vel ſingulas clepſydras, interdum & dimidias, & dandi & petendi. Nam & qui dicunt, egiſſe malunt quàm agere: & qui audiunt, finire quàm iudicare. tanta negligentia, tanta deſidia, tanta denique irreuerentia ſtudiorum periculorúmque eſt. An nos ſapientiores maioribus noſtris? nos legibus ipſis iuſtiores, quæ tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? hebetes illi & ſupra modum tardi? Nos apertiùs dicimus, celeriùs intelligimus, religioſius iudicamus, quia paucioribus clepſydris præcipitamus cauſas quàm diebus explicari ſolebant? O Regule, qui ambitione ab omnibus obtinebas quod fidei pauciſſimi præſtant. Equidem quoties iudico, quod vel ſæpius facio quàm dico, quantum quis plurimum poſtulat aquæ, do: etenim temerarium exiſtimo, diuinare quàm ſpatioſa ſit

causa inaudita, tempúsque negotio finire, cuius modum ignores: præsertim cùm primùm religioni suæ iudex patientiam debeat, quæ pars magna iustitiæ est. At quædam superuacua dicuntur etiam: sed satius est & hæc dici quàm non dici necessaria. Præterea, an sint superuacua, nisi quum audieris, scire non possis. Sed de his meliùs coràm, vt de pluribus vitiis ciuitatis. Nam tu quoque amore communium soles emendari cupere quæ iam corrigere difficile est. Nunc respiciamus domos nostras. Ecquid omnia in tua rectè? in mea noui nihil. mihi autem & gratiora sunt bona, quòd perseuerant: & leuiora incommoda, quòd assueui. Vale.

C. PLIN. VERO SVO S. 3

GRatias ago quòd agellum quem nutrici meæ donaueram, colendum suscepisti. Erat quum donarem centum millium nummûm: postea, decrescente redditu, etiampretium minuit, quod nunc te curante reparabit, Tu modò memineris commendari tibi à me non arbores & terram (quamquam hæc quoque) sed munusculum meũ, quod esse quam fructuosissimum non illius magis interest quæ accepit, quàm mea qui dedi. Vale.

C. PLIN. CALPHVRNIÆ SVAE S. 4

NVnquam ſum magis de occupationibus meis queſtus, quæ me non ſunt paſſæ aut proficiſcentem te valetudinis cauſa in Campania proſequi, aut profectam, è veſtigio ſubſequi. Nunc enim præcipuè ſimul eſſe cupiebam, vt oculis meis crederem quid viribus, quid corpuſculo acquireres, & qui denique ſeceſſus, voluptates, regionísque abundantiam inoffenſa tranſmitteres. Equidem etiam fortem te & non ſine cura deſiderarem. eſt enim ſuſpenſum & anxium de eo quem ardentiſſimè diligas, interdum nihil ſcire. Nunc verò me cùm abſentiæ, tum infirmitatis tuæ ratio, incerta & varia ſolicitudine exterret. Vereor omnia, imaginor omnia: quæque natura metuentium eſt, ea maximè mihi quæ maximè abominor fingo. Quo impẽſius rogo vt timori meo quotidie ſingulis, vel etiam binis epiſtolis conſulas. Ero enim ſecurior, dum legam: ſtatímque timebo, quum legero. Vale.

C. PLINIVS VRSO SVO. S. 5

SCripſeram tenuiſſe Varenum, vt ſibi euocare teſtes liceret, quod pluribus æquum, quibuſdam iniquum, & quidem pertinaciter viſum, maximè Licinio Nepoti, qui ſequenti ſenatu, quum de rebus aliis referretur, de proximo ſenatuſconſulto diſſeruit, finitámque

cauſam

caufam retractauit, Addidit etiam, petendum à confulibus vt referrent fub exemplo legis ambitus, de lege repetundarum, an placeret in futurum ad eam legem adiici, vt ficut accufatoribus inquirendi, teftibúfque denuntiandi poteftas ex ea lege effet: ita reis quoque fieret. Fuerunt quibus hæc eius oratio, vt fera & intempeftiua & præpoftera, difpliceret: quæ omiffo cõtradicendi tempore caftigaret peractum cui potuiffet, occurrere. Iubentius quidem Celfus prætor, tanquã emendatorem fenatus, & multis vehemẽter increpuit. Refpondit Nepos, rurfúfque Celfus: neuter contumeliis temperauit. Nolo referre quæ dici ab ipfis moleftè tuli: quo magis quofdam è numero noftro improbaui, qui modò ad Celfum, modò ad Nepotem, prout hic vel ille diceret, cupiditate audiendi curfitabant: & nunc, quafi ftimularent & accenderent, nunc quafi recõciliarent componeréntque, frequentiùs fingulis, ambobus interdum propitium Cçfarem, vt in ludicro aliquo precarentur. Mihi quidem illud etiam peracerbum fuit, quòd funt alter alteri quid pararent indicati. Nam & Celfus Nepoti ex libello refpondit, & Celfo Nepos ex pugillaribus. Tanta loquacitas amicorum fuit, vt homines iurgaturi idipfum inuicem fcirent, tanquam conueniffent. Vale.

C. PLIN. FVNDANO SVO S. 6

SI quando, nunc præcipuè cuperem effe te Romæ, & fis rogo. Opus eft mihi voti

laboris, solicitudinis socio. Petit honores Iulius Naso, petit cum multis, cum bonis, quos vt gloriosum, sic est difficile superare. Pendeo ergo, & exerceor spe, atque afficior metu, & me consularem esse non sentio. nam rursus mihi videor omnium quæ decurri candidatus. Meretur hanc curam longa mei charitate: est mihi cum illo non sanè paterna amicitia; neque enim potuit esse per meam ætatem. Solebat tamen vixdum adolescentulo mihi pater eius cum magna laude monstrari. erat non studiorum tantùm, verumetiam studiosorum amantissimus: ac propè quotidie ad audiendos quos tunc ego frequentabam, Quintilianum & Nicetem sacerdotem ventitabat: vir alioqui clarus & grauis, & qui prodesse filio memoria sui debeat. Sed multi nunc in senatu, quibus ignotus ille: multi quibus notus, sed non nisi viuentes reuerentur: quo magis huic, omissa gloria patris, in qua magnum ornamentum, gratia infirma, ipsi enitendum & laborãdum est. Quod quidem semper quasi prouideret hoc tempus sedulò fecit, parauit amicos, quos parauerat coluit: me certè, vt primùm sibi ætas iudicare permisit, ad amorem imitationémque delegit. Dicenti mihi solicitè assistit, assidet recitanti: primus etiam & cum maximè nascentibus opusculis meis interest, nunc solus, antè cum fratre, cuius nuper amissi ego suscipere partes, ego vicem debeo implere. Doleo enim & illum immatura morte indignissimè raptum, & hunc optimi fratris adiumento destitutum, solísque amicis relictum. Quibus ex causis exigo vt venias, & suffragio meo tuum iungas. pet-

multum intereſt mea, te oſtentare & tum circuire ea eſt autoritas tua, vt putem me efficaciùs tecum etiam meos amicos rogaturum. Abrumpe ſi qua te retinent. hoc tempus meum, hoc fides, hoc etiam dignitas poſtulat. Suſcepi candidatum, & ſuſcepiſſe me notum eſt: ego ambio, ego periclitor. In ſumma, ſi datur Naſoni quod petit, illius honor: ſi negatur, mea repulſa eſt. Vale.

C. PLIN. CALPHVRNIÆ SVAE S. 7

SCribis te abſentia mea non mediocriter affici, vnúmque habere ſolatium, quòd pro me libellos meos teneas, ſæpe etiam in veſtigio meo colloces: gratum eſt quòd nos requiris, quòd his fomentis meis acquieſcis: inuicem ego epiſtolas tuas lectito, atque idẽtidem in manus quaſi nouas ſumo: ſed eo magis ad deſiderium tui accendor. Nam cuius literæ tantum habent ſuauitatis, huius ſermonibus quantum dulcedinis ineſt? tu tamen frequentiſſimè ſcribe, licèt hoc ita me delectet, vt torqueat. Vale.

C. PLIN. PRISCO SVO S. 8

ATtilium Creſcentem & noſti & amas. quis enim illum ſpectatior paulo aut non nouit, aut nõ amat? hunc ego nõ vt multi, ſed arctiſſimè diligo. oppida noſtra vnius diei itinere dirimuntur, ipſi amare inuicem,

qui eſt flagrantiſſimus amor, adoleſcentuli cœpimus. manſit hic poſtea, nec refrixit iudicio, ſed inualuit. Sciunt qui alterutrum noſtrûm familiariùs intuētur. Nam & ille amicitiam meam latiſſimè prædicatione circumfert, & ego præ me fero quàm ſit mihi curæ modeſtia, quies, ſecuritas eius. Quinetiam quum inſolentiam cuiuſdam tribunatum plebis inituri vereretur, ídque indicaſſet mihi, reſpondi,

Οὔτις ἐμοῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο,
Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

Quorſum hæc? Vt ſcias non poſſe Attilium me incolumi iniuriam accipere. Iterum dices, Quorſum hæc? Debuit ei pecuniam Valerius Varus: huius eſt hæres Maximus noſter, quē & ipſe amo, ſed coniunctiùs tu. Rogo ergo, exigo etiam pro iure amicitiæ, cures vt Attilio meo ſalua ſit non ſors modò, ſed etiam vſura plurium annorum. homo eſt alieni abſtinentiſſimus, ſui diligens, nullis quæſtibus ſuſtinetur, nullus illi, niſi ex frugalitate redditus. Nam ſtudia, quibus plurimum præſtat, ad voluptatem tantùm & gloriam exercet: grauis eſt ei vel minima iactura, quia reparare quod amiſeris grauius eſt. Exime hunc illi, exime hunc mihi ſcrupulum: ſine me ſuauitate eius, ſine leporibus perfrui. neque enim poſſum triſtem videre, cuius hilaritas me triſtem eſſe non patitur. In ſumma, noſti facetias hominis: quas velim attendas ne in bilem & amaritudinem vertat iniuria, quam vim habeat offenſus, crede ei quam in amore habet. non feret magnum & liberum inge-

nium cum contumelia damnum. Verùm vt ferat ille, ego meum damnum, meam contumeliam iudicabo: sed non tanquam pro mea, hoc est grauius, irascar. quanquam quid denuntiationibus & quasi minis ago? quin potiùs vt cœperam, rogo, oro, des operam ne ille se, quod validissimè vereor, à me, ego me neglectũ à te putem. dabis autem, si hoc perinde curæ est tibi quàm illud mihi. Vale.

C. PLIN. TACITO SVO S. 9

COmmendas mihi Iulium Nasonem candidatum. Nasonẽ mihi? quid si meipsum? fero tamen & ignosco. eundem enim commendassem tibi, si te Romæ morante ipse abfuissem. Habet hoc solicitudo, quòd omnia necessaria putat. tu tamen censeo alios roges: ego precum tuarum minister, adiutor, particeps ero. Vale.

C. PLIN. ALBINO SVO S. 10

QVum venissem in socrus meæ villã Alsiensem, quæ aliquando Rufi Virginij fuit, ipse mihi locus optimi illius & maximi viri desiderium non sine dolore renouauit. hunc enim incolere secessum, atque etiam senectutis suæ nidulum vocare consueuerat. Quocunque me contulissem, illum animus, illum oculi requirebant. libuit etiam monimentum eius videre, & vidisse pœnituit. Est

enim adhuc imperfectū, nec difficultas operis in causa modici, ac potius exigui, sed inertia eius cui cura mandata est. Subit indignatio cum miseratione, post decimum mortis annum reliquias neglectúmque cinerem, sine titulo, sine nomine iacere, cuius memoria orbem terrarum gloria peruagetur. At ille mandauerat cauerátque vt diuinum illud & immortale factum versibus inscriberetur,

Hîc situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam,
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Tam rara in amicitiis fides, tam parata obliuio mortuorū, vt ipsi nobis debeamus etiam conditoria extruere, omniáque heredum officia presumere. Nam cui non est verendum quod videmus accidisse Virginio? cuius iniuriam vt indigniorem, sic etiam notiorem ipsius claritas facit. Vale.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S. 11

O Diem lætum! adhibitus in consilium à præfecto vrbis audiui ex diuerso agentes summę spei, summę indolis iuuenes duos, Fuscum Salinatorem & Numidium Quadratum, egregium par, nec modò temporibus nostris, sed literis ipsis ornamento futurum. Mira vtrique probitas, constantia salua, decorus habitus, os Latinum, vox virilis, tenax memoria, magnum ingenium, iudicium æquale: quæ singula mihi voluptati fuerunt: atque inter hæc illud quod & ipsi me vt rectorem, vt magistrum intuebantur,

& ijqui audiebant me æmulari, meis instare vestigiis videbantur. O diem (repetam enim) lætum, notandumque mihi candidissimo calculo. Quid enim aut publicè lętius quàm clarissimos iuuenes nomen & famam ex studiis petere? aut mihi optatius, quàm me ad recta tendentibus quasi exemplar esse propositum? Quod gaudium vt perpetuò capiam, deos oro: ab iisdem, teste te, peto vt omnes qui me imitari tanti putabunt, meliores esse quàm me velint. Vale.

C. PLIN. FABATO PROSOCERO SVO S. 12

TV verò non debes suspensa manu commendare mihi quos tuendos putes. Nam & te decet multis prodesse, & me suscipere quicquid ad curam tuam pertinet. Itaque Vectio Prisco quantum plurimum potuero pręstabo, præsertim in arena mea, hoc est apud centumuiros. Epistolarum quas mihi, vt ais, aperto pectore scripsisti, obliuisci me iubes: at ego nullarum libentiùs memini. Ex illis enim vel præcipuè sentio quantopere me diligas, cùm sic exegeris mecum vt solebas cum tuo filio. Nec dissimulo, hoc mihi iucundiores eas fuisse, quòd habebam bonam causam, cùm summo studio curassem quod tu curare volebas. Proinde etiam atque etiam rogo vt mihi semper eadem simplicitate, quoties cessare videbor, (nunquam enim cessabo) conuitium facias. quod & ego intelligam à summo amore proficisci, & tu non meruisse me gaudeas. Vale.

C. PLINIVS VRSO SVO S. 13

VNquámne vidiſti quenquam tam laborioſum & exercitum, quàm Varenum meum? cui quod ſumma contentione impetrauerat, defendendum & quaſi rurſus petendum fuit. Bithyni ſenatuſcõſultum apud conſules carpere & labefactare ſunt auſi, atque etiã abſẽti principi criminari: ab illo ad ſenatũ remiſſi, nõ deſtiterũt. Egit Claudius Capito irreuerenter magis quàm conſtanter, vt qui ſenatuſconſultum apud ſenatum accuſaret. Reſpondit Fronto Catius grauiter & firmè: ſenatus ipſe mirificus. Nam illi quoque qui priùs negarant Vareno quæ petebat, eadem danda, poſtquam erant data, cenſuerunt. Singulos enim integra re diſſentire fas eſſe, peracta, quod pluribus placuiſſet, cũctis tuẽdum. Acilius tantùm Rufus, & cum eo ſeptem an octo? ſeptem immò, in priore ſententia perſeuerarunt. Erant in hac paucitate nonnulli, quorum temporaria grauitas, vel potiùs grauitatis imitatio ridebatur. Tu tamen æſtima quantum nos in ipſa pugna pręlij & certaminis maneat, cuius quaſi prælusio atque præcurſio has contentiones excitauit. Vale.

C. PLIN. MAVRICO SVO S. 14

SOlicitas me in Formianum: veniam ea conditione, nequid contra commodum

tuum facias: qua pactione inuicem mihi caueo. neque enim mare & littus, sed te, otium, libertatem sequor: alioqui satius est in vrbe remanere. Oportet enim omnia aut ad alienum arbitrium aut ad suum facere: mei certè stomachi hæc natura est vt nihil nisi totum & merum velit. Vale.

C. PLIN. ROMANO SVO S. 15

MIrificæ rei non interfuisti: ne ego quidem, sed me recens fabula excepit. Passienus Paulus, splendidus eques Romanus, & in primis eruditus, scribit elegos, gentilitium hoc illi. est enim municeps Propertij, atque etiam inter maiores suos Propertium numerat. is quum recitaret, ita cœpit dicere, Prisce iubes? Ad hoc Iabolenus Priscus (aderat enim vt Paulo amicissimus) Ego verò non iubeo. Cogita qui risûs hominum, qui loci. Est omnino Priscus dubiæ sanitatis: interest tamen officiis, adhibetur consiliis, atque etiam ius ciuile publicè respondet: quo magis quod tunc fecit, & ridiculum & notabile fuit. Interim Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. tam solicitè recitaturis prouidendum est non solùm vt sint ipsi sani, verùm etiam vt sanos adhibeant. Vale.

C. PLINIVS TACITO SVO S. 16

PEtis vt tibi auunculi mei exitum scribam, quò verius tradere posteris possis:

gratias ago. Nam video, morti eius, si celebretur à te, immortalem gloriam esse propositam. Quanuis enim pulcherrimarum clade terrarum, vt populi, vt vrbes memorabili casu, quasi semper victurus occiderit: quanuis ipse plurima opera & mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum æternitas addet. Equidē beatos puto quibus deorum munere datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda: beatissimos verò quibus vtrunque: horum in numero auũculus meus & suis libris & tuis erit. Quo libentiùs suscipio, deposco etiam quod iniungis. Erat Miseni, classémque imperio præsens regebat. Non. Cal. Septembris, hora diei ferè septima, mater mea indicat ei, apparere nubem inusitata & magnitudine & specie. Vsus ille sole, mox frigidam gustauerat iacens, studebátque: poscit soleas, ascendit locum ex quo maximè miraculum illud conspici poterat. nubes (incertum procul intuentibus ex quo monte, Vesuuium fuisse postea cognitum est) oriebatur, cuius similitudinem & formam non alia magis arbor quàm pinus expresserit. Nam longissimo velut trunco elata, in altum, quibusdam ramis diffundebatur. credo quia recenti spiritu euecta, deinde senescente eo destituta, aut etiam pōdere suo victa, in latitudinem vanescebat: candida interdum, interdum sordida & maculosa, prout terram cinerémve sustulerat. Magnum propiúsque noscendum vt eruditissimo viro visum. Iubet liburnicam aptari: mihi si venire vnà vellem, facit copiam. respondissi, studere me malle: & fortè ipse quod scriberem dede-

rat. Egrediebatur domo, accipit codicillos. Retinæ classiarij imminenti periculo exterriti (nam villa ea subiacebat, nec vlla nisi nauibus fuga) vt se tanto discrimine eriperet orabant. Non vertit ille consilium, sed quod studioso animo inchoauerat, obit maximo. Deducit quadriremes. ascendit ipse non Retinæ modò, sed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium. properat illuc vnde alij fugiunt: rectúmque cursum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu, vt omnes illius mali motus, omnes figuras, vt deprehenderat oculis, dictaret enotarétque. Iam nauibus cinis inciderat, quò propius accederet, calidior & densior, iam pumices etiam, nigríque & ambusti & fracti igne lapides: iam vadum subitum, ruináque montis littora obstantia, cunctatúsque paulùm an retrò flecteret, mox gubernatori vt ita faceret monenti, Fortes, inquit, fortuna iuuat: Pomponianum pete. Stabiis erat, diremptus sinu medio. Nam sensim circumactis curuatísque littoribus mare infunditur. Ibi, quanquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen, & quum crescere proximo, sarcinas contulerat in naues, certus fugæ, si contrarius ventus resedisset: quo tunc auunculus meus secundissimo inuectus complectitur trepidantem, consolatur, hortatur: vtque timorem eius sua securitate leniret, deferri se in balineum iubet, lotus accubat, cœnat, atque hilaris aut quod est æquè magnum, similis hilari. Interim è Vesuuio monte pluribus locis latissimæ flammæ altáque incendia reluce-

bant, quorum fulgor & claritas tenebris noctis excitabatur. ille agrestium trepidatione ignis relictas desertásque villas per solitudinem ardere, in remedium formidinis dictitabat, tum se quieti dedit, & quieuit verissimo quidem somno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis grauior & sonantior erat, ab iis qui limini obuersabantur, audiebatur. Sed area ex qua diæta adibatur, ita iam cinere, mixtísque pumicibus oppleta surrexerat, vt si lõgior in cubiculo mora esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, séque Pomponiano, cæterísque qui peruigilarant reddit. In commune consultant an intra tecta subsistant, an in aperto vagentur. Nam crebris, vastísque tremoribus tecta nutabant, & quasi emota sedibus suis nunc huc nunc illuc abire aut referri videbãtur. Subdio rursus, quanquam leuium exesorúmque pumicum casus metuebatur. quod tamen periculorũ collatio elegit, & apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit, ceruicalia capitibus imposita linteis constringunt. Id munimentum aduersus decidentia fuit. Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiórque: quam tamen faces multæ variáque lumina soluebant. Placuit egredi in littus, & è proximo aspicere écquid iam mare admitteret, quod adhuc vastum & aduersum permanebat. Ibi super abiectum linteum recubans, semel atque iterum frigidam poposcit, hausítque: deinde flammæ flammarúmque prænuntius odor sulfuris, alios in fugã vertunt, excitant illum. innixus seruis duobus assurrexit, & statim

concidit, vt ego coniecto, crassiore caligine spiritu obstructo, clausóque stomacho, qui illi natura inualidus & angustus & frequenter interęstuãs erat. Vbi dies redditus is, ab eo quem nouissimè viderat, tertius, corpus inuentum est integrum, illæsum opertúmque vt fuerat indutus: habitus corporis quiescenti quàm defuncto similior. Interim Miseni ego & mater. sed nihil ad historiam, nec tu aliud quàm de exitu eius scire voluisti. Finẽ ergo faciam: vnum adiiciam, omnia me quibus interfueram, quæque statim quum maximè vera memorãtur, audiueram, verè persequutum: tũ potissima excerpes. aliud est enim epistolam, aliud historiam: aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

C. PLIN. RESTITVTO SVO S. 17

INdignatiunculam quam in cuiusdam amici auditorio cepi, non possum mihi temperare quominus apud te, quia non contingit coràm, per epistolam effundam. Recitabatur liber absolutissimus: hunc duo aut tres, vt sibi & paucis videntur, diserti, surdis mutísque similes audiebant Non labra diduxerunt, non mouerunt manum, non denique assurrexerũt saltem lassitudine sedendi. Quæ tanta grauitas? quæ tanta sapientia? quæ immò pigritia, arrogantia, sinisteritas, ac potiùs amentia, in hoc totum diem impendere, vt offendas, vt inimicum relinquas, ad quem tanquam amicissimus veneris? Disertior ipse es? tanto magis ne inuideris, nam qui inuidet, minor est.

Denique siue plus, siue minus, siue idem præstas, lauda vel inferiorem, vel superiorem, vel parem. Superiorem, quia nisi laudandus ille non est, non potes ipse laudari: inferiorẽ aut parẽ, quia pertinet ad tuam gloriam quã maximũ videri quem præcedis vel exæquas. Equidem omnes qui aliquid in studiis faciunt, venerari etiam mirarique soleo. est enim res difficilis, ardua, fastidiosa, & quæ eos à quibus contemnitur, dedignatur. Nisi fortè aliud iudicas tu: quanquam quis vno te reuerentior huius operis, quis benignior æstimator? Qua ratione ductus, tibi potissimùm indignationem meam prodidi, quem habere socium maximè poteram. Vale.

C. PLIN. SABINO SVO S. 18

Rogas vt agam Firmanorum publicam causam: quod ego, quanquam plurimis occupationibus distẽtus, adnitar. cupio enim & ornatissimam coloniam aduocationis officio, & te gratissimo tibi munere obstringere. Nam cùm familiaritatẽ nostram, vt soles prædicare, ad præsidium ornamentúmque tibi sumpseris, nihil est quod negare debeã, præsertim pro patria petenti. Quid enim precibus aut honestius piis, aut efficacius amantis? Proinde Firmanis tuis, ac iam potiùs nostris, obliga fidem meam, quos labore & studio meo dignos cùm splendor ipsorum tum hoc maximè pollicetur, quòd credibile est optimos esse, inter quos tu talis extiteris. Vale.

C. PLIN. NEPOTI SVO S. 19

SCis tu acceſſiſſe pretium agris, præcipuè ſuburbanis. Cauſa ſubitæ charitatis, res multis agitata ſermonibus, proximis comitiis honeſtiſſimas voces ſenatui expreſſit, Cādidati ne conuiuentur, ne mittant munera, ne pecunias deponant. Ex quibus duo priora tā apertè quàm immodicè fiebant: hoc tertium, quanquam occultaretur, pro comperto habebatur. Homulus deinde noſter vſus vigilanter hoc conſenſu ſenatus, ſententiæ loco poſtulauit vt conſules deſiderium vniuerſorum notum principi facerent, peterēntque ſicut aliis vitiis, huic quoque prouidētia ſua occurreret; occurrit. Nam ſumptus candidatorum, fœdos illos & infames, ambitus lege reſtrinxit. eoſdem patrimonij tertiam partem conferre iuſſit in ea quæ ſolo continerentur: deforme arbitratus (vt erat) honorem petituros, vrbem Italiámque, non pro patria, ſed pro hoſpitio aut ſtabulo quaſi peregrinantes habere. Concurſant ergo candidati certatim: quicquid venale audiunt, emptitant: vt ſint quoque plura venalia, efficiunt. Proinde, ſi pœnitet te Italicorum prædiorum, hoc vendendi tempus, tam hercule quàm in prouinciis comparandi, dum iidem candidati illic vendunt, vt hîc emant. Vale.

C. PLIN. TACITO SVO S. 20

AIs te adductum literis quas exigenti tibi de morte auunculi mei ſcripſi, cupere cognoſcere quos ego Miſeni relictus (id enim ingreſſus abruperam) non ſolùm metus, verumetiam caſus pertulerim: quãquam animus meminiſſe horret, incipiam. Profecto auunculo, ipſe reliquum tempus ſtudiis (ideo enim remanſeram) impendi: mox balineum, cœna, ſomnus inquietus & breuis. præceſſerat per multos dies tremor terræ minus formidoloſus, qui Campaniæ non ſolùm caſtella, verumetiam oppida vexare ſolitus: illa verò nocte ita inualuit, vt non moueri omnia, ſed euerti crederentur. Irrumpit cubiculum meum mater: ſurgebam inuicem, ſi quieſceret, excitaturus. reſedimus in area domus, quæ mare à tectis modico ſpatio diuidebat. dubito conſtantiam vocare an imprudentiam debeam: agebam enim duodeuiceſimum annum. Poſco librum Titi Liuij, & quaſi per otium lego, atque etiam vt cœperam, excerpo. Ecce amicus auunculi, qui nuper ad eum ex Hiſpania venerat, vt me & matrem ſedentes, me verò etiam legentem videt, illius patientiam, ſecuritatem meam corripit: nihilo ſegniùs ego intentus in librũ iam hora diei prima, & adhuc dubius & quaſi languidus dies, iam quaſſatis circumiacentibus tectis, quanquàm in aperto loco, anguſto tamen magnus & certus ruinę metus. Tũ demum excedere oppido viſum. Sequitur

vulgus attonitum, quódque in pauore simile prudentiæ, alienum consilium suo præfert, ingentíque agmine abeuntes premit & impellit. Egressi tecta consistimus, multa ibi miranda, multas formidines patimur. nam vehicula quæ produci iusseramus, quanquam in planissimo campo, in contrarias partes agebantur, ac ne lapidibus quidem fulta, in eodem vestigio quiescebant. Præterea mare in se resorberi, & tremore terræ quasi repelli videbatur. Certè processerat littus, multáque animalia maris in siccis arenis detinebat. Ab altero latere nubes atra & horrenda ignei spiritus tortis vibratísque discursibus rupta, in longas flammarum figuras dehiscebat, fulgoribus illæ & similes & maiores erant. Tũ verò ille idem ex Hispania amicus acriùs & instantiùs, Si frater (inquit) tuus, tuus auunculus viuit, vult esse vos saluos: si periit, superstites voluit: proinde quid cessatis euadere? Respondimus, non commissuros nos, vt de salute eius incerti, nostræ consuleremus. Non moratus vltrà proripit se, effusóque cursu periculo aufertur: nec multo pòst, illa nubes descendere in terras, operire maria, cinxerat Capreas & absconderat: Miseni quod procurrit, abstulerat. Tum mater orare, hortari, iubere quoquo modo fugerem. posse enim iuuenem, se & annis & corpore grauem bene morituram, si mihi causa mortis non fuisset. Ego contrà, saluum me, nisi vnà, non futurũ: deinde manum eius amplexus, addere gradũ cogo: paret ægrè, incusátque se quòd me moretur. Iam cinis adhuc tamen rarus, respicio, densa caligo tergis imminebat, quæ nos

torrentis modo infusa terræ, sequebatur. Deflectamus (inquam) dum videmus, ne in via strati, comitantium turba in tenebris obteramur. Vix consederamus, & nox non qualis illunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine extincto: audires vlulatus fœminarum, infantium quiritatus, clamores virorũ: alij parentes, alij liberos, alij coniuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant: hi suũ casum, illi suorum miserebantur: erant qui metu mortis mortem precarentur. multi ad deos manus tollere, plures nusquã iam deos vllos, æternámque illam & nouissimam noctem mundo interpretabantur. nec defuerunt qui fictis mentitísque terroribus vera pericula augerent. Aderant qui Miseni illud ruisse, illud ardere, falsò, sed credentibus nuntiabãt. Paulùm reluxit, quod non dies nobis, sed aduentantis ignis indicium videbatur: & ignis quidem longiùs substitit: tenebræ rursus, cinis rursus multus & grauis: hunc identidem assurgentes excutiebamus, operti alioqui, atque etiam oblisi pondere essemus. Possem gloriari, non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse, ni si mecum omnibus, omnia mecum perire misero, magno tamen mortalitatis solatio credidissem. Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulámve decessit: mox dies verè, sol etiam effulsit, luridus tamen: qualis esse quum deficit solet. Occursabant trepidantibus adhuc oculis mutata omnia, altóque cinere tanquam niue obducta. Regressi Misenum, curatis vtcunque corporibus, suspensam dubiámque mentem, spe ac metu

exegimus, metus præualebat. Nam & tremor terræ perseuerabat, & plerique lymphati terrificis vaticinationibus & sua & aliena mala ludificabantur. nobis tamen ne tūc quidem, quanquam & expertis periculum, & ea spectantibus, abeundi consilium donec de auunculo nuntius veniret. Hæc nequaquam historia digna non scripturus, leges, & tibi scilicet qui requisisti, imputabis, si digna ne epistola quidem videbuntur. Vale.

C. PLIN. CANINIO SVO S. 21

SVM ex iis qui mirer antiquos: non tamē, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa & effœta natura vt nihil iam laudabile pariat: atque adeo nuper audij Verginium Romanum paucis legentem comœdiam ad exemplar veteris comœdiæ scriptam tam bene vt esse quandoque possit exemplar. Nescio an noris hominem, quanquam nosse debes. est enim probitate morum, ingenij elegantia, operum varietate monstrabilis. Scripsit mimiambos tenuiter, argutè, venustè, atque in hoc genere eloquētissimè. Nullum est enim genus quod absolutum, non possit eloquentissimum dici. Scripsit comœdias, Menandrum aliósque ætatis eiusdem æmulatus, licèt has inter Plautinas, Terentianásque numeres. Nunc primùm se in vetere comœdia, sed non tanquam inciperet, ostendit: non illi vis, non granditas, non subtilitas, non amaritudo, non dulcedo, non lepos defuit. ornauit virtutes,

insectatus est vitia, fictis nominibus decenter, veris vsus est aptè. Circa me tantùm benignitate nimia modum excessit, nisi quod tamen poëtis mentiri licet. In summa extorquebo ei librum, legendúmque, immò edíscendum mittam tibi. neque enim dubito futurum vt non deponas, si semel sumpseris. Vale.

C. PLINIVS TYRONI SVO S. 22

MAgna res acta est omnium qui sunt prouinciis præfuturi, magna omnium qui se simpliciter credunt amicis. Lustricus Bruttianus quum Mõtanum Atticinum comitem suum in multis flagitiis deprehendisset, Cæsari scripsit: Atticinus flagitiis addidit, vt quẽ deceperat, accùsaret. Recepta cognitio est. fui in consilio, egit vterque pro se, egit autem carptim, & κατὰ κεφάλαια: quo genere veritas statim ostenditur. Protulit Bruttianus testamentum suum, quod Atticini manu scriptum esse dicebat. Hoc enim & arcana familiaritas, & quærendi de eo quem sic amasset, necessitas indicabatur. enumerauit crimina fœda manifestáque: ille quum diluere non posset, ita recessit, vt dum defenditur, turpis: dum accusat, sceleratus probaretur. Corrupto enim scribæ seruo, interceperat commentarios, interciderátque, ac per summum nefas vtebatur aduersus amicum crimine suo. Fecit pulcherrimè Cæsar. non enim de Bruttiano, sed statim de Atticino pronuntiauit. damnatus & in insulam relegatus: Bruttiano iustis-

ſimum integritatis teſtimonium redditum, quem quidem etiam conſtantiæ gloria ſecuta eſt. Nam defenſus expeditiſſimè, accuſauit vehementer, nec minùs acer quàm bonus & ſincerus apparuit. Quod tibi ſcripſi vt te ſortitum prouinciam præmonerem, plurimum tibi credas, nec cuiquam ſatis fidas: deinde ſcias, ſi quis fortè te, quod abominor, fallat, paratam vltionem: quæ tamen ne ſit opus, etiam atque etiam attende. Neque enim tam iucundum eſt vindicari, quàm decipi miſerum. Vale.

C. PLIN. TRIARIO SVO S. 25

IMpenſè petis vt agam cauſam pertinentem ad curam tuam, pulchrā alioquin & famoſam. faciam, ſed non gratis. Quî fieri poteſt (inquis) vt non gratis tu? Poteſt: exigā enim mercedem honeſtiorem gratuito patrocinio. Peto, atque etiam paciſcor, vt ſimul agat Cremutius Ruſo: ſolitum hoc mihi, & iam in pluribus claris adoleſcentibus factitatum. Nā mirè concupiſco bonos iuuenes oſtendere foro, aſſignare famæ. Quod ſi cui præſtare Ruſoni meo debeo: vel propter natales ipſius, vel propter eximiam mei charitatem: quem magni æſtimo in iiſdem iudiciis, ex iiſdem etiam partibus conſpici, audiri. Obliga me, obliga antequam dicat. nam quum dixerit, gratias ages: ſpondeo ſolicitudini tuæ, ſpei meæ, magnitudini cauſæ ſuffecturum. Eſt indolis optimæ, breui producturus alios, ſi interim prouectus fuerit à nobis.

Neque enim cuiquam tam clarum ſtatim ingenium eſt, vt poſſit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam commendatórque contingat. Vale.

C. PLINIVS MACRO SVO S. 24

QVàm multum intereſt quid à quoque fiat; eadem enim facta claritate vel obſcuritate facientium aut tolluntur altiſſimè, aut humillimè deprimuntur. Nauigabam per Larium noſtrum quum ſenior amicus oſtendit mihi villam, atque etiam cubiculum, quod in lacum prominet. Ex hoc (inquit) aliquando municeps noſtra cum marito ſe præcipitauit. Cauſam requiſiui. Maritus ex diutino morbo circa velanda corporis vlceribus putreſcebat: vxor vt inſpiceret exegit: neque enim quenquam fideliùs iudicaturum poſſétne ſanari: vidit, deſperauit. hortata eſt vt moreretur, coméſque ipſa mortis, dux immò & exemplum & neceſſitas fuit. Nam ſe cum marito ligauit, abiecítque in lacum. Quod factum ne mihi quidem, qui municeps, niſi proximè auditum eſt: non quia minùs illo clariſſimo Arriæ facto, ſed quia minor eſt ipſa. Vale.

C. PLIN. HISPANO SVO S. 25

SCribis, Robuſtum, ſplendidum equitem Ro. cum Attilio Scauro amico meo Ocriculum vſque commune iter feciſſe, deinde

nusquam comparuisse: petis vt Scaurus veniat, nósque, si potest, in aliqua inquisitionis vestigia inducat. Veniet, vereor ne frustrà. suspicor enim tale nescio quid Robusto accidisse, quale aliquando Metilio Crispo, municipi meo. Huic ego ordines impetraueram, atque etiam proficiscenti quadringinta millia nummûm ad instruendum se ornandúmque donaueram: nec postea aut epistolas eius, aut aliquem de exitu nuntium accepi. interceptúsne sit à suis an cum suis, dubium: certè non ipse, non quisquam ex seruis eius apparuit. vtinam ne in Robusto idem experiamur, tamen accersamus Scaurum. demus hoc tuis, demus optimi adolescẽtis honestissimis precibus, qui pietate summa, mira etiam sagacitate patrem quærit: dij faueant vt sic inueniat ipsum, quemadmodum iam cum quo fuisset, inuenit. Vale.

C. PLIN. SERVIANO SVO S. 26

Gaudeo & gratulor quòd Fusco Salinatori filiam tuam destinasti. Domus patritia, pater honestissimus, mater pari laude. Ipse est studiosus, literatus, etiam disertus, puer simplicitate, comitate iuuenis, senex grauitate: neque enim amore decipior. Amo quidem effusè, ita officiis, ita reuerentia meruit, iudicio tamen, & quidem tanto acriùs quanto magis amo: tibíq;, vt qui explorauerim, spõdeo habiturum te generum, quo melior fingi, ne voto quidem potuit. Superest vt auum te quãmaturissimè simillimũ sui faciat. Quàm felix tempus illud quo mihi liberos

illius, nepotes tuos vt meos vel liberos, vel nepotes, ex vestro sinu sumere, & quasi pari iure tenere continget. Vale.

C. PLINIVS SEVERO SVO S. 27

ROgas vt cogitem quid designatus consul in honorem principis censeas. Facilis inuentio, non facilis electio. est enim ex virtutibus eius larga materia, tamen quod sentiam indicabo, si priùs hæsitationem meã ostendero. Dubito num idem tibi suadere quod mihi debeam. Designatus ego consul omni hac, etsi non adulatione, specie tamen adulationis abstinui: non tanquam liber & constans, sed tanquam intelligens principis nostri: cuius videbam hanc esse præcipuam laudem, si nihil quasi ex necessitate decernerem. Recordabar etiam, plurimos honores pessimo cuique delatos, à quibus hic optimus separari non alio modo magis poterat, quàm diuersitate censendi: quod ipsum non dissimulatione & silentio præterij, ne fortè non iudicium illud meum, sed obliuio videretur. Hoc tunc ego, sed non omnibus eadem placent, nec conueniunt quidem. Præterea, faciẽdi aliquid vel non faciendi vera ratio, cùm hominum ipsorum, tum rerum etiam ac temporum conditione initur. Nam recentia opera maximi principis præbent facultatem noua, magna, vera censendi: quibus ex causis (vt suprà scripsi) dubito an idem nunc tibi quod tunc mihi suadeam. Illud non dubito, debuisse me in parte consilij tui ponere quod ipse fecis-

fecissem. Vale.

C. PLIN. PONTIO SVO S. 28

SCio quæ tibi causa fuerit impedimento quominus præcurrere aduentum meum in Campaniam posses: sed quanquam absens totus huc migrasti tantum mihi copiarum tam vrbanarum quàm rusticarum nomine tuo oblatum est, quas omnes improbè quidē accepi tamen. Nam me tui vt ita facerem rogabant, & verebar ne & mihi & illis irasceeris, si non fecissem: in posterum nisi adhibueris modum, ego adhibebo. Etiam tuis denuntiaui, si rursus tam multa attulissent, omnia relaturos. Dices oportere me tuis rebus vt meis vti. etiam. sed perinde illis ac meis parco. Vale.

C. PLIN. QVADRATO SVO S. 29

AVidius Quietus, qui me vnicè dilexit, & qui non minimum gaudeo, probauit vt multa alia Trasceæ (fuit enim familiaris) ita hoc sæpe referebat, præcipere solitum suscipiendas esse causas aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplū pertinentes. Cur amicorum? non eget interpretatione. Cur destitutas? quòd in illis maximè & constantia agentis & humanitas cerneretur. Cur pertinētes ad exemplum? quia plurimum refert bonum an malum induceretur. Ad hæc ego genera causarum, ambitiosè fortasse, addam

tamen claras & illuſtres. æquum enim eſt agere nonnunquam gloriæ & famę, id eſt ſuã cauſam: hos terminos, quia me conſuluiſti, dignitati ac verecundię tuæ ſtatuo. Nec me præterit, vſum & eſſe & haberi optimum dicendi magiſtrum. video etiam multos paruo ingenio, literis nullis, vt bene agerent agendo cõſequutos. Sed & illud quod vel Pollionis vel tãquã Pollionis accepi, veriſſimum experior, Cõmodè agẽdo factũ eſt vt ſępe agerẽ ſępe agẽdo vt minus cõmodè: quia ſcilicet aſſiduitate nimia facilitas magis q̃ facultas, nec fiducia, ſed temeritas paratur. Nec verò Iſocrati, quominus haberetur ſũmꝰ orator, offecit quòd infirmitate vocis, mollicie frõtis, ne in publico diceret impediebatur. ꝓinde multũ lege, ſcribe, meditare, vt poſſis quũ voles: dices quũ velle debebis. Hoc ferè tẽperamẽtum ipſe ſeruaui: nonnunquam neceſſitati, quæ pars rationis eſt, parui. Egi enim quaſdam à ſenatu iuſſus, quo tamẽ in numero fuerunt ex illa Thraſeæ diuiſione, hoc eſt ad exemplum pertinentes. Affui Bæticis contra Bæbium Maſſam, quæſitum eſt an danda eſſet inquiſitio: data eſt. Affui rurſus, iiſdem quærentibus de Cæcilio Claſſico. quæſitum eſt an prouinciales vt ſocios miniſtróſque proconſulis plecti oporteret: pœnas luerũt. Accuſaui Marium Priſcum, qui lege repetundarum damnatus vtebatur clementia legis, cuius ſeueritatem immanitate criminum exceſſerat: relegatus eſt. Tuitus ſum Iulium Baſſũ, vt incuſtoditum nimis & incautum, ita minimè malum: iudicibus acceptis in ſenatu remanſit. Dixi proximè pro Vareno poſtu-

lante vt sibi inuicem vocare testes liceret: impetratumque est. In posterum opto vt ea potissimum iubeat quæ me deceat vel sponte fecisse. Vale.

C. PLIN. FABATO SVO S. 30

DEbemus mehercule natales tuos perinde ac nostros celebare, cùm lætitia nostrorum ex tuis pendeat, cuius diligentia & cura hîc hilares, istic securi sumus. Villa Camilliana quam in Campania possides, est quidem vetustate vexata, ea tamen quæ sunt pretiosiora, aut integra manent, aut leuissimè læsa sunt. Attendimus ergo vt quam saluberrimè reficiantur. Ego videor habere multos amicos; sed huius generis cuius & tu quæris & res exigit, propè neminē: sunt enim omnes togati & vrbani: rusticorum autem prædiorum administratio possit durum aliquem & agrestem, cui nec labor ille grauis, nec cura sordida, nec tristis solitudo videatur. Tu de Rufo honestissimè cogitas. fuit enim filio tuo familiaris, quid tamen nobis ibi præstare possit ignoro, velle plurimùm credo. Vale.

C. PLIN. CORNELIANO SVO S. 31

EVocatus in consilium à Cæsare nostro ad Centumcellas (hoc loco nomen) longè maximam cepi voluptatem. Quid enim

iucundius quàm principis iustitiam gravitatem, comitatem in secessu quoque, vbi hæc maximè recluduntur, inspicere? Fuerunt variæ cognitiones, & quæ virtutes iudicis per plures species experirentur. Dixit causam Claudius Aristo, princeps Ephesiorum, homo munificus, & innoxiæ popularitatis: inde inuidia, & ab dissimillimis dissimilis delator immissus. itaque absolutus vindicatúsque est. Sequenti die audita est Gallita adulterij rea. Nupta hæc tribuno militum honores petituro, & suam & mariti dignitatem centurionis amore maculauerat: maritus legato consulari, ille Cæsari scripserat. Cæsar excussis probationibus, centurionem exautorauit, atque etiam relegauit. Supererat crimini, quod nisi duorum esse non poterat, reliqua pars vltionis, sed maritum non sine aliqua reprehensione patientiæ amor vxoris retardabat: quā quidem etiam post delatum adulterium domi habuerat, quasi contẽtus æmulum remouisse. Admonitus vt perageret accusationem, peregit inuitus, sed illam damnari etiam inuito accusatore necesse erat: damnata, & Iuliæ legis pœnis relicta est. Cæsar & nomen centurionis, & commemorationem disciplinæ militaris sententiæ adiecit, ne omnes eiusmodi causas reuocare ad se videretur. Tertio die inducta cognitio est, multis sermonibus & vario rumore iactata Iulij Tironis codicillis, quos ex parte veros esse constabat, ex parte falsi dicebantur. Substituebantur criminibus Sempronius Senecio, eques Romanus, & Eurythimus, Cæsaris libertus & procurator. Hæredes, quum Cesar esset in Dacia,

communiter epiſtolola ſcripta petierant vt ſuſciperet cognitionem: ſuſceperat. reuerſus diem dixerat: & quum ex hæredibus quidam quaſi reuerentia Eurythmi remitterent accuſationem, pulcherrimè dixerat, Nec ille Polycletus eſt, nec ego Nero. Indulſerat tamen petentibus dilationem, cuius tempore exacto conſederat auditurus. A parte hæredum intrauerunt duo: omnino poſtularunt vt omnes hæredes agere cogerentur, quum detuliſſent omnes, aut ſibi quoque deſiſtere permitteretur. Loquutus eſt Cæſar ſumma grauitate, ſumma moderatione: quúmque aduocatus Senecionis & Eurythmi dixiſſet ſuſpicionibus relinqui reos, niſi audirentur, Non curo (inquit) án iſti ſuſpicionibus relinquantur, ego relinquor. Dein conuerſus ad nos, Ἐπίςησθε quid facere debeamus? iſti enim queri volunt quòd ſibi licuerit non accuſare. tum ex conſilij ſententia iuſſit denuntiari hæredibus omnibus aut agerent, aut ſinguli approbarent cauſas nō agendi, alioqui ſe vel de calumnia pronuntiaturum. Vides quàm honeſti, quàm ſeueri dies, quos iucundiſſimæ remiſſiones ſequebantur. Adhibebamur quotidie cœnę: erat modica, ſi principem cogites: interdum ἀκροάματα audiebamus, interdum iucundiſſimis ſermonibus nox ducebatur. Summo die abeuntibus nobis (tam diligens in Cæſare humanitas fuit) xenia ſunt miſſa: ſed mihi vt grauitas cognitionum, conſilij honor, ſuauitas ſimplicitaſque conuictus, ita locus ipſe periucundus fuit. Villa pulcherrima cingitur viridiſſimis agris: imminet lit-

tori, cuius in ſinu quammaximus portus, velut amphitheatrum. Huius ſiniſtrũ brachium firmiſſimo opere munitum eſt: dextrum elaboratur. In ore portus inſula aſſurgit, quæ illatum vento mare obiacens frangat, tutúmque ab vtroque latere decurſum nauibus præſtet: aſſurgit autem arte viſenda. ingentia ſaxa latiſſima nauis prouehit: contra hæc alia ſuper alia deiecta ipſo pondere manent, ac ſenſim quodam velut aggere conſtruuntur. Eminet iam & apparet ſaxeum dorſum, impactóſque fluctus in immenſum elidit & tollit. vaſtus illic fragor, canúmque circa mare. Saxis deinde pilæ adiiciuntur, quæ procedenti tempore enatam inſulam imitentur. Habebit hic portus etiam nomen autoris, erítque vel maximè ſalutaris. nam per longiſſimum ſpatium littus importuoſum hoc receptaculo vtetur. Vale.

C. PLIN. QVINTILIANO SVO S. 32

QVanuis & ipſe ſis continentiſſimus, & filiam tuam ita inſtitueris vt decebat filiam tuam, Tutilij neptem, quum tamen ſit nuptura honeſtiſſimo viro, Nonio Celeri: cui ratio ciuilium officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponit, debet ſecundùm conditiones mariti veſte, comitatu augeri: quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen & inſtruitur. Te porrò animo beatiſſimum, modicum facultatibus ſcio: itaque partem oneris tui mihi vindico, & tanquam parens alter puellæ noſtræ confero quinqua-

ginta millia nummum: plus collaturus, nisi à verecundia tua sola mediocritate munusculi impetrari posse considerem ne recusares. Vale.

C. PLIN. ROMANO SVO S. 33

Tollite cuncta, inquit, cœptósque auferte labores, seu scribis aliquid, seu legis, tolli, auferri iube, & accipe orationem meam, vt illi arma diuina. Num superbiùs potui? re uera, vt inter meas pulchram. nam mihi satis est certare mecum. Est hæc pro Accia Variola & dignitate personæ & exempli raritate & iudicij magnitudine insignis. Nam fœmina splendidè nata, nupta prætorio viro, exhæredata ab octogenario patre, intra vndecim dies quàm ille nouercam ei amore captus induxerat, quadruplici iudicio bona paterna repetebat. Sedebant iudices centum & octoginta (tot enim quatuor consiliis colliguntur) ingens vtrinque aduocatio, & numerosa subsellia: præterea densa circumstantium corona, latissimum iudicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatū tribunal, atque etiam ex superiore basilicæ parte qua fœminæ, qua viri, & audiendi quod erat difficile, & quod facile visendi studio imminebant. Magna expectatio patrum, magna filiarū, magna etiam nouercarū. Secutus est varius euentus. Nam duobus consiliis vicimus, totidē victi sumus. Notabilis prorsus res & mira eadem in causa, iisdem iudicibus, iisdem aduocatis, eodem

tempore tanta diuersitas accidit casu quidem, sed non vt casus videretur. Victa est nouerca: ipsa hæres ex parte sexta. Victus Suburranus, qui exhęredatus à patre singulari impudétia alieni patris bona vindicabat, non ausus fui petere. Hæc tibi exposui, primùm vt ex epistola scires quæ ex oratione non poteras: deinde, (nam detegam artes) vt orationem libentiùs legeres, si non legere tibi, sed interesse iudicio videreris: quàm sit licèt magna, non despero gratiam breuissimè impetraturam. nam & copia rerum, & arguta diuisione, & narratiunculis pluribus, & eloquendi varietate renouatur. Sunt multa (non auderem nisi tibi dicere) elata, multa pugnantia, multa subtilia. Interuenit enim acribus illis & erectis frequens necessitas computandi, ac penè calculos tabulámque poscendi, vt repentè in priuati iudicij formam centumuirale vertatur. Dedimus vela indignationi, dedimus iræ, dedimus dolori: & in amplissima causa, quasi magno mari pluribus ventis sumus vecti. In summa, solent quidam ex contubernalibus nostris existimare hanc orationem (iterum dicã) præcipuam, vt inter meas ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος esse: an verè, tu facillimè iudicabis, qui tam memoriter tenes omnes, vt conferre cum hac, dum hanc solam legis, possis. Vale.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S. 34

RECtè fecisti quòd gladiatorium munus Veronensibus nostris promisisti, à qui-

bus olim amaris, ſuſpiceris, ornaris. Inde etiam vxorem chariſſimam tibi probatiſſimam habuiſti, cuius memoriæ aut opus aliquod, aut ſpectaculum, atque hoc potiſſimum, quod maximè funeri debeatur. Præterea tanto conſenſu rogabaris, vt negare, non conſtans, ſed durum videretur. Illud quoque egregium, quòd tam facilis, tam liberalis in edendo fuiſti. nam per hæc etiam magnus animus oſtenditur. Vellem Africanæ, quas coemeras plurimas, ad pręfinitum diem occurriſſent: ſed licèt ceſſauerint, illa tempeſtate detentæ, tu tamen meruiſti vt acceptum tibi fieret, quod quominùs exhiberes, non per te ſtetit. Vale.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPI-ſtolarum

LIBER SEPTIMVS.

C. PLIN. RESTITVTO SVO S. I

TErret me hæc tua tam pertinax valetudo, & quanquam te temperatiſſimum nouerim, vereor tamen nequid illi etiam in mores tuos liceat. Proinde moneo, patienter reſiſtas. Hoc laudabile, hoc ſalutare admittit humana natura. Quod ſuadeo, ipſe certè ſic agere ſanus cum meis ſoleo. Spero quidem, ſi fortè in aduerſam valetudinem incidero, nihil me deſideraturum vel pudore vel pœnitentia dignum: ſi tamen ſuperauerit morbus, denuntio nequid mihi detur, niſi permittentibus medicis: ſciántque, ſi dediderint, ita vindicaturum vt ſolent alij quæ negantur. Quinetiam quum peruſtus ardentiſſima febri, tandem remiſſus vnctúſque acciperem à medico potionem, porrexi manum, vtque me tangeret dixi, admotúmque iam labris poculum reddidi. Poſtea quum viceſimo valetudinis die balineo præpararer, muſſantéſque medi-

cos repentè vidissem, causam requisiui: responderunt, posse me tutò lauari, non tamen omnino sine aliqua suspicione. Quid (inquã) necesse est? atque ita spe balinei, cui iam videbar inferri placidè leniterque, dimissa, ad abstinentiam rursus, non secus ac modò ad balineum, animum vultúmque composui. Quæ tibi scripsi, primùm vt te non sine exemplo monerem: deinde vt in posterum ipse ad eandem temperantiam adstringerer, quum me hac epistola quasi pignore obligauissem. Vale.

C. PLIN. IVSTO SVO S. 2

QVemadmodum congruit vt simul & affirmes te assiduis occupationibus impediri, & scripta nostra desideres, quæ vix ab otiosis impetrare aliquid perituri temporis possunt? Patiar ergo æstatem inquietam nobis, exercitámque transcurrere: & hyeme demum, quum credibile erit noctibus saltem vacare te posse, quæram quid potissimum ex nugis meis tibi exhibeam. Interim abundè est, si epistolæ non sunt molestæ. Sunt autem, & ideo breuiores erunt. Vale.

C. PLIN. PRÆSENTI SVO S. 3

TAntâne perseuerantia? tu modò in Lucania, modò in Campania. Ipse enim (inquis) Lucanus, vxor, Campana. Iusta causa

longioris absentiæ, non perpetuæ tamen. Quin ergo aliquando in vrbem redis? vbi dignitas, honor, amicitię, tam superiores quàm minores. Quousque regnabis? quousque vigilabis? quum voles, dormies. quandiu voles? quousque calcei? nusquam toga feriata? liber totos dies? tempus est te reuisere molestias nostras, vel hoc solum, ne voluptates istæ satietate languescant. Saluta paulisper, quò sit tibi iucundius salutari: terere in hac turba, vt te solitudo delectet. Sed quid imprudens quē reuocare conor, retardo? fortasse enim his ipsis admoneris vt te magis ac magis otio inuoluas, quod ego non abrumpi, sed intermitti volo. Vt enim si cœnam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutósque miscerem, vt obtusus illis & oblitus stomachus his excitaretur: ita nunc hortor vt iucundissimum genus vitæ nonnullis interdum, quasi acrioribus condias. Vale.

C. PLIN. PONTIO SVO S. 4

Ais legisse te hendecasyllabos meos: requiris etiam quemadmodum cœperim scribere, homo, vt tibi videor, seuerus; vt ipse fateor, non ineptus. Nunquam à poëtice (altiùs enim repetam) alienus fui: quinetiam quatuordecim natus annos Græcam tragœdiam scripsi. Qualem? inquis. Nescio, tragœdia vocabatur. Mox quum è militia rediens, in Icaria insula ventis detinerer, Latinos elegos in illud ipsum mare ipsámque insulam

feci. Expertus ſum me aliquando & heroico, hendecaſyllabis nunc primùm, quorum hic natalis, hæc cauſa eſt. Legebantur in Laurentino mihi libri Aſinij Galli de comparatione patris & Ciceronis: incidit epigramma Ciceronis in Tyronem ſuum: dein quum meridie (erat enim æſtas) dormiturus me recepiſſem, nec obreperet ſomnus: cœpi reputare maximos oratores hoc ſtudij genus, & in oblectationibus habuiſſe & in laude poſuiſſe. Intendi animum, contráque opinionem meam, poſt longam deſuetudinem, perquàm exiguo temporis momento idipſum quod me ad ſcribendum ſolicitauerat, his verſibus exaraui

Quum libros Galli legerem, quibus ille parenti
Auſus de Cicerone dare eſt palmámque decúſque,
Laſciuum inueni luſum Ciceronis & illo
Spectandum ingenio quo ſeria condidit & quo
Humanis ſalibus multo varióque lepôre
Magnorum oſtendit mentes gaudere virorum.
Nam queritur quòd fraude mala fruſtratus amantem
Paucula cœnato ſibi debita ſauia Tyro
Tempore nocturno ſubtraxerit. His ego lectis,
Cur poſt hæc, inquam, noſtros celamus amores?
Nullúmque in medium timidi damus? atque fatemur
Tyroníſque dolos, Tyronis noſce fugaces
Blanditias & furta, nouas addentia flammas?

Tranſij ad elegos, hos quoque non minùs celeriter explicui: addidi alios facilitate corruptus: deinde in vrbem reuerſus, ſodalibus legi. Probauerunt: dein plura metra, ſiquid otij, maximè in itinere tentaui. Poſtremò placuit exemplo multorum vnum ſeparatim

longioris absentiæ, non perpetuæ tamen. Quin ergo aliquando in vrbem redis? vbi dignitas, honor, amicitię, tam superiores quam minores. Quousque regnabis? quousque vigilabis? quum voles, dormies, quandiu voles? quousque calcei? nusquam toga feriata? liber totos dies? tempus est te reuisere molestias nostras, vel hoc solum, ne voluptates istæ satietate languescant. Saluta paulisper, quò sit tibi iucundius salutari: terere in hac turba, vt te solitudo delectet. Sed quid imprudens quē reuocare conor, retardo? fortasse enim his ipsis admoneris vt te magis ac magis otio inuoluas, quod ego non abrumpi, sed intermitti volo. Vt enim si cœnam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutósque miscerem, vt obtusus illis & oblitus stomachus his excitaretur: ita nunc hortor vt iucundissimum genus vitæ nonnullis interdum, quasi acrioribus condias. Vale.

C. PLIN. PONTIO SVO S. 4

AIs legisse te hendecasyllabos meos: requiris etiam quemadmodum cœperim scribere, homo, vt tibi videor, seuerus; vt ipse fateor, non ineptus. Nunquam à poëtice (altiùs enim repetam) alienus fui: quinetiam quatuordecim natus annos Græcam tragœdiam scripsi. Qualem? inquis. Nescio, tragœdia vocabatur. Mox quum è militia rediens, in Icaria insula ventis detinerer, Latinos elegos in illud ipsum mare ipsámque insulam

feci. Expertus ſum me aliquando & heroico, hendecaſyllabis nunc primùm, quorum hic natalis, hæc cauſa eſt. Legebantur in Laurentino mihi libri Aſinij Galli de comparatione patris & Ciceronis: incidit epigramma Ciceronis in Tyronem ſuum: dein quum meridie (erat enim æſtas) dormiturus me recepiſſem, nec obreperet ſomnus: cœpi reputare maximos oratores hoc ſtudij genus, & in oblectationibus habuiſſe & in laude poſuiſſe. Intendi animum, contráque opinionem meam, poſt longam deſuetudinem, perquàm exiguo temporis momento idipſum quod me ad ſcribendum ſolicitauerat, his verſibus exaraui

Quum libros Galli legerem, quibus ille parenti
Auſus de Cicerone dare eſt palmámque decuſque,
Laſciuum inueni luſum Ciceronis & illo
Spectandum ingenio quo ſeria condidit & quo
Humanis ſalibus multo varióque lepôre
Magnorum oſtendit mentes gaudere virorum.
Nam queritur quòd fraude mala fruſtratus amantem
Paucula cœnato ſibi debita ſauia Tyro
Tempore nocturno ſubtraxerit. His ego lectis,
Cur poſt hæc, inquam, noſtros celamus amores?
Nullúmque in medium timidi damus? atque fatemur
Tyroniſque dolos, Tyronis noſſe fugaces
Blanditias & furta, nouas addentia flammas?

Tranſij ad elegos, hos quoque non minùs celeriter explicui: addidi alios facilitate corruptus: deinde in vrbem reuerſus, ſodalibus legi. Probauerunt: dein plura metra, ſiquid otij, maximè in itinere tentaui. Poſtremò placuit exemplo multorum vnum ſeparatim

hendecasyllaborum volumen absoluere, nec pœnitet. Legitur, describitur, cantatur etiam; à Græcis quoque quos Latinè huius libelli amor docuit, nunc cithara, lyra personatur. Sed quid ego tam furiosè? quanquam poëtis furere concessum est, & tamen non de meo, sed de aliorum iudicio loquor, qui siue iudicant, siue errant, me delectant. Vnum precor, vt posteri quoque aut errent similiter, aut iudicent. Vale.

C. PLIN. CALPHVRNIÆ SVAE S. 5

INcredibile est quanto desiderio tui tenear. in causa amor primùm: deinde, quòd non consueuimus abesse. Inde est quòd magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo: inde quòd interdiu quibus horis te visere solebam, ad diætam tuam ipsi me, vt verissimè dicitur, pedes, ducunt: quòd denique æger & mœstus, & similis excluso à vacuo limine recedo. Vnum tempus his tormentis caret, quo in foro & amicorum litibus conteror. Æstima tu quæ vita mea sit, cui requies in labore, in miseria curísque solatium est. Vale.

C. PLIN. MACRINO SVO S. 6

RAra & notabilis res contigit Vareno, sit licèt adhuc dubia. Bithyni accusa-

tionem eius, vt temerè inchoatam, omisisse narrãtur. de eo adest prouinciæ legatus: attulit decretum consilij ad Cæsarem, attulit ad multos principes viros, attulit etiam ad nos, Vareni aduocatos. Perstat tamen idem ille Magius, quinetiam Nigrinum optimum virum pertinacissimè exercet. per hunc à consulibus postulabat vt Varenus exhibere rationes cogeretur. Assistebam Vareno iam tãtùm vt amicus, & tacere decreueram. nihil enim tam contrarium quàm si aduocatus à senatu datus defẽdere vt reum, cui opus esset ne reus videretur. Quum tamen finita postulatione Nigrini, consules ad me oculos retulissent, Scietis, inquam, constare nobis silentij nostri rationem, quum veros legatos prouinciæ audieritis cõtra Nigrinum, ad quem missi sunt: ego ad me quoque habeo decretum prouinciæ Rursus ille, Potest tibi liquere. Ad hoc ego, Si tibi ex diuerso liquet, potest & mihi quod est melius in causa liquere. Tũ legatus Polyænus causas abolitæ accusationis exposuit, postulauitq; ne cognitioni Cæsaris præiudicium fieret. Respondit Magius: iterúmq; Polyænus ipse rarò & breuiter interloquutus. Multùm me intra silentium tenui. accepi enim, non minus interdum oratoriũ esse, tacere quàm dicere: atque adeo repeto, quibusdam me capitis reis vel magis silentio quàm oratione accuratissima profuisse. Mater amisso filio (quid enim prohibet, quanquam alia ratio scribendæ epistolæ fuerit, de studiis disputare?) libertos eius, eosdémque cohæredes suos, falsi & veneficij reos detulerat ad

principem, iudicémque impetrauerat Iulium Seruianum. Defenderam reos ingenti quidẽ cœtu: erat enim causa notissima, præterea vtrinque ingenia clarissima. Finem cognitioni quæstio imposuit, quæ secundùm reos dedit. Postea mater adiit principem: affirmauit se nouas probationes inuenisse. Præceptum est Seruiano vt vacaret finitam causam retractãti, si quid noui afferret. Aderat matri Iulius Africanus, nepos Iulij oratoris: quo audito Passienus Crispus dixit, Bene mehercule, bene: sed quò tam bene? Iulius Nepos, iuuenis ingeniosus, sed parum callidus, quum multa dixisset, assignatúmque tempus implesset, Rogo, inquit, Seruiane, permittas mihi vnum versum adiicere. Tum ego, quum omnes me vt diu responsurum intuerentur, Respondissem, inquam, si vnum illum versum Africanus adiecisset, in quo non dubito omnia noua fuisse. Non facilè me repeto, tantum consequutum assensum agendo, quantum tunc non agendo. Similiter nunc & probatum & exceptum est, quòd pro Vareno hactenus non tacui Consules vt Polyænus postulabat, omnia integra principi seruauerunt, cuius cognitionem suspensus expecto. Nam dies ille nobis pro Vareno aut securitatem & otium dabit, aut intermissum laborem renouata solicitudine iniunget. Vale.

C. PLIN. SATVRNINO SVO S. 7

ET proximè Prisco nostro, & rursus, quia ita iussisti, gratias egi, libentissimè quidẽ

est enim mihi periucundum quòd viri optimi mihíque amicissimi adeo cohæsistis, vt inuicem vos obligari putetis. Nam ille quoque præcipuam se voluptatem ex amicitia tua capere profitetur, certátque tecum honestissimo certamine mutuæ charitatis, quam ipsum tempus augebit. Te negotiis distineri, ob hoc molestè fero, quòd deseruire studiis non potes: si tamen alteram litem per iudicē; alteram, vt ais, ipse finieris, incipies primùm istic otio frui, deinde satiatus ad nos reuerti. Vale.

C. PLIN. PRISCO SVO S. 8

EXprimere non possum quàm iucundum sit mihi quòd Saturninus noster summas tibi apud me gratias aliis super alias epistolis agit. perge vt cœpisti, virúmque optimum quamfamiliarissimè dilige, magnam voluptatem ex amicitia eius percepturus, nec ad breue tempus. nam cùm omnibus virtutibus abundet, tum hac præcipuè, quòd habet maximam in amore constantiam. Vale.

C. PLIN. FVSCO SVO S. 9

QVæris quemadmodum in secessu, quo iādiu fueris, putem te studere oportere: vtile in primis, & multi præcipiunt vel ex Græco in Latinum, vel ex Latino vertere in Græcum: quo genere exercitationis proprietas splendórque verborum, copia figurarum, vis explicandi, præterea imitatione optimo-

rum similia inueniẽdi facultas paratur: simul quæ legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt. Intelligentia ex hoc & iudicium acquiritur: nihil obfuerit, quæ legeris hactenus vt rem argumentúmque teneas, quasi æmulum scribere, lectisque conferre, ac sedulò pensitare quid tu, quid ille commodiùs. magna gratulatio si tu nonnulla, tum magnus pudor, si cuncta ille meliùs. Licebit interdum & notissima eligere & certare cum electis: audax hæc, non tamen improba, quia secreta contentio: quãquam multos videmus eiusmodi certamina sibi cum multa laude sumpsisse, quósque subsequi satis habebant, dum non desperant antecessisse. Poteris & quæ dixeris post obliuionẽ retractare, multa retinere, plura transire: alia interscribere, alia rescribere. Laboriosũ istud & tædio plenũ, sed difficultate ipsa fructuosũ, recalescere ex integro, & resumere impetum fractum omissúmque: postremò noua velut membra peracto corpori intexere, nec tamen priora turbare. Scio nunc tibi esse præcipuum studium orandi, sed non ideo semper pugnacem hunc, & quasi bellatorium stylum suaserim. Vt enim terræ variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nũnc hac, nunc illa meditatione recoluntur. Volo interdum aliquem ex historia locum apprehendas: volo epistolam diligentiùs scribas, volo carmina: nam sæpe in orationes quoque non historica modò, sed propè poëtica descriptionum necessitas incidit, & pressus sermo purúsque ex epistolis petitur. fas est & carmine remitti, non dico continuo & longo (id enim per-

fici nisi in otio non potest) sed hoc arguto & breui, quod aptè quantaslibet occupationes curásque distinguit. Lusus vocantur, sed hi lusus non minorem interdum gloriam quàm seria consequuntur: atque adeo (cur enim te aduersus non versibus adhorter?)

Vt laus est ceræ, mollis cedénsque sequatur
Si doctos digitos, iussáque, fiat opus:
Et nunc informet Martem, castámque Mineruam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum.
Vtque sacri fontes non sola incendia sistunt,
Sæpe etiam flores vernáque prata iuuant:
Sic hominum ingenium flecti ducíque per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

Itaque summi oratores, summi etiam viri sic se aut exercebãt aut delectabant, immò delectabant exercebántque. Nam mirum est vt his opusculis animus intendatur remittatúrque: recipiunt enim amores, odia, iras, misericordiam, vrbanitatem, omnia denique quæ ad vitam pertinent, atque etiam foro causísque versantur. Inest his quoque eadem quæ aliis carminibus vtilitas, quòd metri necessitate deuincti soluta oratione lætamur, & quod faciliùs esse comparatio ostendit, libẽtiùs scribimus. Habes plura etiam fortasse quàm requirebas: vnum tamen omisi. non enim dixi quæ legenda arbitrarer: quanquam dixi, quum dicerem, quæ scribenda. tu memineris, sui cuiusque generis autores diligenter eligere. Aiunt enim, multum legendum esse, non multa. Qui sint hi, adeo notum prouocatúmque est, vt demonstratione non egeant: & alioqui tam immodicè epistola me exten-

di, vt dum tibi quemadmodum ſtudere debeas, ſuadeo, ſtudēdi tempus abſtulerim. quin ergo pugillares reſumis, & aliquid ex his, vel iſtud ipſum quod cœperas ſcribis. Vale.

C. PLIN. MACRINO SVO S. 10

QVia ipſe quum prima cognoui, iungere extrema quaſi auulſa cupio, te quoque exiſtimo velle de Vareno & Bithynis reliqua cognoſcere. Acta cauſa hinc à Polyæno, inde à Magio. Finitis actionibus, Cæſar, Neutra, inquit, pars de mora queretur. Erit mihi curæ, explorare prouinciæ voluntatem. Multam interim Varenus tulit. Etenim quàm dubium eſt an meritò accuſetur, qui an omnino accuſetur incertum eſt? Supereſt ne rurſus prouinciæ quod damnaſſe dicitur, placeat, agátque pœnitentiam pœnitentiæ ſuæ. Vale.

C. PLIN. FABATO SVO S. 11

MIraris quòd Hermes libertus meus hæreditarios agros, quos ego iuſſeram proſcribi, non expectata auctione pro meo quincũce ex ſeptingentis millibus Corelliæ addixerit: adiicis poſſe eos nongentis millibus vænire, ac tanto magis quæris an quod geſſerit, ratum ſeruem. Ego verò ſeruo: quibus ex cauſis accipe. cupio enim & tibi probatum & cohæredibus meis excuſatum eſſe, quòd me ab illis maiore officio iubente ſe-

cerno. Corelliam cum summa reuerentia diligo primùm vt sororem Corellij Rufi, cuius mihi memoria sacrosancta est: deinde vt matri meæ familiarissimam. Sũt mihi & cum marito eius Minutio Fusco, optimo viro, vetera iura: fuerunt & cum filio maxima: adeo quidem vt prætore me ludis meis præsederit. Hæc quum proxime istic fui, indicauit mihi cupere se aliquid circa Larium nostrum possidere: ego illi ex prædiis meis quod vellet & quanti vellet obtuli, exceptis paternis maternisque: his enim cedere ne Corelliæ quidem possum. Igitur quum obuenisset mihi hæreditas in qua prædia ista, scripsi in venalia futura. has epistolas Hermes tulit, exigentique vt statim portionem meam sibi addiceret, paruit. Vides quàm ratum habere debeam, quod libertus meus meis moribus gessit? superest vt cohæredes æquo animo ferant, separatim me vendidisse quod mihi licuit omnino vendere: nec verò cogũtur imitari meum exemplum. non enim illis eadem cum Corellia iura sunt. possunt ergo intueri vtilitatem suam, pro qua mihi fuit amicitia. Vale.

C. PLINIVS MINVTIO SVO S. 12

Libellum formatum à me, sicut exegeras, quo amicus tuus, immò noster (quid enim nõ commune nobis?) si res posceret vteretur, misi tibi id eo tardius, ne tempus emendandi eum, id est disperdendi, haberes. habebis tamen, an emendandi, nescio, vtique disperdendi (ὑμεῖς γὰρ κακόζηλοι) optima quæ-

que si detraxeris. quod si feceris, boni consulam. Postea enim illis ex aliqua occasione vt meis vtar, & beneficio fastidij tui ipse laudabor, vt in eo quod annotatum inuenies, & suprascripto aliter explicitum. Nam quum suspicarer futurum vt tibi tumidius videretur, quod est sonantius & elatius; non alienum existimaui, ne te torqueres, addere statim pressius quiddam & exilius, vel potiùs humilius & peius, vestro tamen iudicio rectius. Cur enim non vsquequaque tenuitatem vestram insequar & exagitem? Hæc vt inter istas occupationes aliquid aliquando rideres: illud seriò. vide vt mihi viaticum reddas quod impendi data opera, cursore dimisso. Næ tu quum hoc legeris, non partes libelli, sed totum libellum improbabis, negabísque vllius pretij esse cuius pretium reposceris. Vale.

C. PLIN. FEROCI SVO S. 13

EAdem epistola & studere te & non studere significat. ænigmata loquor. ita planè donec distinctiùs quod sentio enuntiem. negat enim te studere: sed est tam polita, quæ nisi à studente non potest scribi: aut es tu super omnes beatus, si talia per desidiam & otium perficis. Vale.

C. PLIN. CORELLIÆ SVAE S. 14

TV quidem honestissimè quòd tam impēsè & rogas & exigis vt accipi iubeam

à te pretium agrorum non ex ſeptingentis millibus, quanti illos à liberto meo, ſed ex nongentis, quanti à publicanis partem viceſimam emiſti. Inuicem ego & rogo & exigo vt non ſolùm quid te, verumetiam quid me deceat aſpicias, patiaríſque me in hoc vno tibi eodem animo repugnare, quo in omnibus obſequi ſoleo. Vale.

C. PLIN. SATVRNINO SVO S. 15

REquiris quid agam? quo noſti diſtringor officio, amicis deſeruio, ſtudeo interdũ, quod non interdum, ſed ſolum ſempérque facere, non audeo dicere rectius, certè beatius erat: te alia omnia quàm quæ velis agere, moleſtè ferrem, niſi ea quæ agis eſſent honeſtiſſima. Nam & reip. ſuæ negotia curare, & diſceptare inter amicos, laude digniſſimum eſt. Priſci noſtri contubernium iucundum tibi futurum ſciebam, noueram ſimplicitatem eius, noueram comitatem: eundem eſſe, quod minùs noram, gratiſſimum experior, quòd tam iucundè officiorum noſtrorum meminiſſe eum ſcribas. Vale.

C. PLIN. FABATO PROSOCERO SVO S. 16

CAleſtrium Tyronem familiariſſimè diligo, & priuatis mihi & publicis neceſſitudinibus implicitum: ſimul militauimus, ſimul quæſtores Cæſaris fuimus. Ille me in tribunatu liberorum iure præceſſit, ego illum in

prætura ſum conſecutus, quum mihi Cæſar annum remiſiſſet. ego in villas eius ſæpe ſeceſſi, ille in domo mea ſæpe conualuit Hic nunc proconſule prouinciam Bæticam per Ticinum eſt petiturus. Spero, immò confido, facilè me impetraturum vt ex itinere deflectat ad te. ſi voles vindicta liberare quos proximè inter amicos manumiſiſti, nihil eſt quòd verearis ne ſit hoc illi moleſtū, cui orbem terrarum circumire, non erit longum mea cauſa proinde nimiam iſtam verecundiā pone, téque quid velis conſule. illi tam iucundum eſt quod ego, quàm mihi quod tu iubes. Vale.

C. PLIN. CELERI SVO S. 17

SVA cuique ratio recitandi, mihi, quod ſæpe iam dixi, vt ſiquid me fugit, vt certè fugit, admoneat. quo magis miror quòd ſcribis fuiſſe quoſdam qui reprehenderent quòd orationes omnino recitarem, niſi verò has ſolas non putant emendandas. A quibus libēter requiſierim cur concedant (ſi concedūt tamen) hiſtoriā debere recitari, quæ non oſtentationi, ſed fidei veritatique componitur. cur tragœdiam, quæ non auditorium, ſed ſcenam & actores: cur lyrica, quæ non lectorem, ſed chorum & lyram poſcunt. At horum recitatio vſu iam recepta eſt: num ergo culpandus eſt ille qui cœpit? quanquam orationes quoque & noſtri quidam & Græci lectitauerunt. Superuacuum tamen eſt recitare quę dixeris, etiamſi eadem omnia iiſdem omnibus, ſi ſtatim

tim

ſtatim recites : ſi verò multa inſeras, multa commutes : ſi quoſdam nouos, quoſdam eoſdem, ſed poſt tempus aſſumas, cur minùs probabilis ſit cauſa recitandi quæ dixeris quàm edendi? ſed dificile eſt vt oratio dũ recitatur, ſatisfaciat. Iam hoc ad laborem recitantis pertinet, non ad rationem non recitandi:nec verò ego dum recito,laudari;ſed dum legor, cupio. Itaque nullum emendandi genus omitto:ac primùm quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto:deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado annotanda: notáſque eorum, ſi dubito,cum vno rurſus aut altero penſito, nouiſſimè pluribus recito: ac ſi quid mihi credis,tunc acertimè emendo. nam tanto diligentiùs, quanto ſolicitiùs intendo. Optimè autem reuerentia, pudor, metus iudicãt.adque adeo ſic habe. Nónne ſi loquutur' es cum aliquo, quamlibet docto vno, tamen minùs comoueris quàm ſi cum multis vel indoctis? Nónne quum ſurgis ad agendum, tum maximè tibi ipſe diffidis? tum commutata, non dico plurima, ſed omnia cupis? Vtique ſi latior ſcena, & corona diffuſior.nam illos quoq; ſordidos pullatóſque reueremur. Nónne ſi prima quęq; improbari putas,debilitaris &concidis? Opinor,quia in numero ipſo eſt quoddam magnum, collatúmque cõſilium, quibúſque ſingulis iudicij parum, omnibus plurimum. Itaque Pomponius Secundus, hic ſcriptor tragœdiarum, ſiquid fortè familiarior amicus tollendum, ipſe retinendum arbitraretur, dicere ſolebat, Ad populum prouoco : atque ita ex populi vel ſilentio vel aſſenſu, aut ſuam aut amici

ſententiam ſequebatur. tantum ille populo dabat. Rectè an ſecus, nihil ad me. ego enim non populum aduocare, ſed certos electóſque ſoleo, quos intuear, quibus credam, quos denique & táquam ſingulos obſeruem, & táquam non ſingulos timeam. Nam quod M. Cicero de ſtylo, ego de metu ſentio. Timor eſt emendator acerrimus. hoc ipſum quod nos recitaturos cogitamus, emendat: quod auditorium ingredimur, emẽdat: quod pallemus, horreſcimus, circumſpicimus emendat. Proinde non pœnitet me conſuetudinis meæ, quam vtiliſſimam experior, adeóque non deterreor ſermunculis iſtorum vt vltrò te rogem, monſtres aliquid quod his addam. nihil enim curæ meæ ſatis eſt. Cogito quàm ſit magnum dare aliquid in manus hominum, nec perſuadere mihi poſſum, non & cum multis & ſæpe tractandum quod placere & ſemper & omnibus cupias. Vale.

C. PLIN. CANINIO SVO S. 18

DEliberas mecum quemadmodum pecunia quam municipibus noſtris in epulum obtuliſti, poſt te quoque ſalua ſit. honeſta conſultatio, non expedita ſententia. Numeres reipublicæ ſummam, verendum eſt ne dilabatur: des agros, vt publici negligangantur. Equidem nihil comodius inuenio quàm quod ipſe feci. Nam pro quingentis millibus nũmũm, quæ in alimenta ingenuorum ingenuarúmque promiſeram agrum ex

meis longè pluris exactori plublico mancipaui: eundem vectigali impoſito recepi c c c millia annua daturus. Per hoc enim & reipublicę ſors in tuto, nec redditus incert⁹, & ager ipſe propter id quod vectigali largè ſupercurrit, ſemper dominum à quo exerceatur, inueniet. Nec ignoro me plus aliquãto quàm donaſſe videor erogauiſſe, cùm pulcherrimi agri pretium neceſſitas vectigalis infregerit. Sed oportet priuatis vtilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre, multóſque diligẽtiùs muneri ſuo conſulere quàm facultatibus. Vale.

C. PLIN. PRISCO SVO S. 19

ANgit me Fanniæ valetudo. Cõtraxit hãc dum aſſidet Iuniæ virgini Veſtali ſponte primùm: (eſt enim affinis) deinde etiam ex autoritate pontificũ. Nã virgines, vi morbi atrio Veſtæ coguntur excedere, matronarum curæ cuſtodiæque mandantur, quo munere Fannia dum ſedulò fungitur, hoc diſcrimine implicita eſt. Inſident febres, tuſſis increſcit, ſumma macies, ſumma defectio, animus tãtùm & ſpiritus viget. Heluidio marito, Traſea patre digniſſima: reliqua labuntur, méque non metu tantùm, verumetiã dolore conficiunt. Doleo enim maximam fœminam eripi oculis ciuitatis, neſcio an aliquid ſimile viſuris. Quæ caſtitas illius? quæ ſanctitas? quanta grauitas? quanta conſtantia? Bis maritum ſequuta in exilium eſt, tertiò ipſa propter maritum relegata

ſententiam ſequebatur. tantum ille populo dabat. Rectè an ſecus, nihil ad me. ego enim non populum aduocare, ſed certos electóſque ſoleo, quos intuear, quibus credam, quos denique & tãquam ſingulos obſeruem, & tãquam non ſingulos timeam. Nam quod M. Cicero de ſtylo, ego de metu ſentio. Timor eſt emendator acerrimus. hoc ipſum quod nos recitaturos cogitamus, emendat: quod auditorium ingredimur, emẽdat: quod pallemus, horreſcimus, circumſpicimus emendat. Proinde non pœnitet me conſuetudinis meæ, quam vtiliſſimam experior, adeóque non deterreor ſermunculis iſtorum vt vltrò te rogem, monſtres aliquid quod his addam. nihil enim curæ meæ ſatis eſt. Cogito quàm ſit magnum dare aliquid in manus hominum, nec perſuadere mihi poſſum, non & cum multis & ſæpe tractandum quod placere & ſemper & omnibus cupias. Vale.

C. PLIN. CANINIO SVO S. 18

DEliberas mecum quemadmodum pecunia quam municipibus noſtris in epulum obtuliſti, poſt te quoque ſalua ſit. honeſta conſultatio, non expedita ſententia. Numeres reipublicæ ſummam, verendum eſt ne dilabatur: des agros, vt publici negligangantur. Equidem nihil comodius inuenio quàm quod ipſe feci. Nam pro quingentis millibus nũmûm, quæ in alimenta ingenuorum ingenuarûmque promiſeram agrum ex

meis longè pluris exactori plublico mancipaui: eundem vectigali impoſito recepi c c c millia annua daturus. Per hoc enim & reipublicę ſors in tuto, nec redditus incert⁹, & ager ipſe propter id quod vectigali largè ſupercurrit, ſemper dominum à quo exerceatur, inueniet. Nec ignoro me plus aliquãto quàm donaſſe videor erogauiſſe, cùm pulcherrimi agri pretium neceſſitas vectigalis infregerit. Sed oportet priuatis vtilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre, multóſque diligẽtiùs muneri ſuo conſulere quàm facultatibus. Vale.

C. PLIN. PRISCO SVO S. 19

ANgit me Fanniæ valetudo. Cõtraxit hãc dum aſſidet Iuniæ virgini Veſtali ſponte primùm; (eſt enim affinis) deinde etiam ex autoritate pontificũ. Nã virgines, vi morbi atrio Veſtæ coguntur excedere, matronarum curæ cuſtodiæque mandantur, quo munere Fannia dum ſedulò fungitur, hoc diſcrimine implicita eſt. Inſident febres, tuſſis increſcit, ſumma macies, ſumma defectio, animus tãtùm & ſpiritus viget. Heluidio marito, Traſea patre digniſſima: reliqua labuntur, méque non metu tantùm, verumetiã dolore conficiunt. Doleo enim maximam fœminam eripi oculis ciuitatis, neſcio an aliquid ſimile viſuris. Quæ caſtitas illius? quæ ſanctitas? quanta grauitas? quanta conſtantia? Bis maritum ſequuta in exilium eſt, tertiò ipſa propter maritum relegata

Nam quum Senecio reus esset, quòd de vita Heluidij libros composuisset, rogatúmque se à Fannia in defensione dixisset, quærente minaciter Mettio Caro an rogasset, respondit. Rogaui: an commentarios scripturo dedisset, Dedi: an sciente matre, Nesciente. Postremò nullam vocem cedentẽ periculo emisit: quinetiam illos ipsos libros, quanquã ex necessitate & metu temporum abolitos, senatusconsulto publicatis bonis, seruauit, habuit, tulítque in exiliũ exilij causam. Eadem quàm iucunda, quàm comis, quàm denique (quod paucis datũ est) non minùs amabilis quàm veneranda. Erit sanè quam postea vxoribus nostris ostentare possimus: erit à qua viri quoque fortitudinis exempla sumamus, quam sic cernentes audientésque miremur, vt illas quæ legũtur, ac mihi domus ipsa nutare, conuulsáque sedibus suis ruitura suprà videtur. Licet adhuc posteros habeat. quãtis enim virtutibus, quantísque factis assequentur vt hæc non nouissima occiderit? Me quidem illud etiam affligit & torquet, quòd matrem eius illud (nihil possum illustrius dicere) tantæ fœminæ matrem rursus videor amittere, quàm hæc, vt reddit ac refert nobis, sic auferet secum, méque & nouo pariter & rescisso vulnere afficiet. Vtrãque colui, vtramque dilexi: vtrãq; magis nescio, nec discerni volebãt. habuerunt officia mea in secundis, habuerunt in aduersis, Ego solatium relegatarum, ego vltor reuersarum: non feci tamen paria, atque eo magis hanc cupio seruari, vt mihi soluendi tempora supersint. In his erã curis quũ scriberem ad te, quas si deus aliquis in gau-

dium verterit, de metu non querar. Vale.

C. PLINIVS TACITO SVO S. 20

Librum tuum legi, & quam diligentissimè potui annotaui quæ cõmutãda, quæ eximenda arbitrarer. Nam & ego verum dicere assueui, & tu libenter audire. neque enim vlli patientius reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur. Nunc ad te librũ meum cum annotationibus tuis expecto. O iucundas, ô pulchras vices! quàm me delectat quòd si qua posteris cura nostri, vsquequàque narrabitur qua concordia, simplicitate, fide vixerimus. Erit rarum & insigne, duos homines ætate, dignitate propemodum æquales, nonnullius in literis nominis (cogor enim de te quoque parciùs dicere, quia de me simul dico) alterum alterius studia fouisse. Equidem adolescentulus quum iam tu fama gloriáque floreres, te sequi, tibi longo, sed proximus interuallo & esse & haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia, sed tu mihi (ita similitudo naturæ ferebat) maximè imitabilis, maximè imitandus videbaris. Quo magis gaudeo, quòd, si quis de studiis sermo, vnà nominamur, quòd de te loquentibus statim occurro: nec desunt qui vni vt vtrique nostrûm præferantur. sed nihil interest mea quo loco iungimur. Nam hoc ego primus, quia tu proximus: quinetiam in testamentis debes annotasse, nisi quis fortè alterutri nostrûm amicissimus, eadem legata & quidem pariter accipimus. Quæ omnia huc spectant,

vt inuicem ardẽtius diligamus, cùm tot vinculis nos ſtudia, mores, fama, ſuprema denique hominum iudicia conſtringant. Vale.

C. PLIN. CORNVTO SVO S. 21

PAreo, collega chariſſime, & infirmitati oculorum, vt iubes, conſulo. Nam & huc, tecto vehiculo vndique incluſus, quaſi in cubiculo perueni, & non ſtylo modò, verumetiam lectionibus difficulter, ſed abſtineo, ſoliſque auribus ſtudeo, cubicula obductis velis opaca, nec tamen obſcura facio. Cryptoporticus quoquè adopertis interioribus feneſtris, tantum vmbræ quantum luminis habet. ſic paulatim lucem ferre condiſco. Balineum aſſumo, quia prodeſt: vinum, quia non nocet, parciſſimè tamen. Ita aſſueui, & nunc cuſtos adeſt. Gallinam, vt à te miſſam, libenter accepi, quam ſatis acribus oculis, quanquam adhuc lippus, pinguiſſimam vidi. Vale.

C. PLINIVS FALCONI SVO S. 22

MInus miraberis me tam inſtanter petiſſe vt in amicum meum conferres tribunatum, quum ſcieris quis ille qualiſque. Poſſum autem iam tibi & nomen indicare & deſcribere ipſum, poſtquam polliceris. Eſt Cornelius Minutianus, ornamentum regionis meę, ſeu dignitate, ſeu moribus: natus ſplendidè,

abundat facultatibus, amat studia, vt solent pauperes. Idem rectissimus iudex, fortissimus aduocatus, fidelissimus amicus. Accepisse te beneficium credes, quum propiùs inspexeris hominem, omnibus honoribus, omnibus titulis (nihil volo elatius de modestissimo viro dicere) parem. Vale.

C. PLIN. FABATO PROSOCERO SVO. S. 23

GAudeo quidem esse te tam fortem, vt Mediolani occurrere Tyroni possis: sed vt perseueres esse tam fortis, rogo, ne tibi cõtra rationem ætatis tantum laboris iniungas. Quinimò denuntio vt illum & domi & intra domũ, atque etiã intra cubiculi limen expectes. Etenim quum à me vt frater diligatur, non debet ab eo quem ego parentis loco obseruo, exigere officium quod parenti suo remisisset. Vale.

C. PLIN. GEMINIO SVO S. 24

NVmidia Quadratilla paulo minùs octogesimo ætatis anno decessit, vsque ad nouissimam valetudinem viridis, atque etiam vltra matronalem modum compacto corpore & robusto, decessit honestissimo testamento. Reliquit hæredes ex besse nepotem, ex tertia parte neptem. Neptem parum noui: nepotem familiarissimè diligo, adolescentem singularem, nec iis tantùm quos sanguine attingit intér propinquos amãdum: ac

primùm conſpicuus forma, omnes ſermones malignorum & puer & iuuenis euaſit: intra quartum & viceſimum annum & maritus, &, ſi Deus annuiſſet, pater. vixit in contubernio auiæ delicatè, ſeueriſſimè, & tamen obſequentiſſimè. Habebat illa pantomimos, fouebátque effuſiùs quàm principi fœminæ conueniret. Hos Quadratus non in theatro, non domi ſpectabat, nec illa exigebat. Audij ipſam, quum mihi commendaret nepotis ſui ſtudia, ſolere ſe vt fœminam in illo otio ſexus laxare animum luſu calculorum, ſolere ſpectare pantominos ſuos: ſed quum factura eſſet alterutrum, ſemper ſe nepoti ſuo præcepiſſe abiret, ſtuderétque: quod mihi nõ amore eius magis facere quàm reuerentia videbatur. Miraberis, & ego miratus ſum. Proximis ſacerdotalibus ludis productis in commiſſione pantomimis, quum ſimul theatro ego & Quadratus egrederemur, ait mihi, Scis me hodie primùm vidiſſe ſaltantem auię meæ libertum? Hoc nepos. At hercule alieniſſimi homines in honorem Quadratillæ (pudet me dixiſſe honorem per adulationis officium) in theatrum curſitabant, exultabant, plaudebant, mirabantur: ac deinde ſingulos geſtus dominæ cum canticis reddebant, qui nunc exiguiſſi na legata theatralis operæ corollarium accipient ab hærede qui non ſpectabat. Hæc ſcripſi quia ſoles, ſi quid incidit noui, non inuitus audire: deinde quia iucundum eſt mihi quod ceperim gaudium ſcribendo retractare. Gaudeo enim pietate defunctæ, honore optimi iuuenis: lætor etiam quòd domus aliquando C. Caſſij, hu-

ius qui Cassianæ scholę princeps & parens fuit, seruiet domino non minori. Implebit enim illam Quadratus meus, vt decebit, rursúsque ei pristinam dignitatem, celebritatem, gloriámque reddet, quum tantus orator inde procedet, quantus iuris ille consultus. Vale.

C. PLINIVS RVFO SVO S.

25

O Quantum eruditorum aut modestia ipsorum aut quies operit & subtrahit famę! At nos eos tantùm dicturi aliquid aut lecturi timemus, qui studia sua proferũt: quum illi qui tacent hoc amplius præstent, quòd maximum opus silentio reuerentur. Expertus scribo quod scribo. Terentius Iunior equestribus militiis, atque etiam procuratione Narbonensis prouinciæ integerrimę functus, recepit se in agros suos, peractísque honoribus tranquillissimum otium prętulit. Hunc ego inuitatus hospitio, vt bonum patrem familiæ, vt diligentem agricolam intuebar, de his locuturus, in quibus illum versari putabam: & cœperam, quum ille me doctissimo sermone reuocauit ad studia. Quã tersa omnia? quàm Latina? quàm Gręca? Nam tantum vtraque lingua valet, vt ea magis videatur excellere, quàm quum maximè loquitur. Quantum ille legit? quãtum tenet? Athenis viuere hominem, non in villa putes. Quid multa? auxit solicitudinem meam, effecítque vt illis quos doctissimos noui, non minùs hos seductos & quasi rusticos verear. Idem suadeo tibi. sunt enim vt in castris, sic etiam

in literis nostris plures cultu pagano, quos cinctos & armatos, & quidem ardentissimo ingenio, diligentiùs scrutatus inuenies. Vale.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S. 26

NVper me cuiusdam amici langor admonuit, optimos esse nos dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut auaritia aut libido solicitat, non amoribus seruit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcunque, vt relicturus, satis, habet, tunc deos, tunc hominem esse se meminit: inuidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur, balinea imaginatur & fontes. Hæc summa curarum, summa votorum, mollémque in posterum & pinguem si cõtingat euadere, hoc est innoxiam beatámque destinat vitam. Possum ergo quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus philosophi docere conantur, ipse breuiter tibi mihíque præcipere, vt tales esse sani perseueremus, quales nos futuros profitemur infirmi. Vale.

C. PLINIVS SVRÆ SVO S. 27

ET mihi discendi & tibi docendi facultatem otium præbet. Igitur perquàm velim scire, esse phantasmata, & habere propriam figuram numénque aliquod putes, an inania

& vana ex metu nostro imaginem accipere. Ego vt esse credam in primis eo ducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes hæserat, inclinato die spatiabatur in porticu: offertur ei mulieris figura, humana grandior pulchiórque: perterrito Africam se futurorum prænũtiam dixit: iturum enim Romam, honoréśque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem prouinciam reuersurum, ibíque moriturum. Facta sunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem, egredientíque nauem, eadem figura in littore occurrisse narratur. Ipse certè implicitus morbo, futura præteritis, aduersa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, proiecit. Iam illud, nónne & magis terribile, & non minùs mirum est quod exponam vt accepi? Erat Athenis spatiosa & capax domus, sed infamis & pestilens. per silentium noctis sonus ferri, &, si attenderes acriùs, strepitus vinculorum longiùs primo, deinde proximo reddebatur, mox apparebat idolon, senex macie & squalore cõfectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebátque: inde inhabitantibus, tristes diręque noctes per metum vigilabantur: vigiliam morbus & crescente formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque quanquam abcesserat imago, memoria imaginis oculis inhærebat: longioríśque causa timoris timor erat. Deserta inde & damnata solitudine domus, totáque illi monstro relicta, proscribebatur tamen seu quis emere, seu quis conducere ignarus tanti mali

vellet. Venit Athenas philoſophus Athenodorus, legit titulum, auditóque pretio, quia ſuſpecta vilitas, percunctatus, omnia docetur, ac nihilominus, immò tanto magis conducit: vbi cœpit aduesperacere, iubet ſterni ſibi in prima domus parte, poſcit pugillares, ſtylum, lumen: ſuos omnes in interiora dimittit, ipſe ad ſcribendum, animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita ſimulacra & inanes ſibi metus fingeret. Initio, quale vbique ſilentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moueri: ille non tollere oculos, non remittere ſtylum, ſed obfirmare animum, auribúſque prætendere: tum crebreſcere fragor, aduentare etiam, ac iam vt in limine, iam vt intra limen audiri: reſpicit, videt, agnoſcítque narratam ſibi effigiem: ſtabat innuebátque digito ſimilis vocanti: hic contrà vt paululum expectaret, manu ſignificat, rurſúſque ceris & ſtylo incumbit: illa ſcribentis capiti catenis inſonabat: reſpicit rurſus idem quod priùs inuentum: nec moratus tollit lumen, & ſequitur. Ibat illa lento gradu, quaſi grauis vinculis. poſtquam deflexit in aream domus, repentè dilapſa deſerit comitem, deſertus herbas & folia concerpta ſignum loco ponit. Poſtero die adit magiſtratus, monet vt illum locum effodi iubeant. Inueniuntur oſſa inſerta catenis & implicita, quæ corpus æuo terráque putrefactum nuda & exeſa reliquerat vinculis: collecta publicè ſepeliuntur: domus poſtea ritè conditis manibus caruit. Et hæc quidem affirmantibus credo: illud affirmare aliis poſſum. Eſt libertus mihi Marcus, non illiteratus, cum hoc minor frater eo-

dem lecto quiescebat. Is visus est sibi cer[illegible]quendam in toro residentem, admouentemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Vbi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli iacentes repeiuntur. Exiguum temporis medium, & rursus simile aliud priori fidẽ fecit. Puer in pędagogio mistus pluribus dormiebat: venerunt per fenestras (ita narrat) in tunicis albis duo, cubantémque detonderunt: & quà venerant, recesserunt. Hunc quoque tonsum, sparsósque circa capillos dies ostendit. Nihil notabile secutum, nisi fortè, quòd non fui reus futurus, si Domitianus, sub quo hęc acciderunt, diutiùs vixisset. nam in scrinio eius datus à Caro de me libellus inuentus est, ex quo coniectari potest, quia reis moris est submittere capillum, recisos meorum capillos, depulsi quod imminebat periculi signum fuisse. Proinde rogo, eruditionem tuam intendas. Digna res est quam diu multúmque consideres: ne egó quidem indignus cui copiam scientiæ tuæ facias. Licèt etiam vtranque in partem, vt soles, dispures: ex altera tamen fortiùs, ne me suspensum incertúmque dimittas, cùm mihi consulendi causa fuerit, vt dubitare desinerem. Vale.

C. PLIN. SEPTITIO SVO S. 28

AIs quosdam apud te reprehendisse tanquam amicos meos ex omni occasione vltra modum laudem. Agnosco crimen,

...lector etiam. Quid enim honestius culpa benignitatis? qui sunt tamen isti qui amicos meos meliùs norint? Sed vt norint, quid inuideant mihi felicissimo errore? vt enim non sint tales quales à me prędicantur, ego tamen beatus quòd mihi videntur. Igitur ad alios hanc sinistram diligentiam conferant: nec sunt parum multi qui carpere amicos suos iudicium vocant: mihi nunquam persuadebunt vt meos amari à me nimiùm putem. Vale.

C. PLIN. MONTANO SVO S. 29

RIdebis, deinde indignaberis, deinde ridebis, si legeris, quod nisi legeris, non potes credere. Est via Tiburtina intra primũ lapidem (proximè annotaui) monimentum Pallantis, ita inscriptum, Huic senatus ob fidem pietatémque erga patronôs, ornamenta prætoria decreuit, & sestertiûm centies quinquagies: cuius honore contentus fuit. Equidem nunquam sum miratus quæ sæpius à fortuna quàm à iudicio proficiscerentur: maximè tamen hic me titulus admonuit quàm essent mimica & inepta quæ interdum in hoc cœnum, in has sordes abiicerentur: quæ denique ille fulcifer & recipere ausus est, & recusare, atque etiam, vt moderationis exemplum posteris prodere. Sed quid indignor? ridere satius est, ne se magnum aliquod adeptos putent, qui huc felicitate perueniunt, vt rideantur. Vale.

C. PLIN. GENITORI SVO S. 30

Torqueor quòd discipulum, vt scribis, optimæ spei amisisti, cuius & valetudine & morte impedita studia tua quid nesciam, cùm sis omnium officiorum obseruãtissimus, cúmque omnes quos probas, effusissimè diligas? Me huc quoque vrbana negotia persequuntur, non delectant. sunt enim qui me aut iudicem aut arbitrum faciant. Accedunt querelæ rusticorum, qui auribus meis post longum tempus suo iure abutuntur. Instat & necessitas agrorum locandorum perquàm molesta. adeo rarum est inuenire idoneos conductores. Quibus ex causis precariò studeo: studeo tamen. nam & scribo aliquid & lego: sed quum lego, ex cõparatione sentio quàm malè scribam. licèt tu mihi bonum animum facias, qui libellos meos de vltione Heluidij, orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confers: quam sanè quum componerem, illos habui in manibus, non vt æmularer (improbum enim ac penè furiosum) sed tamen imitarer & sequerer, quantum aut diuersitas ingeniorum, maximi & minimi, aut causæ dissimilitudo pateretur. Vale.

C. PLINIVS CORNVTO SVO S. 31

Claudius Pollio amari à te cupit. dignus hoc ipso quòd cupit: deinde, quòd ipse te diligit. (neque enim ferè quisquam

exigit istud nisi qui facit) vir alioqui rectus, integer, quietus, ac penè vltra modum (siquis tamen vltra modum) verecūdus. Hunc, quum simul militaremus, non solùm vt commilito inspexi. nam præerat alæ militari. Ego iussus à legato cōsulari rationem alarum & cohortium excutere, vt magnam quorundam fœdámque auaritiam, & negligentiam parem, ita huius summam integritatem, solicitam diligentiam inueni. Postea promotus ad amplissimas procurationes, nulla occasione corruptus, ab insito abstinentiæ amore deflexit, nūquā secundis rebus intumuit, nunquā officiorū varietate cōtinuā laudem humanitatis infregit: eadémq, firmitate animi laboribus suffecit, qua nunc otium patitur. Quod quidem paulisper cum magna sua laude intermisit & posuit, à Corelio nostro ex liberalitate Imperatoris Neruæ emendis diuidendísque agris adiutor assumptus. Etenim qua gloria dignum est, summo viro in tanta eligendi facultate præcipuè placuisse? Idem quàm reuerenter, quàm fideliter amicos colat, multorum supremis iudiciis, in his Musoni Bassi, grauissimi ciuis, credere potes, cuius memoriam tam grata prædicatione prorogat & extendit, vt librum de vita eius (nam studia quoque, sicut alias artes bonas, veneratur) ediderit pulchrum. Istud & raritate ipsa probandum, cùm plerique hactenus defunctorum meminerint, vt querantur. Hunc hominem appetentissimum tui (mihi crede) complectere, apprehende, imò & inuita, ac sic ama tanquam gratiam referas. neque enim obligandus, sed remunerandus est in amoris.

officio qui prior cœpit. Vale.

C. PLIN. FABATO PROSOCERO SVO S. 32

DElector iucundum tibi fuiſſe Tyronis mei aduentum: quòd vero ſcribis oblata occaſione proconſulis plurimos manumiſſos, vnicè lętor. Cupio enim patriam noſtram omnibus quidem rebus augeri, maximè tamen ciuium numero. id enim oppidis firmiſſimum ornamentum. Illud etiam me, non vt ambitioſum, ſed tamen iuuat, quòd adiicis, me téque & gratiarum actione & laude celebratos. Eſt enim, vt Xenophon ait, ἥδιστον ἄκουσμα ἔπαινος, vtrique ſi te mereri putes. Vale.

C. PLIN. TACITO SVO S. 33

AVguror (nec me fallit augurium) hiſtorias tuas immortales futuras. quo magis illis (ingenuè fatebor) inſeri cupio. nam ſi eſſe nobis curæ ſolet, vt facies noſtra ab optimo quoque artifice exprimatur, nónne debemus optare vt operibus noſtris ſimilis tui ſcriptor prædicatórque contingat? Demõſtro itaque, quanquam diligentiam tuam fugere non poſſit, cùm ſit in publicis actis, demõſtro tamen, quò magis credas, iucundum mihi futurum, ſi factum meum, cuius gratia periculũ creuit, tuo ingenio, tuo teſtimonio ornaueris. Dederat me ſenatus cum Herennio Senecione aduocatum prouinciæ Bæticæ contra Bæbium Maſſam: damnatóque Maſſa cenſue-

rat vt bona eius publicè custodirentur: Senecio quum explorasset consules postulationibus vacaturos, conuenit me: &, Qua concordia, inquit, iniunctam nobis accusationē exequuti sumus, hac adeamus consules, petamúsque ne bona dissipari sinant, quorum esse in custodia debent. Respondi, Quum simus aduocati à senatu dati, dispice num peractas putes partes nostras, senatus cognitione finita. Et ille, Tu quem voles tibi terminum statues, cui nulla cum prouincia necessitudo, nisi ex beneficio tuo, & hoc recēti: ipse, & natus ibi, & quæstor in ea fui. Tum ego, Si fixum tibi istud ac deliberatū, sequar te: vt si qua ex hoc inuidia erit, non tua tantùm sit. Venimus ad coss. dicit Senecio quę res ferebat: aliqua subiungo. vix dum cōticueramus, & Massa questus Senecionem non aduocati fidem, sed inimici amaritudinem implesse, impietatis reū postulat. Horror omnium: ego autē, Vereor, inquam, clarissimi consules, ne mihi Massa silentio suo præuaricationem obiecerit, quòd non & me reum postulauit. Quæ vox & statim excepta, & postea multo sermone celebrata est. Diuus quidem Nerua (nam priuatus quoque attendebat his quæ rectè in publico fierent) missis ad me grauissimis literis, non mihi solùm, verumetiam sęculo est gratulatus, cui exemplum (sic enim scripsit) simile antiquis contigisset. Hæc vtcunque se habēt, notiora, clariora, maiora tu facies: quanquam non exigo vt excedas actæ rei modum. Nam nec historia debet egredi veritatem, & honestè factis veritas sufficit. Vale.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPIſtolarum

LIBER OCTAVVS.

C. PLIN. SEPTITIO SVO S.

1

ITer commodè explicui, excepto quòd quidã ex meis aduerſam valetudinem ferueſcentibus æſtibus contraxerunt. Encolpius quidem lector, ille ſeria noſtra, ille deliciæ, exaſperatis faucibus puluere ſanguinem reiecit. Quàm triſte hoc ipſi, quàm acerbum mihi, ſi is cui omnis ex ſtudiis gratia, inhabilis ſtudiis fuerit! quis deinde libellos meos ſic leget? ſic amabit? quem aures meæ ſic ſequentur? Sed dij lætiora promittunt. ſtetit ſanguis, reſedit dolor. Prȩterea continens ipſe: nos ſoliciti, medici diligẽtes. Ad hoc ſalubritas cœli, ſeceſſus, quies, tãtum ſalutis, quantum otij pollicentur. Vale.

C. PLIN. CALVISIO SVO S.

2

ALij in prædia ſua proficiſcuntur, vt locupletiores reuertantur: ego, vt pau-

perior. Vendideram vindemias certatim negotiatoribus ementibus: inuitabat pretium & quod tunc, & quod fore videbatur, ſpes fefellit. Erat expeditum, omnibus remittere ęqualiter, ſed non ſatis æquum. Mihi autem egregium in primis videtur, vt foris, ita domi: vt in magnis, ita in paruis: vt in alienis, ita in ſuis agitare iuſtitiam. nam ſi paria peccata, pares etiam laudes. Itaque omnibus quidem, nequis mihi nō donatus abiret, partem octauam pretij quo quis emerat, conceſſi: deinde iis qui ampliſſimas ſummas emptionibus occupauerant, ſeparatim conſului. Nam & me magis iuuerant, & maius ipſi fecerant damnum. Igitur iis qui pluris quàm decem millibus emerant, ad illam communem & quaſi publicam octauam, addidi decimā eius ſummæ quæ decem millia exceſſerat. Vereor ne parum expreſſerim, apertiùs calculos oſtendam: ſiqui fortè quindecim millibus emerāt, hi & quindecim millium octauam, & quinque millium decimam tulerunt. Pręterea quū reputarem quoſdam ex debito aliquantum, quoſdam aliquid, quoſdam nihil repoſuiſſe: nequaquam iuſtum arbitrabar, quos non æquaſſet fides ſolutionis, hos benignitate remiſſionis æquari. Rurſus ergo iis qui ſoluerant, eius quod ſoluerant decimam remiſi. per hoc enim aptiſſimè & in præteritum ſingulis pro cuiuſque merito gratia referri, & in futurum omnes cùm ad emendum, tum etiam ad ſoluendum allici videbantur Magno mihi ſeu ratio hæc, ſeu facilitas ſtetit: ſed fuit tanti. Nam regione tota & nouitas remiſſionis & forma laudatur: ex ipſis etiam quos nō

vna (vt dicitur) pertica, sed distinctè gradatimque tractaui, quanto quis melior & probior, tantò mihi obligatior abit, expertus nõ esse apud me, Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός. Vale.

C. PLIN. SPARSO SVO S. 3

LIbrum quem nouissimè tibi misi, ex omnibus meis vel maximè placere significas. Est eadem opinio cuiusdam eruditissimi: quo magis adducor vt neutrum falli putem, quia non est credibile vtrunque falli, & quia tantùm blandior mihi. Volo enim proxima quæque absolutissima videri: & ideo iam nũc contra istum librum faueo orationi quam nuper in publicum dedi: communicaturus tecum, vt primùm diligentem tabellarium inuenero. Erexi expectationem tuam, quam vereor ne destituat oratio in manus sumpta. Interim tamen tanquam placituram (& fortasse placebit) expecta. Vale.

C. PLINIVS CANINIO SVO S. 4

OPtimè facis quòd bellum Dacicum scribere paras. Nam quæ tam recens, tam copiosa, tam lata, quæ denique tam poëtica, & (quanquam in verissimis rebus) tam fabulosa materia? Dices immissa terris noua flumina, nouos pontes fluminibus iniectos, insessa castris montium abrupta: pulsum regia, pulsum etiam vita regem nihil desperantem.

Super hæc actos bis triumphos: quorum alter ex inuicta gẽte primus, alter nouissimus fuit. Vna, sed maxima difficultas, quòd hæc æquare dicendo, arduum, immensum etiam tuo ingenio, quanquam altissimè assurgat, & amplissimis operibus increscat. Nonnullus & in illo labor, vt barbara & fera nomina, in primis regis ipsius, Græcis versibus non resultent. Sed nihil est quod non arte curáque, si non potest vinci, mitigetur. Præterea, si datur Homero & mollia vocabula & Græca ad lenitatem versus contrahere, extendere, inflectere: cur tibi similis audentia, præsertim non delegata, sed necessaria, negetur? Proinde iure vatum inuocatis diis, & inter deos, ipso cuius res, opera, consilia dictaturus es, immitte rudentes, pande vela, ac siquando aliàs, toto ingenio vehere. Cur enim non ego quoque poëticè cum poëta? Illud iam nunc paciscor: prima quæque vt absolueris, mitte, immò etiam antè quàm absoluas, sic vt erunt recentia & rudia, & adhuc similia nascentibus. Respõdebis non posse perinde carptim, vt contexta, perinde inchoata placere, vt effecta Scio. Itaque & à me æstimabuntur vt cœpta: spectabuntur vt membra, extremámque limam tuam operientur in scrinio nostro. Patere hoc me super cætera habere amoris tui pignus, vt ea quoque norim quę nosse neminem velles. In summa, potero fortasse scripta tua magis probare, laudare, quanto illa tardiùs cautiúsque: sed ipsum te magis amabo, magísque laudabo, quãto celeriùs & incautiùs miseris. Vale.

C. PLIN. GEMINIO SVO S. 5

GRaue vulnus Macrinus noster accepit, amisit vxorem singularis exempli, etiam si olim fuisset. Vixit cum hac trigintanouem annis sine iurgio, sine offensa. Quam illa reuerẽtiam marito suo præstitit, cùm ipsa summam mereretur? quot quantásque virtutes ex diuersis ętatibus sumptas collegit & miscuit? Habet quidem Macrinus grande solatium, quòd tantum bonum tandiu tenuit: sed hoc magis exacerbatur, quòd amisit. Nam fruenti voluptatibus crescit carendi dolor. Ero ergo suspensus pro homine amicissimo, dum admittere auocamẽta, & cicatricem pati possit: quam nihil æquè ac necessitas ipsa, & dies longa, & satietas doloris inducit. Vale.

C. PLIN. MONTANO SVO S. 6

COgnouisse iam ex epistola mea debes, annotasse me nuper monimentum Pallantis sub hac inscriptione, Huic senatus ob fidem pietatémque erga patronos, ornamenta prætoria decreuit, & sestertiûm centies quinquagies, cuius honore contentus fuit. Postea mihi visum est pretium curæ, ipsum S. C. quærere. Inueni tam copiosum & effusum, vt ille superbissimus titulus, modicus atque etiam demissus videretur. Conferant se, non dico illi veteres, Africani, Achaici, Nu-

mantini. sed hi proximi, Marij, Syllæ, Pompeij (nolo progredi longiùs) infra Pallantis laudes iacebunt. Vrbanos qui illa censuerunt, putem? an miseros? Dicerem vrbanos, si senatum deceret vrbanitas. Miseros ergo? sed nemo tam miser est vt ad illa cogatur. Ambitio ergo & procedendi libido? Sed quis adeo demens, vt aut per suum aut per publicum dedecus procedere vellet in ea ciuitate, in qua hic esset vsus potentissimæ dignitatis, vt primus in senatu laudare Pallantem posset? Omitto quòd Pallanti seruo prætoria ornamẽta offeruntur; quippe offeruntur à seruis: mitto quòd censent, non exhortandum modò, verumetiam compellendum ad vsum aureorum annulorum. Erat enim contra maiestatem senatus, si ferreis prætorius vteretur. Leuia hæc & transeunda, illa memoranda, quòd nomine Pallantis senatus, nec expiata postea curia est. Pallantis nomine senatus gratias agit Cæsari, quòd & ipse cum summo honore mentionem eius prosecutus esset, & senatui facultatem fecisset testandi erga eum beneuolentiam suam. Quid enim senatui pulchrius quàm vt erga Pallantem satis gratus videretur? Additur vt Pallas, cui se omnes pro virili parte obligatos fatentur, singularis fidei, singularis industriæ fructum meritissimò ferat: prolatos imperij fines, redditos exercitus reip. credas. Astruitur his, quum senatui populóque Romano liberalitatis gratior repræsentari nulla materia posset, quàm si abstinentissimi fidelissimique custodis principalium opum facultates adiuuare contigisset. Hoc tunc votum senatus, hoc præcipuum gau-

gaudium populi: liberalitatis materia gratiſſima, ſi Pallantis falcutates adiuuare publicarum opum egeſtione contingeret. Iam quæ ſequuntur, voluiſſe quidem ſenatum cenſere dandum ex ærario ſeſtertiûm centies quinquagies, & quanto ab eiuſmodi cupiditatibus remotior eius animus eſſet, tanto impenſiùs petere à publico parente vt eum compelleret ad cedendum ſenatui. Id verò deerat, vt cum Pallante autoritate publica ageretur: Pallas rogaretur vt ſenatui cederet, vt illi ſuperbiſſimæ abſtinẽtiæ Ceſar ipſe patronus aduocaretur, ne ſeſtertiûm centies quinquagies ſperneret. Spreuit quod ſolum potui, tantis opibus publicè oblatis: arrogãtiùs fecit quàm ſi accepiſſet. Senatus tamen id quoque ſimilis querenti, laudibus tulit, his quidem verbis, Sed quum princeps optimus parẽnſque publicus, rogatus à Pallante, eam partem ſententię quę pertinebat ad dandum ei ex ęrario centies quinquagies ſeſtertiûm, remitti voluiſſet: teſtari ſenatum & ſe libenter ac meritò hanc ſummam inter reliquos honores ob fidem diligẽtiámque Pallantis decernere cœpiſſe: volũtati tamẽ principis ſui, cui in nulla re fas putaret repugnare, in hac quoque re obſequi. Imaginare Pallãtem velut intercedentem ſenatuſconſulto: moderantémque honores ſuos, & ſeſtertiûm centies quinquagies, vt nimiũ, recuſantem: cùm prætoria ornamenta, tanquam minùs recepiſſet. Imaginare Cæſarem, liberti precibus, vel poti' imperio, coram ſenatu obtemperantem. imperat enim libertus patrono, quem in ſenatu rogat. Imaginare ſenatum, vſquequaque te-

ſtantẽ, meritò libentérq; ſe hãc ſummã inter reliquos honores Pallãti cœpiſſe decernere: & perſeueraturum fuiſſe ſe, niſi obſequeretur principis voluntati, cui non eſſet fas in vlla repugnare. Ita, ne ſeſtertiûm cẽties quinquagies Pallas ex ærario referret, verecundia ipſius, obſequio ſenatus opus fuit: in hoc præcipuè non obſequturi, ſi in nulla reputaſſet fas eſſe non obſequi. Finem exiſtimas; Manedum, & maiora accipe. Vtique cùm ſit vtile, principis begnitatem promptiſſimam ad laudem præmiáque merentium illuſtrari vbique, & maximè iis locis quibus incitari ad imitationem præpoſiti rerum eius cura poſſent, & Pallantis ſpectatiſſima fides, atque innocentia exemplo prouocare ſtudium tam honeſtæ æmulationis poſſet, ea quæ quarto calend. Februarij, quæ proximè fuiſſent, in ampliſſimo ordine optimus princeps recitaſſet, ſenatúſque conſulta de his rebus facta in æs inciderentur, ídque æs figeretur ad ſtatuã loricatam díui Iulij, parum viſum tantorum dedecorum eſſe curiam teſtem? Delectus eſt celeberrim⁹ locus, in quo legenda præſentibus, legenda futuris proderentur. Placuit ęre ſignari omnes honores faſtidioſiſſimi mãcipij: quóſque repudiaſſet, quóſque quãtum ad decernentes pertinet, geſſiſſet, inciſa & inſculpta ſunt publicis æterníſque monimentis prætoria, ſic quaſi fœdera antiqua, ſic quaſi ſacræ leges. Tanta principis, tanta ſenatus, tanta Pallantis ipſius, quid dicam? neſcio, niſi vellet in oculis omnium figi Pallas inſolẽtiã ſuam, patientiam Cæſar, humilitate ſenatus Nec puduit rationem tupitudini obtendere:

egregiam quidem pulchrámque rationem, vt exemplo Pallantis præmiorum ad ſtudiũ æmulationis cæteri prouocarẽtur. Ea honorũ vilitas erat, illorum etiam quos Pallas nõ dedignabatur. Inueniebantur tamen honeſto loco nati, qui peterent cuperéntque quod dari liberto, promitti seruis videbant. Quàm iuuat quòd in tempora illa non incidi, quorum ſic me tanquam illis vixerim, pudet! Nõ dubito ſimiliter affici te. Scio quàm ſit tibi viuus & ingenuus animus: ideóque facilius eſt vt me (quanquam indignationem quibuſdam in locis fortaſſe vltra epiſtolæ modum extulerint) parum doluiſſe, quàm nimis credas. Vale.

C. PLIN. TACITO SVO S.

NEque vt magiſtro magiſter, neque vt diſcipulo diſcipulus (ſic enim ſcribis) ſed vt diſcipulo magiſter (nam tu magiſter, ego cõtrà. atque ideo tu in ſcholam reuocas, ego ad huc Saturnalia extendo) librum miſiſti. Non potui longiùs hyperbaton facere, atque hoc ipſo probare, eum eſſe qui nõ modò magiſter tuus, ſed ne diſcipulus quidem debeam dici. Sumam tamen perſonam magiſtri: exerãque in librum tuum ius quod dediſti, eo liberius, quo nihil ex meis interim miſſurus ſum tibi, in quo te vlciſcaris. Vale.

C. PLIN. ROMANO SVO S. 8

VIdiſtíne aliquando Clitumnum fontẽ? ſi nondum (& puto nondum: alioqui narraſſes mihi) vide, quem ego (pœnitet tarditatis) proximè vidi. Modicus collis aſſurgit, antiqua cupreſſu nemoroſus & opacus: hunc ſubter fons exit, & exprimitur pluribus venis, ſed imparibus, eluctatúſque quem facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit purus & vitreus, vt numerare iactas ſtipes & relucentes calculos poſſis. Inde non loci deuexitate, ſed ipſa ſui copia & quaſi pondere impellitur. Fons adhuc & iam ampliſſimũ flumẽ atque etiam nauiũ patiens, quas obuias quoque & contrario niſu in diuerſa tendentes, trãſmittit & perfert: adeo validus vt illa qua properat, ipſe tanquã per ſolum planum remis non adiuuetur. idem ægerrimè remis cõtiſque ſuperetur aduerſus. Iucundum vtrunque per iocum ludúmque fluitantibus, vt flexerint curſum, laborem otio, otium labore variare. Ripæ fraxino multa, multa populo veſtiuntur: quas perſpicuus amnis velut merſas viridi imagine annumerat. Rigor aquæ certauerit niuibus, nec color cedit. Adiacet templum priſcum & religioſum. Stat Clitumnus ipſe, amictus ornatúſque prætexta. Præſens numen, atque etiam fatidicum, indicant ſortes. Sparſa ſunt circa ſacella complura, totidémque dei ſimulacra: ſua cuique veneratio, ſuum nomẽ: quibuſdam verò etiã fontes. Nam prẹter illum quaſi parentem

cæterorum, ſunt minores capite diſcreti: ſed flumini miſcentur, quod ponte tranſmittitur. Is terminus ſacri profaníque. In ſuperiore parte nauigare tantùm, infrà etiam natare conceſſum Balineum Hiſpellates, quibus illum locum diuus Auguſtinus dono dedit, publicè præbent & hoſpitium. Nec deſunt villæ, quæ ſecutæ fluminis amœnitatem, margini inſiſtunt. In ſumma, nihil erit ex quo non capias voluptatem. nam ſtudebis quoque, & leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inſcripta, quibus fons ille deúſque celebratur. Plura laudabis, nonnulla ridebis: quanquam tu verò, quæ tua humanitas, nulla ridebis. Vale.

C. PLIN. VRSO SVO S. 9

OLim non librum in manus, non ſtylum ſumpſi: olim neſcio quid ſit otium, quid quies, quid denique illud iners quidem, iucundum tamen, nihil agere, nihil eſſe: adeo multa me negotia amicorũ nec ſecedere nec ſtudere patiuntur, nulla enim ſtudia tanti ſunt, vt amicitiæ officium deſeratur quod religiſſimè cuſtodiendum ſtudia ipſa præcipiunt. Vale.

C. PLIN. FABATO PROSOCERO SVO S. 10

QVo magis cupis ex nobis pronepotes videre, hoc triſtior audies, neptem tuam abortum feciſſe, dum ſe prægnantẽ eſſe puel-

lariter nescit:ac per hoc quædam custodienda prægnantibus omittit, facit omittenda. quem errorem magnis detrimentis expiauit, in summum periculum adducta. Igitur vt necesse est, grauiter accipias senectutem tuam, quasi paratis posteris destitutam, sic debes agere diis gratias, quòd ita tibi in præsentia pronepotes negauerunt, vt seruarent neptem, illos reddituri quorum nobis spem certiorem hęc ipsa quanquam parum prosperè explorata fœcunditas facit. Iisdem nunc ego te quibus ipsum me hortor, moneo, confirmo. neque enim ardentiùs tu pronepotes quàm ego liberos cupio: quibus videor à meo tuóque latere pronum ad honores iter, & audita latiùs nomina, & non subitas imagines relicturus. Nascantur modò, & hunc nostrum dolorem gaudio mutent. Vale.

C. PLIN. HISPVLLÆ SVAE S. XI

QVum affectum tuum erga fratris filiam cogito, etiam materna indulgētia molliorem intelligo priùs tibi, quod est posterius nuntiandum, vt præsumpta lætitia solicitudini locum non relinquat: quanquam vereor ne post gratulationem quoque in metum redeas: atque ita gaudeas periculo liberatam, vt simul quòd periclitata sit perhorrescas. Iam hilaris, iam sibi, iam mihi reddita incipit refici, transmissúmque discrimen conualescendo remetiri. Fuit alioqui in summo discrimine (impunè dixisse liceat) fuit nulla

ſua culpa, ętatis aliqua, inde abortus, & ignorati vteri triſte experimentum. Proinde etſi non contigit tibi deſiderium fratris amiſſi, aut nepote eius aut nepte ſolari, memento tamen dilatum magis iſtud quàm negatum, cùm ſalua ſit, ex qua ſperari poteſt. Simul excuſa patri tuo caſum, cui paratior apud fœminas venia eſt. Vale.

C. PLIN. MINVTIANO SVO S. 12

HVnc ſolem diem excuſo. Recitaturus eſt Titinius Capito, quem ego audire neſcio magis debeam an cupiam. Vir eſt optimus, & inter præcipua ſęculi ornamenta numerandus: colit ſtudia, ſtudioſos amat, fouet, prouehit, multorúmque qui aliqua componunt, portus, ſinus, præmium, omnium exemplum: ipſarum denique literarum iam ſeneſcentium reductor ac reformator. Domum ſuam recitantibus præbet, auditoria non apud ſe tantùm benignitate mira frequentat: mihi certè, ſi modò in vrbe eſt, defuit nunquam. Porro tanto turpius gratiam non referre, quanto honeſtior cauſa referendæ. An ſi litibus tererer, obſtrictum eſſe me crederem obeunti ad vadimonia mea: nunc quia mihi omne negotium, omnis in ſtudiis cura, minùs obligor tanta ſedulitate celebranti? in qua obligari ego, ne dicam ſoleo, certè maximè poſſum. Quòd ſi illi nullam vicem, nulla quaſi mutua officia deberem, ſolicitarer tamen vel ingenio hominis pulcherrimo & maximo, & in ſumma ſeueritatem dulciſ-

ſimo, vel honeſtate materiæ. Scribit exitus illuſtrium virorum, in iis quorundam mihi chariſſimorũ. Videor ergo fungi pio munere, quorúmque exequias celebrare non licuit, horum quaſi funebribus laudationibus, ſeris quidem, ſed tanto magis veris, intereſſe. Vale.

C. PLIN. GENIATI SVO S. 13

PRobo quòd libellos meos cum patre legiſti. Pertinet ad profectum tuum, à diſertiſſimo viro diſcere quid laudandum, quid reprehendendum: ſimul ita inſtitui vt verum dicere aſſueſcas. Vides quem ſequi, cuius debeas implere veſtigia. O te beatum cui contigit vnum atque idem optimum & coniunctiſſimum exemplar! qui deuique eum potiſſimùm imitandum habes, cui natura eſſe te ſimillimum voluit. Vale.

C. PLIN. ARISTONI SVO S. 14

CVm ſis peritiſſimus & priuati iuris & publici, cuius pars ſenatorium eſt, cupio ex te potiſſimum audire, errauerim in ſenatu proximè, nécne: non vt in præteritum (ſerum enim) verùm vt in futurum, ſiquid ſimile inciderit, erudiar. Dices, Cur quæris quod noſſe debeas? Priorum temporum ſeruitus, vt aliarum optimarum artium, ſic etiam iuris ſenatorij obliuionem quandam & ignorationem induxit. Quotus enim quiſque tam patiens vt velit diſcere quod in vſu non ſit habitu-

rus? Adde quòd difficile est tenere quæ acceperis, nisi exerceas? Itaque reducta libertas rudes nos & imperitos deprehendit, cuius dulcedine accensi cogimur quædam facere antè quàm nosse. Erat autem antiquitus institutum vt à maioribus natu, non auribus modò, verumetiam oculis disceremus quæ facienda, mox ipsi, ac per vices quasdam tradēda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, vt imperare parendo, duces agere dum sequuntur assuescerent: inde honores perituri assistebant curiæ foribus, & consilij publici spectatores antequam consortes erant. Suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisque & vetustissimus pro parente. Quæ potestas referentibus? quod censentibus ius? quæ vis magistratibus? quæ cæteris libertas? vbi cedendum? vbi resistendum? quod silentij tempus? quis dicendi modus? quæ distinctio pugnantium sententiarum? quæ executio prioribus aliquid addentium? Omnem denique senatorium morem, quod fidelissimum præcipiendi genus, exemplis docebantur. At nos iuuenes, fuimus quidem in castris: sed quum suspecta virtus, inertia in pretio, quū ducibus autoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam imperium, nusquam obsequium, omnia soluta, turbata, atque etiam in contrarium versa, postremò obliuiscenda magis quàm tenenda: iidem prospeximus curiam; sed curiam trepidam & elinguem, quum dicere quod velles periculosum: quod nolles, miserū esset. Quid tūc disci potuit? quid didicisse iuuit, quum se-

natus aut ad otium summum aut ad summum nefas vocaretur? & modò ludibrio, modò dolori retentus, nunquam seria, tristia sæpe censeret? eadem mala iam senatores, iam participes malorum multos per annos vidimus, tulimúsque: quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt. Breue tempus (nam tãto breuius omne, quanto felicius tempus) quot libet scire quid simus, libet exercere quod sumus. Quo iustius peto, primùm vt erroris (siquis est error) tribuas veniam: deinde medearis scientia tua, cui superfuit curæ, sic iura publica vt priuata, sic antiqua vt recentia, sic rara vt assidua tractare. Atque ego arbitror illis etiam quibus plurimarum rerum agitatio frequens nihil esse ignotum patiebatur, genus quæstionis quod affero ad te, aut non satis tritum, aut etiam inexpertum fuisse. hoc & ego excusatior, si fortè sum lapsus, & tu dignior laude, si potes id quoque docere, quod in obscuro est an dedicceris. Referebatur de libertis Afranij Dextri consulis, incertum sua an suorum manu, scelere an obsequio perempti. hos alius: quis? Ego (sed nihil refert post quæstionem) supplicio liberandos, alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur. Quarum sententiarum tanta diuersitas erat, vt non possent esse nisi singulæ. quid enim commune habet occidere & relegare? non hercule magis quàm relegare & absoluere: quanquam propior aliquanto est sententiæ relegantis, quæ absoluerit, quàm quæ occiderit. vtraque enim ex illis vitã relinquit, hæc adimit: quum interim & qui morte

te puniebant; & qui relegabāt, vnà sedebāt, & temporaria simulatione concordiæ discordiā differebāt: ego postulabā vt tribus sententiis constaret suus numerus, nec se breuibus induciis duę iungerent. Exigebā ergo vt qui capitali supplicio afficiendos putabant, discederēt à relegante, nec interim contra absoluentes mox dissensuri congregarentur, quia paruulum referret an idem displiceret quibus non idem placuisset. Illud etiam mihi permirum videbatur, eum quidem qui libertos relegandos, seruos supplicio afficiendos censuisset, coactum esse diuidere sententiam: hunc autem qui libertos morte multaret, cum relegante numerari. Nam si oportuisset diuidi sententiam vnius, quia res duas comprehendebat, non reperiebam quemadmodum possset iungi sententia duorum tam diuersa censentiū. Atque adeo permitte mihi, sic apud te tanquam ibi, sic peracta re, tāquam adhuc integra, rationem iudicij mei reddere: quæque tunc carptim, multis obstrepētibus dixi, nunc per otium iungere. Fingamus tres omnino iudices in hanc causam datos esse: horum vni placuisse perire libertos; alteri, relegari; tertio, absolui: vtrúmne sententiæ duæ collatis viribus nouissimam periment, an separatim vnaquęque tantundem quantum altera valebit? nec magis poterit cum secunda prima connecti, quàm secunda cum tertia? Igitur in senatu quoque numerari tanquam contrariæ debent, quæ tanquam diuersæ dicūtur. Quòd si vnus atque idem & perdendos censeret & relegandos, num ex sententia vnius & perire possent & relegari? num denique omnino

vna ſentẽtia putaretur, quæ tam diuerſa coniungeret? Quemadmodum igitur cùm alter puniendos, alter cenſeat relegandos, videri poteſt vna ſententia, quæ dicitur à duobus: quæ non videretur vna, ſi ab vno diceretur? Quid? lex non apertè docet dirimi debere ſententias occidentis & relegantis, quum ita diſceſſionem fieri iubet. Qui hæc ſentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ite qua ſentitis? Examina ſingula verba & expende: Qui hæc cenſetis, hoc eſt, qui relegandos putatis: in hanc partem, id eſt, in eam in qua ſedet qui cenſuit relegandos. Ex quo manifeſtum eſt, non poſſe in eadem parte remanere eos qui interficiendos arbitrantur. Qui alia omnia animaduertis, vt non contenta lex dicere alia, addiderit omnia. num ergo dubium eſt, alia omnia ſentire eos qui occidunt, quàm qui relegant? in illam partem ite qua ſentitis. Nónne videtur ipſa lex eos qui diſſentiunt, in contrariam partem vocare, cogere, impellere? num cõſulere etiam vbi quiſque remanere, quò tranſgredi debeat, nõ tantùm ſolemnibus verbis, ſed manu geſtúque demonſtrat? Atenim futurum eſt vt, ſi diuidantur ſententiæ interficientis & relegantis, præualeat illa quæ abſoluit. Quid iſtud ad cenſentes? quos certè non decet omnibus, artibus, omni ratione pugnare, ne fiat quod eſt mitius: oportet tamen eos qui puniunt & qui relegant, abſoluentibus primùm, mox inter ſe comparari, ſcilicet vt in ſpectaculis quibuſdam ſors aliquem ſeponit ac ſeruat, qui cum victore contendat: ſic in ſenatu ſunt aliqua prima, ſunt ſecunda certamina: & ex dua-

bus ſententiis eam quæ ſuperior exierit, tertia expectat. Quid quòd prima ſententia comprobata, cæteræ perimuntur? Qua ergo ratione poteſt eſſe non vnus atque idem locus ſententiarum, quarum nullus eſt poſtea? Planiùs repetam, niſi dicente ſententiam eo qui relegat, illi qui puniunt capite, initio ſtatim in alia diſcedunt, fruſtrà poſtea in eo diſſentient ab eo cui paulò antè conſenſerint. Sed quid ego ſimilis docenti, cùm diſcere velim an ſententia diuidi, an iri in ſingulas oportuerit? Obtinui quidem quod poſtulabam: nihilominus tamen quæro an poſtulare debuerim, an abſtinere, quemadmodum abſtinuit is qui vltimum ſupplicium ſumendum eſſe cenſebat. Neſcio an iure, certè æquitate poſtulationis meæ victus, omiſſa ſententia ſua, acceſſit releganti: veritus ſcilicet ne, ſi diuiderentur ſententiæ (quod alioqui fore videbatur) ea quæ abſoluendos eſſe cenſebat, numero præualeret. Etenim longè plures in hac vna quàm in duabus ſingulis erant. Tum illi quoque qui autoritate eius trahebantur, tranſeunte illo deſtituti, reliquerunt ſententiam ab ipſo autore deſertam, ſequutíque ſunt quaſi transfugam quem ducem ſequebantur. Sic ex tribus ſententiis, duæ factæ, tenuítque ex duabus altera, tertia expulſa: quæ quum ambas ſuperare non poſſet, elegit ab vtra vinceretur. Vale.

C. PLINIVS IVNIORI SVO S. 15

ONerari te tot pariter missis voluminibus, sed onerari, primùm, quia exegeras: deinde, quia scripseras tam graciles istic vindemias esse, vt planè scirem tibi vacaturum (quod vulgò dicitur) librum legere: eadem ex meis agellis nuntiantur. Igitur mihi quoque licebit scribere quæ legas, sit modò vnde chartæ emi possint: quæ si scabræ bibulæve sint, aut non scribendum, aut necessariò quicquid scripserimus boni malíve delebimus. Vale.

C. PLIN. PATERNO SVO S. 16

COnfecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, & quidem iuuenum. Solatia duo, nequaquam paria tanto dolori, solatia tamen: vnum facilitas manumittendi (videor enim non omnino immaturos perdidisse quos iam liberos perdidi) alterum, quum permitto seruis quoque quasi testamenta facere, eáque vt legitima custodio. mandant rogántque quod visum: pareo ocyus. suis diuidunt, donant, relinquunt duntaxat intra domum. nam seruis respub. quædam & quasi ciuitas domus est. Sed quanquam his solatiis acquiescam, debilitor & frangor eadem illa humanitate quæ me vt hoc ipsum permitterem induxit. Non ideo tamen velim durior fieri: nec ignoro alios huiusmodi casus nihil amplius vocare quàm damnum: eóque

ſibi magnos homines & ſapientes videri. qui an magni ſapientéſque ſint, neſcio: homines non ſunt. Hominis eſt enim affici dolore, ſentire, reſiſtere tamen, & ſolatia admittere, non ſolatiis non egere. Verùm de his plura fortaſſe quàm debui, ſed pauciora quàm volui. Eſt enim quædam etiam dolendi voluptas: præſertim ſi in amici ſinu defleas, apud quem lacrymis tuis vel laus ſit parata, vel venia. Vale.

C. PLIN. MACRINO SVO S. 17

NVm iſtic quoque immite & turbidũ cœlum? hîc aſſiduæ tẽpeſtates, & crebra diluuia. Tiberis alueum exceſſit, & demiſſioribus ripis altè ſuperfunditur. quanquam foſſa quam prouidentiſſimus Imperator fecit, exhauſtus, premit valles, innatat cãpis; quáque planum ſolum, pro ſolo cernitur: inde, quæ ſolet flumina accipere, & permiſta deuehere, velut obuius retrò cogit, atque ita alienis aquis operit agros quos ipſe non tãgit. Anio, delicatiſſimus amnium, ideóque adiacẽtibus villis velut inuitatus retentúſque, magna ex parte nemora quibus inumbratur, & fregit & rapuit. Subruit montes, & decidentium mole pluribus locis clauſus, dum amiſſum iter quærit, impulit tecta, ac ſe ſuper ruinas euexit atque extulit. Viderũt hi quos excelſioribus terris illa tẽpeſtas non deprehendit: alibi diuitum apparatus, & grauem ſupellectilem, alibi inſtrumenta ruris: ibi boues, aratra, rectores: hîc ſoluta & libera armenta: atq; inter hæc, arborum truncos, aut villarum trabes

atque culmina variè latéque fluitantia. Ac ne illa quidem loca malo vacauerunt, ad quæ nõ ascendit amnis. Nam pro amne imber assiduus, & deiecti nubibus turbines: prorupta opera, quibus pretiosa rura cinguntur: quassata atque etiam decussa monimenta. Multi eiusmodi casibus debilitati, obruti, obtriti, & aucta luctibus damna. Nequid simile istic, pro mensura periculi, vereor: téque rogo, si nihil tale est, quam maturissimè solicitudini meæ consulas: sed & si tale, id quoque nunties. Nam paruulum differt patiaris aduersa, an expectes: nisi quòd tantùm est dolendi modus, non est timendi. Doleas enim quantum scias accidisse: timeas quantum possit accidere. Vale.

C. PLIN. RVFINO SVO S. 18

FAlsum est nimirum quod creditur vulgò, testamenta hominum speculum esse morum: quum Domitius Tullus longè melior apparuerit morte quàm vita. Nam quum se captandum præbuisset, reliquit filiam hæredem, quæ illi cum fratre communis, quia genitam fratre adoptauerat. Prosequutus est nepotes plurimis iucundissimísque legatis: prosequutus etiam pronepotem. In summa, omnia pietate plenissima: ac tanto magis, quoniam inexpectata sunt. Ergo varij tota ciuitate sermones: alij fictum, ingratum, immemorem loquuntur, séque ipsos, dum insectãtur illum, turpissimis confessionibus prodũt, qui de illo vti de patre, auo, proauo, quasi or-

bi querantur: alij contrà hoc ipsum laudibus ferunt, quòd sit frustratus improbas spes hominum, quos sic decipere pro moribus temporum, prudentia est. Addunt etiam non fuisse ei liberum, alio testamento mori. neque enim reliquisse opes filiæ, sed reddidisse, quibus auctus per filiam fuerat. Nam Curtius Mantia perosus generum suum Domitium Lucanum (frater est Tulli) sub ea conditione, vt filiam eius, neptem suam, institueret hæredem, si esset manu patris emissa. Emiserat pater, adoptauerat patruus: atque ita circumscripto testamento, consors frater in patris potestate emancipatam filiam adoptionis fraude reuocauerat, & quidem cum opibus amplissimis. Fuit alioqui fratribus illis, quasi fato datum vt diuites fierent, inuitissimis, à quibus facti sunt. Quinetiam Domitius Afer, qui illos in nomen assumpsit, reliquit testamentum ante octo & decem annos nuncupatum: adeóque postea improbatum sibi, vt patris eorum bona proscribenda curauerit. Mira illius asperitas, mira felicitas horum: illius asperitas, qui numero ciuium excidit, quem socium etiam in liberis habuit: felicitas horum, quibus successit in locum patris, qui patrem abstulerat. Sed hæc quoque hæreditas Afri, vt reliqua cum fratre quæsita, transmittenda erant filiæ fratris: à quo Tullus ex asse hæres institutus, prælatúsque filiæ fuerat, vt reconciliaretur. Quo laudabilius testamentum est, quod pietas, fides, pudor, scripsit: in quo denique omnibus affinitatibus pro cuiusque officio gratia relata est, relata & vxori. Accepit amœnissimas villas, accepit ma-

gnam pecuniam vxor optima & patientissima: ac tanto meliùs de viro merita, quanto magis est reprehensa quòd nupsit? Nam mulier natalibus clara, moribus proba, ætate decliuis, diu vidua, mater olim, parum decorè sequuta matrimonium videbatur diuitis senis ita perditi morbo, vt esse tædio posset vxori, quam iuuenis sanúsque duxisset. Quippe omnibus membris extortus & fractus, tantas opes solis oculis obibat: ac ne in lectulo quidem, nisi ab aliis, mouebatur. Quinetiam (fœdum miserandúmque dictu) dentes lauandos fricandósque præbebat. Auditum est frequẽter ab ipso, quum quereretur de contumeliis debilitatis suæ, se digitos seruorum suorum quotidie lingere. Viuebat tamen, & viuere volebat: sustentante maximè vxore, quæ culpam inchoati matrimonij in gloriam perseuerantia verterat. Habes omnes fabulas vrbis. nam sunt venales tabulæ Tulli, expectatur auctio. Fuit enim tam copiosus, vt amplissimos hortos, eodem quo emerat die instruxerit plurimis & antiquissimis statuis. tantum illi pulcherrimorum operum in horreis, quæ negligebantur. Inuicem tu, siquid istic epistola dignum, ne grauere scribere. Nam cùm aures hominum nouitate lætantur, tum ad rationem vitæ exemplis erudimur. Vale.

C. PLIN. MAXIMO SVO S. 19

ET gaudium mihi & solatium in literis: nihílque tam lætum, quod his lætius:

nihil tam triste, quod non per has sit minus triste. Itaque & infirmitate vxoris, & meorũ periculo, quorundam verò etiam morte turbatus, ad vnicum doloris leuamentum studia confugio, quæ præstant vt aduersa magis intelligam, sed patientiùs feram. Est autem mihi moris, quod sum daturus in manus hominum, antè amicorum iudicio examinare, in primis tuo. Proinde, si quando, nunc intende libro, quem cum hac epistola accipies: quia vereor ne ipse, vt tristis, parum intenderim. Imperare enim dolori vt scriberem potui, vt vacuo animo lætóque, non potui. Porrò vt ex studiis gaudium, sic studia hilaritate proueniunt. Vale.

C. PLIN. GALLO SVO S. 20

AD quæ noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus, ea sub oculis posita negligimus: seu quia ita natura comparatum, vt proximorum incuriosi, longinqua sectemur: seu quòd omnium rerum cupido languescit quum facilis occasio est: seu quòd differimus, tanquam sæpe visuri quod datur videre, quoties velis cernere. Quacunque de causa, permulta in vrbe nostra, iuxtáque vrbem, non oculis modò, sed ne auribus quidẽ nouimus: quę si tulisset Achaia, Ægyptus, Asia, aliáve quęlibet miraculorũ ferax cõmendatríxq; terra, audita, perlecta, lustratáq; haberemus. Ipse certè nuper, quod nec audierã antè, nec videram, audij pariter & vidi. Exegerat prosocer meus vt amerina prædia sua

inſpicerem. hæc perambulanti mihi oſtenditur ſubiacens lacus, nomine Vadimonis, ſimul quædam incredibilia narrantur. perueni ad ipſum. Lacus eſt in ſimilitudinem iacentis rotæ circumſcriptus, & vndique æqualis, nullus ſinus, obliquitas nulla, omnia dimenſa, paria, & quaſi artificis manu cauata & exciſa. Color cæruleo albidior, viridior, & preſſior: ſulphuris odor, ſapórque medicatus, vis qua fracta ſolidantur. Spatium modicum, quod tamen ſentiat ventos, & fluctibus intumeſcat. Nulla in hoc nauis (ſacer enim eſt) ſed innatant inſulæ herbidæ, omnes arundine & iunco tectæ, quęque alia fœcundior palus, ipſáque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, vt modus: cunctis margo deraſus, quia frequenter vel littori vel ſibi illiſæ teruntt eruntúrque. Par omnibus altitudo, par leuitas: quippe in ſpeciem carinæ humili radice deſcendunt. hæc ab omni latere perſpicitur: eadem aqua pariter ſuſpenſa & merſa. Interdū iunctæ copulatæque & continenti ſimiles ſunt: interdum diſcordantibus ventis digerūtur: nonnunquam deſtitutę tranquillitate ſingulæ fluitant. Sæpe minores maioribus, velut cymbulæ onerariæ, adhæreſcunt: ſæpe inter ſe maiores minoréſque, quaſi curſum certaménque deſumunt. rurſus omnes in eundem locum appulſæ, quà ſteterunt, promouent terram, & modò hac, modò illac lacum reddunt auferúntque: ac tum demum quum medium tenuere, non contrahunt. Conſtat pecora herbas ſequuta, ſic in inſulas illas, vt in extremam ripam, procedere ſolere, nec priùs intelligere mobile ſolum, quàm littore abre-

pta, quaſi illata & impoſita, circumfuſum vndique lacum pauent. mox quò tulerit ventus egreſſa, non magis ſe deſcendiſſe ſentire, quàm ſenſerint aſcendiſſe. Idem lacus in flumen egeritur, quod vbi ſe pauliſper oculis dedit, ſpecu mergitur, altéque conditũ meat: ac ſiquid antè quàm ſubduceretur, accepit, ſeruat & profert. Hæc tibi ſcripſi, quia nec minùs ignota quàm mihi, nec minùs grata credebam. nam te quoque, vt me, nihil æquè ac naturæ opera delectant. Vale.

C. PLIN. ARRIANO SVO S. 21

VT in vita, ſic in ſtudiis pulcherrimum & humaniſſimum exiſtimo, ſeueritatem comitatémque miſcere, ne illa in triſtitiam, hæc in petulantiam procedat. Qua ratione ductus, grauiora opera luſibus iocíſque diſtinguo. Ad hos proferendos & tempus & locum opportuniſſimum elegi, vt qui iam nunc aſſueſcerent & ab otioſis & in triclinio audiri. Iulio menſe, quo maximè lites interquieſcunt, poſitis ante lectos cathedris, amicos collocaui: fortè accidit vt eo die manè in aduocationem ſubitam rogarer: quod mihi cauſam præloquendi dedit. Sum enim deprecatus ne quis vt irreuerentem operis argueret, quod recitaturus, quanquam & amicis & paucis, idem iterum amicis, foro & negotiis non abſtinuiſſem. Addidi, hunc ordinem me & in ſcribendo ſequi, vt neceſſitates voluptatibus, ſeria iucundis anteferrem, ac primùm amicis, tum mihi ſcriberem. Liber fuit &

opuſculis varius, & metris. ita ſolemus qui ingenio parum fidimus, ſatietatis periculum fugere. Recitaui biduo: hoc aſſenſus audientium exegit. & tamen vt alij tranſeunt quædam, imputántque quod tranſeant: ſic ego nihil prætereo, atque etiam non præterire me teſtor. Lego enim omnia, vt omnia emẽdem. quod contingere non poteſt electa recitantibus. at illud modeſtius, & fortaſſe reuerẽtius, ſed hoc ſimplicius & amantius. Amat enim qui ſe ſic amari putat, vt tædium non pertimeſcat. alioqui quid præſtant ſodales, ſi conueniunt voluptatis ſuæ cauſa? delegatus ac ſimilis ignoto eſt qui amici librum bonum mauult audire quàm facere. Non dubito cupere te pro cætera mei charitate, quammaturiſſimè legere hunc adhuc muſteum librum. Leges, ſed retractatum. quæ cauſa recitandi fuit: & tamen nonnulla iam ex eo noſti: hæc vel emendata poſtea, vel (quod interdum lõgiore mora ſolet) deteriora facta, quaſi noua rurſus & reſcripta cognoſces. Nam pleriſque mutatis, ea quoque mutata videntur quæ manent. Vale.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S. 22

NOſtíne hos qui omnium libidinum ſerui, ſic aliorum vitiis iraſcuntur, quaſi inuideant, & grauiſſimè puniunt quos maximè imitantur? cùm eos etiam qui non indigent clementia vllius, nihil magis quàm lenitas deceat. Atque ego optimum & emendatiſſimum exiſtimo qui cęteris ita ignoſcit,

tanquam ipſe quotidie peccet:ita peccatis abſtinet,tãquam nemini ignoſcat. Proinde hoc domi,hoc foris, hoc in omni vitæ genere teneamus,vt nobis implacabiles ſimus , exorabiles iſtis etiam qui dare veniam niſi ſibi neſciunt: mãdemúſque memoriæ quod vir mitiſſimus,& ob hoc quoque maximus , Thraſea,crebrò dicere ſolebat,Qui vitia odit, homines odit. Fortaſſe quæris quo commotus hæc ſcribam.Quidã nuper;ſed melius coràm, quanquam ne tunc quidem. Vereor enim ne id quod improbo,eos ſectari, carpere , referre,huic quod quàm maximè præcipimus, repugnet.Quiſquis ille,qualiſcunque, ſileatur, quem inſignire, exempli nihil ; non inſignire,humanitatis plurimum refert. Vale.

C. PLIN. MARCELLINO SVO S. 23

OMnia mihi ſtudia , omnes curas , omnia auocamenta exemit,excuſſit,eripuit dolor , quẽ ex morte Iunij Auiti grauiſſimũ cepi.Latum clauum in domo mea induerat,ſuffragio meo adiutus in petendis honoribus fuerat:ad hoc ita me diligebat, ita verebatur, vt me formatore morum , me quaſi magiſtro vteretur. rarum hoc adoleſcentibus noſtris. Nam quotuſquiſque vel ętati alterius,vel autoritati vt minor cedit? Statim ſapiunt,ſtatim ſciunt omnia : neminem verentur , imitantur neminem,atque ipſi ſibi exẽpla ſunt.Sed non Auitus, cuius hæc præcipua prudentia, quòd alios prudentiores arbitrabatur : hæc præcipua eruditio , quòd diſcere volebat. Sem-

per ille aut de studiis aliquid, aut de officiis vitæ consulebat: semper ita recedebat, vt melior factus: & erat factus vel eo quod audierat, vel quod omnino quæsierat. Quod ille obsequium Seruiano, exactissimo viro, præstitit? quem legatum tribunus ita & intellexit, & excepit, vt ex Germania in Pānoniam transeuntem, non vt commilito, sed vt comes assectatórque sequeretur. qua industria, qua modestia quæstor consulibus suis (& plures habuit) non minus iucundus & gratus quàm vsui fuit? quo discursu, qua vigilantia hanc ipsam ædilitatem, cui præceptus est, petiit? Quod vel maximè dolorem meum exulcerat: obuersantur oculis, cassi labores & infructuosæ preces, & honor quem meruit. Tantùm redit animo ille latus clauus, in penatibus meis sumptus: redeunt illa prima, illa postrema suffragia mea, illi sermones, illæ consultationes. Afficior adolescentia ipsius, afficior necessitudinum casu. Erat illi grandis natu parens, erat vxor, quam ante annum virginem acceperat: erat filia quam paulo antè sustulerat. Tot spes, tot gaudia dies vnus in diuersa conuertit. Modò designatus ædilis, recens maritus, recens pater, intactum honorem, orbam matrem, viduam vxorem, filiam pupillam, ignaram aui, ignarámque patris reliquit. Accedit lacrymis meis, quòd absens & impendentis mali nesciis, pariter ægrum, pariter decessisse cognoui, ne grauissimo dolori timore consuescerem. In tantis tormentis eram quum scriberem hæc, scriberem sola. neque enim nūc aliud aut cogitare aut loqui possum. Vale.

C. PLIN.

C. PLIN. MAXIMO SVO S. 24

AMor in te meus cogit, non vt præcipiam (neque enim præceptore eges) admoneam tamen vt quæ ſcis, teneas & obſerues, aut ſcias meliùs. Cogita te miſſum in prouinciam Achaiam, illam veram & merã Græciam, in qua primùm humanitas, literæ, etiam fruges inuentæ creduntur: miſſum ad ordinandum ſtatum liberarum ciuitatum: id eſt, ad homines maximè liberos, qui ius à natura datum virtute, meritis, amicitia, fœdere denique & religione tenuerunt. Reuerere cõditores deos, numina deorum: reuerere gloriam veterem, & hanc ipſam ſenectutẽ, quæ in homine venerabilis, in vrbibus ſacra eſt. ſit apud te honor antiquitatis, ſit ingẽtibus, factis, ſit fabulis quoque. nihil ex cuiuſquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex iactatione decerpſeris. Habe ante oculos, hanc eſſe terram quæ nobis miſerit iura, quæ leges non victa accepit, ſed petentibus dederit: Athenas eſſe quas adeas: Lacedæmonem eſſe quam regas: quibus reliquã vmbram, & reſiduum libertatis nomen eripere durum, ferum barbarúmque eſt. Vides à medicis, quanquam in aduerſa valetudine nihil ſerui ac liberi differant, molliùs tamen liberos clementiúſque tractari. Recordare quid quæque ciuitas fuerit. non vt deſpicias quod eſſe deſierit. Abſit ſuperbia, aſperitas, nec timueris contemptum. an contemnitur qui imperium, qui faſces habet? niſi qui hu-

milis & sordidus, & qui se primus ipse contemnit: Malè vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, malè terrore veneratio acquiritur: longéque valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor abit, si recedas, manet amor: ac sic, vt ille in odium, hic in reuerentiam vertatur. Te verò etiam atque etiam (repetam enim) meminisse oportet officij tui titulū, ac tibi ipsum interpretari quale quantúmque sit ordinare statū liberarum ciuitatum. Nam quid ordinatione ciuili? quid libertate pretiosius? porrò quàm turpe, si ordinatio euersione, libertas seruitute mutetur? Accedit quòd tibi certamē est tecum: onerat te quæsturæ tuæ fama, quam ex Bithynia optimam reuexisti: onerat testimonium principis: onerat tribunatus, prætura, atq; hęc ipsa legatio, quasi prēmiū data. Quo magis nitendū est ne in longinquam prouinciam quàm suburbanam, ne inter seruientes quàm liberos, ne sorte quàm iudicio missus, ne rudis & incognitus quàm exploratus probatúsque, humanior, melior peritior fuisse videaris: cùm si alioqui, vt sæpe audisti, sæpe legisti, multo deformius amittere quàm non assequi laudem. Hæc velim credas, (quod initio) scripsisse me admonentem, non præcipientem: quanquam præcipientem quoque. Quippe non vereor in amore ne modum excesserim, neque enim periculum est ne sit nimium quod esse maximum debet vale.
Vale.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPIstolarum LIBER NONVS.

C. PLIN. MAXIMO SVO S. 1

SÆPE te monui vt libros quos vel pro te, vel in Blateram, immo & pro te & in illũ (ita enim materia cogebat) composuisti, quammaturissimè emitteres: quod nunc precipuè, morte eius audita, & hortor & moneo. Quamuis enim legeris multis, legendósque dederis, nolo tamen quenquam opinari defuncto demum inchoatos, quos incolumi eo peregisti. Salua sit tibi cōstantiæ fama. erit autem, si notum æquis iniquísque fuerit, non post inimici mortem scribēdi tibi natam esse fiduciam, sed iam paratam editionē morte præuentam. Simul vitabis illud,

Οὐχ' ὅσιον φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχε-
τάασθαι.

Nam quod de viuente scriptum, de viuente recitatum est in defunctum quoque, tamquā viuentem ad huc, editur si editur. Statim igitur siquid aliud in manibus, differ: interim hoc perfice quod nobis qui legimus olim,

absolutum videtur: sed iam videatur & tibi, cuius cũctationẽ nec res ipsa desiderat, & temporis ratio præcidit. Vale.

C. PLIN. SABINO SVO S. 2

FAcis iucundè, quòd non solùm plurimas epistolas meas, verumetiam longissimas, flagitas: in quibus parcior fui, partim quia tuas occupationes verebar, patim quia ipse multum destrĩgebar plerumque frigidis negotiis: quæ simul & auocant animum & comminuunt. Præterea materia plura scribendi dabatur. neque enim eadem nostra cõditio quæ M. Tullij, ad cuius exemplum nos vocas. Illi enim & copiosissimum ingenium, & par ingenio materia, quam tã varietas rerũ quàm magnitudo largissimè suppetebat: nos quàm angustis terminis claudamur, etiã tacente me perspicis: nisi fortè volumus scholasticas tibi atque (vt ita dicã) vmbraticas literas mittere. Sed nihil minus aptum arbitramur, quum arma vestra, quum castra, quum denique cornua, tubas, sudorem, puluerem, soles cogitamus. Habes, vt puto, iustam excusationem: quã tamẽ dubito an tibi probari velim. est enim summi amoris negare veniam breuibus epistolis amicorum, quamuis scias illis constare rationem. Vale.

C. PLIN. PAVLINO SVO S. 3

ALius alium, ego beatissimum existimo qui bonæ mansuræque famæ præsumptione perfruitur, certúsque posteritatis cùm futura gloria viuit, ac nihil nisi præmiũ ęternitatis ante oculos, pingue illud altúmque otium placeat. Etenim omnes homines arbitror oportere aut immortalitatem suam aut mortalitatem cogitare: & illos quidem contendere, & non remitti. tum hos quiescere, nec breuem vitam caducis laboribus fatigare: vt video multos, misera simul & ingrata imagine industriæ, ad mortalitatem sui peruenire. Hæc ego tecum, quæ quotidie mecum, vt desinam mecum, si dissenties tu: quanquam non dissenties, vt qui semper præclarum aliquid & immortale meditaris. Vale.

C. PLIN. MACRINO SVO S. 4

VErerer ne immodicam orationem putares, quam cum hac epistola accipies, nisi esset generis eius, vt sæpe incipere, sæpe desinere videatur. nam singulis criminibus singulæ velut causę continentur. Poteris ergo, vndecunque inceperis, vbicunque desieris, quæ deinceps sequentur, & quasi incipientia legere & quasi cohærentia: méque in vniuersitate longissimum, breuissimum in partibus iudicare. Vale.

C. PLINIVS TYRONI SVO S. 5

EGregiè facis (inquiro enim, & perſeuero) quòd iuſtitiam tuam prouincialibus multa humanitate commendas: cuius præcipua pars eſt, honeſtiſſimum quemque complecti, atque ita à minoribus amari, vt ſimul à principibus diligare. Plerique autem dum verentur ne gratiæ potentium nimium impertiri videantur, ſiniſteritatis atque etiam malignitatis famam conſequuntur. à quo vitio tu longè receſſiſti, ſcio: ſed temperare mihi non poſſum quominus laudem, ſimilis monenti, quòd eum modum tenes, vt diſcrimina ordinum dignitatúmque cuſtodias: quæ ſi confuſa, turbata, permiſta ſint, nihil eſt ipſa æqualitate inæqualius. Vale.

C. PLIN. CALVISIO SVO S. 6

OMne hoc tempus inter pugillares ac libellos iucundiſſima quiete tranſmiſi. Quemadmodũ, inquis, in vrbe potuiſti? Circenſes erant, quo genere ſpectaculi ne leuiſſimè quidem teneor. Nihil nouum, nihil varium, nihil quod non ſemel ſpectaſſe ſufficiat. quo magis miror, tot millia virorum, tam pueriliter identidem cupere, currentes equos, inſiſtentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traheretur, eſſet ratio nonnulla: nunc fauent panno, pannum amant: & ſi in

ipſo curſu, medióque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, ſtudium fauórque tranſibit, & repentè agitatores illos equos, illos quos procul noſcitant, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta autoritas in vna viliſſima tunica. Mitto apud vulgus, quod vilius tunica eſt: ſed apud quoſdam graues homines; quos ego quum recordor, in re inani, frigida, aſſidua, tam inſatiabiliter deſidere, capio aliquam voluptatem, quòd hac voluptate non capiar. Ac per hos dies libentiſſimè otium meum in literis colloco, quos alij otioſiſſimis occupationibus perdunt. Vale.

C. PLIN. ROMANO SVO S. 7

AEdificare te ſcribis, bene eſt: inueni patrocinium. ædifico enim iam ratione, quia tecum. Nam hoc quoque non diſſimile, quòd ad mare tu, ego ad Larium lacum. huius in littore plures villæ meæ, ſed duæ, vt maximè delectant, ita exercent. Altera impoſita ſaxis more Baiano lacum proſpicit: altera æquè more Baiano lacum tangit. Itaque illam tragœdiam, hanc appellare comœdiam ſoleo: illam, quòd quaſi cothurnis; hanc, quòd quaſi ſocculis ſuſtinetur. Sua vtrique amœnitas, & vtranque poſſidenti ipſa diuerſitate iucundior. Hæc lacu propiùs, illa latiùs vtitur: hæc vnum ſinum molli curuamine amplectitur, illa editiſſimo dorſo duos dirimit: illic recta geſtatio longo limite ſuper littus extenditur; hîc ſpatioſiſſimo xyſto leuiter

inflectitur: illa fluctus non ſentit, hæc frangit: ex illa poſſis deſpicere piſcantes, ex hac ipſe piſcari, hamúmque è cubiculo, ac penè etiam lectulo, vt è nauicula, iacere. Hæ mihi cauſæ vtrique quę deſunt aſtruendi ob ea quę ſuperſunt. Sed quid ego rationem tibi, apud quem pro ratione erit idem facere?

C. PLINIVS AVGVRINO SVO S. 8

SI laudatus à te laudare te cœpero, vereor ne nō tam proferre iudicium meum quàm referre gratiam videar. ſed licet videar, omnia ſcripta tua pulcherrima exiſtimo, maximè tamen illa quæ de nobis. Accedit hoc, vna eadémque de cauſa. Nam & tu quæ de amicis optimè ſcribis, & ego quæ de me, vt optima lego. Vale.

C. PLINIVS COLONI SVO S. 9

VNicè probo quòd Pompeij Quintiani morte tam dolenter afficeris, vt amiſſi charitatem deſiderio extendas: non vt plerique, qui tantùm viuentes amant, ſeu potiùs amare ſe ſimulant, ac ne ſimulant quidem, niſi quos florētes vident. Nam miſerorum non ſecus ac defunctorum obliuiſcuntur. ſed tibi perennis fides, tantáque in amore conſtantia, vt finiri, niſi tua morte, non poſſit. & hercule is fuit Quintianus, quem diligi deceat exemplo ipſius. Felices amabat, & miſeros tuebatur, deſiderabat amiſſos. Iam illa quanta pro-

bitas in ore? quanta in sermone cunctatio? quàm pari libra grauitas comitásque? quod studium literarum? quod iudicium? qua pietate cum dissimillimo patre viuebat? quàm non obstabat illi quominus vir optimus videretur, quòd erat optimus filius? Sed quid dolorem tuum exulcero? quanquam sic amasti viuentem, vt hæc audire potiùs quàm de illo sileri velis: à me præsertim, cuius prædicatione putas vitam eius ornari, memoriam prorogari, ipsámque illam qua est raptus, ætatem posse restitui. Vale.

COR. TACITVS C. PLIN. SVO S. 10

CVpio præceptis tuis parere: sed aprorum tanta penuria est, vt Mineruæ & Dianæ, quas ais pariter colendas, conuenire non possit. Itaque Mineruæ tantùm seruiendum est, delicatè tamen, vt in secessu & æstate. In via planè nonnulla leuiora, statímque delenda, ea garrulitate, qua sermones in vehiculo seruntur, extendi: his quædam addidi in villa, quum aliud non liberet. Itaque poëmata quiescunt, quæ tu inter nemora & lucos commodissimè perfici putas. Oratiunculam vnam & alteram retractaui: quanquam id genus operis inamabile, inamœnum, magísque laboribus ruris quàm voluptatibus simile. Vale.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S. 11

EPistolam tuam iucundiſſimam recepi, eo maximè quòd aliquid ad te ſcribi volebas quod libris inſeri poſſet. obueniet materia, vel hæc ipſa quam monſtras, vel potior alia. Sunt enim in hac offendicula nonnulla: circumfer oculos, & occurrent. Bibliopolas Lugduni eſſe non putabam: ac tanto libentiùs ex literis tuis cognoui venditari libellos meos quibus peregrè manere gratiam quam in vrbe collegerint, delector. Incipio enim ſatis abſolutum exiſtimare, de quo tanta diuerſitate regionum diſcreta hominum iudicia conſentiunt. Vale.

C. PLINIVS IVNIORI SVO S. 12

CAſtigabat quidam filium ſuum, quòd paulo ſumptuoſiùs equos & canes emeret: huic ego, iuuene digreſſo, Heus tu, nunquámne feciſti quod à patre corripi poſſet? feciſti dico. Non interdum facis quod filius tuus, ſi repentè pater ille, tu filius, pari grauitate reprehendat? Non omnes homines aliquo errore ducuntur? non hic in illo ſibi, in hoc alius indulget? Hæc tibi admonitus immodicæ ſeueritatis exemplo pro amore mutuo ſcripſi, nequando tu quoque filium tuum acerbiùs duriúſque tractares. Cogita & illum puerum eſſe, & te fuiſſe, atque ita hoc quòd

es pater vtere, vt memineris & te hominem esse,& hominis patrem. Vale.

C. PLIN. QVADRATO SVO S. 13

QVanto studiosiùs intentiúsque legisti libros quos de Heluidij vltione composui,tãto impensiùs postulas vt perscribam tibi quæque extra libros, quæque circa libros,totum denique ordinem rei cui per ætatem non interfuisti.Occiso Domitiano statui mecum ac deliberaui esse magnã pulchrámque materiam insectandi nocentes miseros vindicandi,se proferendi. Porrò inter multa scelera multorum, nullum atrocius videbatur, quàm quòd in senatu senator senatori; prætorius consulari, reo iudex manus intulisset.Fuerat alioqui mihi cum Heluidio amicitia, quanta potuerat esse cum eo qui metu temporum nomen ingens paréſque virtutes secessu tegebat, fuerat cum Arria & Fannia: quarum altera, Heluidij nouerca;altera, mater nouercæ. Sed non ita me iura priuata vt publicum fas, & indignitas facti, & exempli ratio incitabat. Ac primis quidem diebus redditæ libertatis pro se quisque inimicos suos, duntaxat minores, incondito turbidóque clamore postulauerat simul & oppresserat: ego & modestiùs & constantiùs arbitratus immanissimum reum non communi temporum inuidia, sed proprio crimine vrgere: quum iam satis ille primus impetus deferbuisset, & languidior in dies ira ad

iustitiam redisset, quanquam tum maximè tristis, amissa nuper vxore, mitto ad Anteïam (nupta hæc Heluidio fuerat) rogo vt veniat, quia me recẽs adhuc luctus limine contineret. Vt venit, Destinatum est, inquam, mihi maritum tuum non inultum pati: nuntia Arriæ & Fannię (ab exilio enim redierant) consule te, consule illas an velitis adscribi facto, in quo ego comite non egeo: sed non ita gloriæ meæ fauerim, vt vobis societatem eius inuideam. Perfert Anteia mandata, nec illæ morãtur. Opportunè senatus intra diem tertium. Omnia ego semper ad Corellium retuli, quem prudentissimum ętatis nostrę sapientissimúmque cognoui: in hoc tamẽ contentus consilio meo fui, veritus ne vetaret, (erat enim cunctantior cautiórque) sed non sustinui inducere in animum, quominùs illi eodem die facturum me indicarem: quod an facerem non deliberabam: expertus vsu, de eo quod destinaueris, non esse consulendos, quibus consultis obsequi debeas. Venio in senatum, ius dicendi peto, dico paulisper maximo assẽnsu: vbi cœpi crimen attingere, reum destinare (adhuc tamen sine nomine) vndique mihi reclamari. Alius, Sciamus qui sit, de quo extra ordinem referas: alius, Quis est ante relationem reus? alius, Salui simus, qui superfumus. Audio imperturbatus, interritus: tantum susceptæ rei honestas valet, tantúmque ad fiduciam vel metum differt, nolint homines quod facias, an non probent. Longũm est omnia quæ tunc hinc inde iactata sũnt recensere. Nouissimè consul, Secunde, sententiæ loco dices, siquid volueris. Permiseris, inquam,

quod vſque adhuc omnibus permiſiſti. Reſido: aguntur alia interea. Me quidam ex cõſularibus amicis ſecreto accuratóque, quaſi nimis fortiter incautéque progreſſum, corripit, reuocat, monet vt deſiſtam: adiecit etiam, Notabilem te futuris principibus feciſti. Eſto, inquam, dum malis. Vix ille diſceſſerat; rurſus alter, Quid audes? cur ruis? quibus te periculis obiicis? quid præſentibus confidis incertus futurorum? Laceſſis hominem iam præfectum ærarij & breui conſulem. præterea qua gratia, quibus amicitiis fultum? nominat quendam qui tunc ad orientem ampliſſimum & famoſiſſimum exercitum, non ſine magnis dubiiſque rumoribus, obtinebat. Ad hæc ego, *Omnia percepi, atque animo mecum antè peregi*: nec recuſo, ſi ita caſus attulerit, luere pœnas ob honeſtiſſimum factum, dum flagitioſiſſimum vlciſcor. Iam cenſendi tempus. Dicit Domitius Apollinaris, conſul deſignatus, dicit Fabricius Veiento, Fabius Poſthumius, Vectius Proculus, collega Publicij Certi, de quo agebatur, vxoris autem meæ quam amiſerat, vitricus: poſt hos Ammius Flaccus. omnes Certum nondum à me nominatum vt nominatum defendunt: crimẽnque quaſi in medio relictum defenſione ſuſcipiunt. Quæ præterea dixerint, non eſt neceſſe narrare, in libris habes. ſum enim cuncta ipſorum verbis perſequutus. Dicunt contrà Auidius Quietus, Cornutus Tertullus. Quietus, iniquiſſimum eſſe querelas dolentium excludi: ideóque Arriæ & Fanniæ eius querendi non auferẽdum: nec intereſſe cuius ordinis quis ſit, ſed quam

caufam habeat. Cornutus, datum fe à confulibus tutorem Heluidij filiæ, petentibus matre eius & vitrico: nunc quoque non fustinere deferere officij fui partes, in quo tamen, & fuo dolori modum imponere, & optimarum fœminarum perferre modeftiffimum affectum: quas contentas effe admonere fenatum Publicij Certi cruentæ adulationis: & petere, fi pœna flagitij manifeftiffimi remittatur, nota Certo quafi cenforia inuratur. Tum Satrius Rufus, medio ambiguóque fermone, Puto, inquit, iniuriam factam Publicio Certo, fi non abfoluitur: nominatus eft ab amicis Arriæ & Fanniæ, nominatus ab amicis fuis: nec debemus folliciti effe. Idem enim nos qui bene fentimus de homine, iudicaturi fumus: fi innocens eft, ficuti & fpero, & malo, donec aliquid probetur, credo poteritis abfoluere. Hæc illi, quo quifque ordine citabantur. Venitur ad me: confurgo, vtor initio, quod in libro eft. refpondeo fingulis. Mirum qua intentione, quibus clamoribus omnia exceperint, qui modò reclamabant. tanta conuerfio vel negotij dignitatem, vel prouentum orationis, vel actoris conftantiam fubfequuta eft. Finio. Incipit refpondere Veiento: nemo patitur: obturbatur, obftrepitur: adeo quidem vt diceret, Rogo, Patres C. ne me cogatis implorare auxilium tribunorum. Et ftatim Murena tribunus, Permitto tibi vir clariffime Veiento dicere. Tunc quoque reclamatur. Inter moras conful citatis nominibus, & peracta difceffione mittit fenatum: ac penè adhuc ftantem tentantémque dicere Veientonem relinquit. Multum ille de hac (ita

vocitabat) contumelia, questus est Homerico versu,

Ω γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί.

Non ferè quisquam in senatu fuit qui non me complecteretur, exoscularetur, certatímque laude cumularet, quòd intermissum tamdiu morem in publicum consulendi, susceptis propriis simultatibus, reduxissem: quòd denique senatum inuidia liberassem, qua flagrabat apud ordines alios, quòd seuerus in cæteros, senatoribus solis dissimulatione quasi mutua parceret. Hæc acta sunt absente Certo. Abfuit enim, seu tale aliquid suspicatus, siue vt excusabatur, infirmus. Et relationẽ quidem de eo Cæsar ad senatum non remisit: obtinui tamen quod intenderam. nam collega Certi consulatum, successorem Certus accepit: planéque factum est quod dixeram in fine, Reddat præmium sub optimo principe, quod à pessimo accepit. Postea actionem meã vtcunque potui recollegi: addidi multa. Accidit fortuitum (sed non tanquam fortuitum) quòd editis libris Certus intra paucissimos dies implicitus morbo decessit. Audiui referentes hanc imaginem menti eius, hanc oculis oberrasse, tanquam videret me sibi cum ferro imminere. Verúne hæc, affirmare non ausim: interest tamen exempli, vt vera videãtur. Habes epistolam, si modò epistolam cogitas, libris quos legisti non minorem: sed imputabis tibi, qui contentus libris non fuisti. Vale.

C. PLIN. TACITO SVO S. 14

NEc ipſe tibi plaudis, & ego nihil magis ex fide quàm de te ſcribo. Poſteris an aliqua cura noſtri, neſcio: nos certè meremur vt ſit aliqua, non dico ingenio (id enim ſuperbum) ſed ſtudio, ſed labore, & reuerentia poſterûm. Pergamus modò itinere inſtituto: quod vt paucos in lucem famámque prouexit, ita multos è tenebris & ſilentio protulit. Vale.

C. PLIN. FALCONI SVO S. 15

REfugeram in Tuſcos, vt omnia ad arbitrium meum facerem: at hoc ne in Tuſcis quidem: tam multis vndique ruſticorum libellis & tam querulis inquietor, quos aliquanto magis inuitus quàm meos lego. nam & meos inuitus: retracto enim actiunculas quaſdam, quod poſt intercapedinem temporis & frigidum & acerbum eſt: ratiocinationes, quaſi abſente me negliguntur. Interdum tamen equum conſcendo, & patrem familiæ hactenus ago, quòd aliquam partem prædiorum, ſed pro geſtatione, percurro. Tu conſuetudinem ſerua, nobíſque ſic ruſticis vrbana acta perſcribe. Vale.

C. PLIN. MAMILIANO SVO S. 16

SVmmam te voluptatem percepiſſe ex iſto copioſiſſimo genere venandi non miror, cùm hiſtoricorum more ſcribas numerum iniri nõ potuiſſe. Nobis venari nec vacat, nec libet: non vacat, quia vindemiæ in manibus: non libet, quia exiguæ. Deuehemus tamen pro nouo muſto nouos verſiculos tibi, quos iucundiſſimè exigenti, vt primùm videbuntur deferbuiſſe, mittemus. Vale.

C. PLIN. GENITORI SVO S. 17

ACcepi tuas literas, quibus quereris tædio tibi fuiſſe quanuis lautiſſimam cœnam, quia ſcurræ, cinædi, moriones menſis inerrabant. Vis tu remittere aliquid ex rugis? equidem nihil tale habeo, habẽtes tamen fero. cur ergo non habeo? quia nequaquam me vt inexpectatum feſtiuúmve delectat, ſiquid molle à cinædo, petulans à ſcurra, ſtultum à morione profertur. non rationem, ſed ſtomachum tibi narro. Atque adeo quàm multos putas eſſe, quos æquè ea quibus ego & tu capimur & ducimur, partim vt inepta, partim vt moleſtiſſima offendant? quàm multi, quũ lector aut lyriſtes aut comœdus inductus eſt, calceos poſcunt, aut non minore cum tædio recubant, quàm tu iſta (ſic enim appellas) prodigia perpeſſus es? Demus igitur alienis

oblectationibus veniam, vt nostris impetremus. Vale.

C. PLIN. SABINO SVO S. 18

QVa intentione, quo studio, qua denique memoria legeris libellos meos, epistola tua ostendit. ipse igitur exhibes negotium tibi, qui elicis & inuitas, vt quamplurima cõmunicare tecum velim. faciam, per partes tamen, & quasi digesta, ne istam ipsam memoriam, cui gratias ago, assiduitate & copia turbem, oneratámq; & quasi oppressam cogam pluribus singula, posterioribus priora dimittere. Vale.

C. PLIN. RVFONI SVO S. 19

SIgnificas legisse te in quadam epistola mea, iussisse Virginium Rufum inscribi sepulcro suo,

Hic situs est Rufus: pulso qui vindice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Reprehendis quòd iusserit, addis etiam, meliùs rectiúsque Frontinum, quòd vetuerit omnino monimentum sibi fieri: méque ad extremum, quid de vtroque sentiam, cõsulis. Vtrunque dilexi. miratus sum magis quem tu reprehendis, mirarísque: atque ita miratus vt non putarem satis vnquam laudari posse, cuius nunc mihi subeunda defensio est. Omnes ego qui magnum aliquod memorandúmque fecerunt, non modô venia, verumetiam laude

dignissimos iudico, si immortalitatem, quam meruêre, sectântur, victurísque nominis famã supremis etiam titulis prorogare nituntur. Nec facile quenquam nisi Virginium inuenio, cuius tanta in prædicando verecundia, quanta gloria ex facto. Ipse sum testis, familiariter ab eo dilectus probatúsque, semel omnino me audiente prouectum, vt de rebus suis hoc vnum referret, ita secum aliquando Cluuium loquutum, Scis Virgini quæ historiæ fides debeatur: proinde siquid in historiis meis legis aliter ac velles, rogo ignoscas. Ad hoc sic illum, Cluuíne tu ignoras, ideo me fecisse quod feci vt esset liberum vobis scribere, quæ libuisset? Agedum, hunc ipsum Frontinum in hoc ipso in quo tibi parcior videtur & pressior, comparemus. Vetuit extrui monimentum: sed quibus verbis? Impensa monimenti superuacua est, memoria nostri durabit, si vitam meruimus. An restrictiùs arbitraris per orbem terrarum legẽdum, dare duraturam memoriam suam, quàm vno in loco duobus versiculis signare quod feceris? Quãquam non habeo propositum illum reprehẽdendi, sed hunc tuendi, cuiúsque potest apud te iustior esse defensio, quàm ex collatione eius quem prætulisti. Meò quidem iudicio neuter culpandus, quorum vterque ad gloriã pari cupiditate, diuerso itinere contendit: alter, dum expetit debitos titulos: alter, dum mauult videri contempsisse. Vale.

C. PLIN. VENATORI
SVO S. 20

TVA verò epiſtola tanto mihi iucundior fuit, quanto lõgior erat, præſertim cùm de libellis meis tota loqueretur: quos tibi voluptati eſſe non miror, cùm omnia noſtra perinde ac nos ames. Ipſe cùm maximè vindemias graciles quidem, vberiores tamen quàm expectaueram, colligo, ſi colligere eſt, nonnunquam decerpere vuam, torculum inuiſere, guſtare de lacu muſtum, obrepere vrbanis qui nunc ruſticis præſunt, méque notariis & lectoribus reliquerunt. Vale.

C. PLIN. SABINIANO
SVO S. 21

LIbertus tuus, cui ſuccenſere te dixeras, venit ad me, aduolutúſque pedibus meis tanquam tuis hæſit. fleuit multum, multúmque rogauit, multum etiam tacuit: in ſumma, fecit mihi fidem pœnitentię. verè credo emẽdatum, quia deliquiſſe ſe ſentit. Iraſceris, ſcio: & iraſceris meritò, id quoque ſcio: ſed tunc præcipua manſuetudinis laus, quum iræ cauſa iuſtiſſima eſt. Amaſti hominem, & ſpero amabis: interim ſufficit vt exorari te ſinas. Licebit rurſus iraſci, ſi meruerit: quod exoratus excuſatiùs facies. Remitte aliquid adoleſcẽtiæ ipſius, remitte lacrymis, remitte indulgẽtiæ tuæ: ne torſeris illum, ne torſeris etiam te. torqueris enim quum tam lenis iraſceris. Vereor ne videar non rogare, ſed cogere, ſi

precibus eius meas iunxero. Iungam tamen tanto pleniùs & effusiùs, quanto ipsum acriùs seueriùsque corripui, districtè minatus nunquam me postea rogaturum. Hoc illi, quem terreri oportebat, tibi non idem. nam fortasse iterum rogabo, iterum impetrabo: sit modò tale, vt rogare me, vt præstare te deceat. Vale.

C. PLIN. SEVERO SVO S. 22

MAgna me solicitudine affecit Passieni Pauli valetudo, & quidem plurimis iustissimísque de causis. Vir est optimus, honestissimus, nostri amantissimus. præterea in literis veteres æmulatur, exprimit, reddit: Propertium in primis, à quo genus ducit, vera soboles, eóque simillima illi, in quo ille præcipuus. Si elegos eius in manum sumpseris, leges opus tersum, molle, iucundum, & planè in Propertij domo scriptum. Nuper ad lyrica deflexit: in quibus ita Horatium, vt in illis illum alterum effingi putes: siquid in studiis cognatio valet, & huius propinquum: magna varietas, magna mobilitas. Amat vt qui verissimè, dolet vt qui impatientissimè, laudat vt qui benignissimè, ludit vt qui facetissimè: omnia denique tanquam singula absoluit. Pro hoc ego amico, pro hoc ingenio, non minùs æger animo quàm corpore ille: tandem illum; tandem me recepi. Gratulare mihi, gratulare etiam literis ipsis, quæ ex periculo eius tantum discrimen adierunt, quantum ex salute, gloriæ consequentur. Vale.

C. PLIN. MAXIMO SVO S. 23

FRequenter agenti mihi euenit vt centũuiris, quum diu se intra iudicum autoritatem grauitatémque tenuissent, omnes repente quasi victi coactique cõsurgerent laudaréntque. Frequenter è senatu famam, qualẽ maximè optaueram, retuli: nunquam tamen maiorem cepi voluptatem, quàm nuper ex sermone Cornelij Taciti. Narrabat sedisse secum Circensibus proximis equitem Rom. hunc post varios eruditósque sermones requisisse, Italicus es, an prouincialis? se respondisse, Nosti me, & quidem ex studiis. Ad hoc illum, Tacitus es, an Plinius? Exprimere non possum quam sit iucũdum mihi, quòd nomina nostra, quasi literarum propria, nõ hominum, literis reddũtur: quòd vterque nostrûm his etiã ex studiis notus, quibus aliter ignotus est. Accidit aliud ante pauculos dies simile. Recũbebat mecũ vir egregius, Fabius Rufinus, super eum municeps ipsius, qui illo die primùm in vrbem venerat: cui Rufinus demonstrans me, Vides hunc? multa deinde de studiis nostris. Et ille, Plinius est, inquit. Verũ fatebor, capio magnum laboris mei fructum. An si Demosthenes iure lętatus est, quòd illũ anus Attica ita demonstrauit, Οὗτός ἐστι Δημοσθένης, ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? Ego verò & gaudeo, & gaudere me dico. neque enim vereor ne iactantior videar, quũ de me aliorum iudicium nõ meũ profero: præsertim apud te, qui nec illius inuides laudibus, & faues nostris. Vale.

C. PLIN. SABINIANO SVO S. 24

BEne fecisti quòd libertum aliquando tibi charum reducentibus epistolis meis in domum, in animum recepisti. Iuuabit hoc te; me certè iuuat: primùm, quòd te talem video vt in ira regi possis: deinde, quòd tantum mihi tribuis, vt vel autoritati meæ parceas, vel precibus indulgeas. Igitur & laudo & gratias ago. simul in posterum moneo vt te erroribus tuorum, etsi non fuerit qui deprecetur, placabilem præstes. Vale.

C. PLIN. MAMILIANO SVO S. 25

QVereris de turba castrensium negotiorum, &, tanquam summo otio perfruare, lusus & ineptias nostras legis, amas, flagitas, méque ad similia condenda non mediocriter incitas. Incipio enim ex hoc genere studiorum non solùm oblectationem, verũ etiam gloriam petere post iudicium tuũ, viri grauissimi, eruditissimi, ac super ista verissimi. Nunc me rerum actus modicè, sed tamen distringit: quo finito aliquid earundem camœnarum in istum benignissimum sinum mittam. Tu passerculis & columbulis nostris inter aquilas vestras dabis pennas, si tamen & sibi & tibi placebunt: si tantùm sibi, continẽdos cauea nidóve curabis. Vale.

C. PLIN. LVPERCO SVO S. 26

DIxi de quodam oratore ſeculi noſtri, recto quidem & ſano, ſed parum grandi & ornato, vt opinor, aptè: nihil peccat, niſi quòd nihil peccat. debet enim orator erigi, attolli, interdum etiam efferueſcere, efferri, ac ſæpe accedere ad præceps. nam plerunque altis & excelſis adiacēt abrupta: tutiùs per plana, ſed humilius & depreſſius iter: frequētior currentibus quàm reptantibus lapſus. ſed his non labentibus nulla laus, illis nonnulla laus etiamſi labantur. Nam vt quaſdem artes, ita eloquentiam nihil magis quàm ancipitia cōmendant. Vides, qui per funem in ſumma nituntur, quantos ſoleant excitare clamores, quum iam iámque caſuri videantur. ſunt enim maximè mirabilia quæ maximè inſperata, maximè periculoſa, vtque Græci magis exprimunt, παράδοξα, quæ grandi ſunt ſubiecta diſcrimini. ideo nequaquam par gubernatoris eſt virtus, quum placido & quum turbato mari vehitur: tunc admirante nullo illaudatus, inglorius ſubit portum: at quum ſtridunt funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus & diis maris proximus. Cur hæc? quia viſus es mihi in ſcriptis meis annotaſſe quædam vt tumida, quæ ego ſublimia: aut improba, quæ ego audentia: aut nimia, quæ ego plena arbitrabar. Plurimum autem refert, reprehendenda annotes, an inſignia. Omnis enim aduertit quod eminet & extat, ſed acri intentione diiudicandum eſt,

immo-

immodicum sit an grande, altum an enorme. atque vt Homerum potissimùm attingam, quem tandem alterutram in partem potest fugere.

--βράχε δ' εὐρεῖα χθὼν,
Ἀμφὶ δ' ἐσάλπιγξε μέγας οὐρανός.

& totum illud,

Ὡς δ' ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄμβριμον ὕδωρ.

Sed opus est examine & libra, incredibilia sint hæc & immania, an magnifica & cœlestia. Nec nunc ego me his similia aut dixisse aut posse dicere puto. non ita insanio: sed hoc intelligi volo, laxandos esse eloquentię frenos, nec angustissimo gyro ingeniorum impetus refringendos. Atenim alia conditio oratorum, alia poëtarũ. quasi verò M. Tullius minùs audeat. quanquã hunc omitto. neque enim ambigi puto. Sed Demosthenes, ipse ille norma oratoris & regula, num se cohibet & cõprimit quum dicit illa notissima? ἄνθρωποι μιαροὶ, καὶ κόλακες, καὶ ἀλάστορες. Et rursus, οὐ γὰρ λίθοις ἐτείχισα τὴν πόλιν, οὐδὲ πλίνθοις ἐγώ. Et statim, οὐκ ἐκ μὲν θαλάττης τὴν Εὔβοιαν προβαλόμενος ἐγὼ πρὸ τῆς Ἀττικῆς, ὅσον ἦν ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ δυνατόν. Et alibi, ἐγὼ δὲ οἶμαι μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, νὴ τοὺς θεοὺς ἐκεῖνον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων. Iã quid audẽtius illo pulcherrimo ac lõgissimo excessu? νόσημα γάρ. Quid hæc? breuiora superioribus, sed audacia paria, τότε ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ, καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν. Ex ca-

dem nota, Ὅταν δὲ ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τις, ὥσπερ οὗτος, ἰσχύσῃ, ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσε. Simile his, ἀποσχοινισμένος ἅπασι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις γνώσει τριῶν δικαστηρίων. Et ibidem, σὺ τὸν εἰς ταῦτα ἔλεον προὔδωκας Ἀριστογεῖτον, μᾶλλον δὲ ἀνῄρηκας ὅλως, μὴ δὴ πρὸς οὓς αὐτὸς ἐάλωκας λιμένας, καὶ πρὸς σκολόπων ἐνέπλησας, πρὸς τούτους ὁρμίζου. Et dixerat, δέδοικα μὴ δόξητέ τισι τὸν ἀεὶ βουλόμενον εἶναι πονηρὸν τῶν ἐν τῇ πόλει παιδοτριβεῖν. ἀσθενὴς μὲν γάρ ἐστι πᾶς ὁ πονηρὸς, καθ' ἑαυτόν. Et deinceps, τούτῳ δ' οὐδένα ὁρῶ τῶν τόπων τούτων βάσιμον ὄντα, ἀλλὰ πάντα ἀπόκρημνα, φάραγγας, βάραθρα. Nec satis, οὐδὲ γὰρ τοὺς προγόνους ὑπολαμβάνω τὰ δικαστήρια ταῦτα οἰκοδομῆσαι, ἵνα τοὺς τοιούτους ἐν αὐτοῖς μοσχεύητε, ἀλλὰ τοὐναντίον, ἵν' ἀνείργητε, καὶ κολάζητε, καὶ μηδεὶς ζηλοῖ, μηδ' ἐπιθυμῇ κακίας. Adhuc, εἰ δὲ κάπηλός ἐστι πονηρίας, καὶ μεταβολεύς. Et mille talia, vt præteream quæ ab Æschine θαύματα, non ῥήματα, vocantur in contrarium incidi dicens, hunc quoque ob ista culpari. Sed vide quanto maior sit qui reprehenditur, ipso reprehendente: & maior ob hæc quoque. in aliis enim vis, in his granditas eius elucet. Num autem Æschines ipse iis quæ in Demosthene carpebat abstinuit? χρὴ γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ αὐτὸ φθέγγεσθαι τὸν ῥήτορα καὶ τὸν νόμον. ὅταν δ' ἑτέραν μὲν φωνὴν ἀφιῇ ὁ νόμος, ἑτέραν δὲ ὁ ῥήτωρ, τῷ τοῦ νόμου δικαίῳ χρὴ διδόναι τὴν ψῆφον οὐ τῇ τοῦ λέγοντος ἀναισχυντίᾳ. Alio loco, ἔπειτα ἀναφαί-

νεῖται περὶ πάντων ἐν τῷ ψηφίσματι. πρὸς τῷ κλέμματι γράψας τὰ πέντε τάλαντα τοὺς πρέσβεις, ἀξιῶν τοὺς Ὠρείτας μὴ ἡμῖν, ἀλλὰ Καλλίᾳ διδόναι. ὅτι δὲ ἀληθῆ λέγω, ἀφελὼν τὸν πομπὸν, καὶ τὰς τριήρεις, καὶ τὴν ἀλαζονείαν ἐκ τοῦ ψηφίσματος, ἀνάγνωθι. Iterum alio, καὶ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν εἰς τοὺς τοῦ παρανόμου λόγους περιΐστασθαι. Quod adeò probauit vt repetat, ἀλλὰ ἐγκαθήμενοι καὶ ἐνεδρεύοντες ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ εἰσελαύνετε αὐτὸν εἰς τοὺς τοῦ παρανόμου λόγους, καὶ τὰς ἐκτροπὰς αὐτοῦ τῶν λόγων ἐπιτηρεῖτε. An illa custoditiùs pressiúsque? σὺ δὲ ἑλκοποιεῖς, ἢ μᾶλλόν σοι μέλει τῶν αὐθημέρων λόγων, ἢ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως. Altiùs illa, οὐκ ἀποπέμψηθε τὸν ἄνθρωπον ὡς κοινὴν τῶν Ἑλλήνων συμφοράν, ἢ συλλαβόντες ὡς λῃστὴν τῶν πραγμάτων διὰ τῆς πολιτείας πλέοντα τιμωρήσασθε, & alia. Expecto vt quædam ex hac epistola gubernacula gemunt, & diis maris proximus, iisdem notis quibus ea de quibus scribo, confodias. Intelligo enim me, dum veniam prioribus peto in illa ipsa quæ annotaueras incidisse. Sed confodias licet, dummodò iam nunc destines diem, quo & de illis & de his coràm exigere possimus. Aut enim tu me timidum, aut ego te temerarium faciam. Vale.

C. PLIN. LATERANO SVO S. 27

QVanta potestas, quanta dignitas, quāta maiestas, quantum denique numen

sit historię. cùm frequenter aliâs, tum proximè sensi. Recitauerat quidam verissimum librum, partemque eius in alium diem reseruauerat: ecce amici cuiusdam orantes obsecrantésque ne reliqua recitaret. Tantus audiendi quæ fecerint pudor, quibus nullus faciendi quæ audire erubescunt. Et ille quidem præstitit quod rogabatur: sinebat fides. liber tamen, vt factum manet, manebit, legetúrque semper, tanto magis, quia non statim. Incitātur enim homines ad agnoscenda quæ differuntur. Vale.

C. PLIN. ROMANO SVO S. 28

POst longum tempus epistolas tuas, sed tres pariter recepi, omnes elegantissimas, amātissimas, & quales à te venire, præsertim desideratas, oportebat: quarum vna iniungis mihi iucundissimum ministerium, vt ad Plotinam, sanctissimam fœminam, literæ tuæ perferantur, perferentur: eadem commendas Popilium Artemisium: statim præstiti quod petebat. Indicas etiam, modicas te vindemias collegisse. communis hæc mihi tecum, quanquam in diuersissima parte terrarum, querela est. Altera epistola nuntias multa te nunc dictare, nunc scribere, quibus non tibi repræsentes. Gratias ago: agerem magis, si me illa ipsa quæ scribis aut dictas, legere voluisses. & erat equum vt te mea, ita me tua scripta cognoscere, etiāsi ad aliū quàm ad me pertinerent. Polliceris in fine, quū certiùs de vitæ nostræ ordinatione aliquid audieris, futurum te fugitiuum rei familiaris, statím-

que ad nos euolaturum, qui iam tibi compedes nectimus, quas perfringere nullo modo possis. Tertia epistola cõtinebat, esse tibi redditam orationem pro Clario, eámque visam vberiorem quàm dicente me, audiente te, fuerit. Est vberior. multa enim postea inserui. Adiicis, alias te literas curiosius scriptas misisse: an acceperim quæris, non accepi, & accipere gestio. Proinde prima quaque occasione mitte, appositis quidem vsuris, quas ego (non parciùs possum) centesimas computabo. Vale

---

C. PLIN. RVSTICO SVO S. 29

VT satius est vnum aliquid insigniter facere, quàm plurima mediocriter; ita plurima mediocriter, si non possis vnum aliquid insigniter. quod intuens ego, variis me studiorum generibus, nulli satis confisus, experior. Proinde quum hoc vel illud legis, ita singulis veniam, vt non singulis; dabis. An cæteris artibus excusatio in numero, literis durior lex, in quibus difficilior effectus est? Quid autem ego de venia quasi ingratus? nam si ea facilitate hac proxima acceperis, qua priora, laus potius speranda quàm venia obsecranda est: mihi tamen venia sufficit. Vale.

C. PLIN. GEMINIO SVO S. 30

LAudas mihi, & frequenter præsens, & nunc per epistolas, Nonium tuum, quòd

ſit liberalis in quoſdam : & ipſe laudo, ſi tamen non in nos ſolos. Volo enim eum qui ſit verè liberalis, tribuere patriæ, propinquis, affinibus amicis, ſed amicis dico pauperibus: non vt iſti qui iis potiſſimùm donant qui donare maximè poſſunt. Hos ego viſcatis hamatíſque muneribus, non ſua promere puto, ſed aliena corripere. Sunt ingenio ſimili, qui quod huic donant, auferunt illi, famámque liberalitatis auaritia petunt. Primum eſt autē, ſuo eſſe contentum : deinde, quos præcipuè ſcias indigere, ſuſtentantē fouentémque, orbe quodam ſocietatis ambire. Quæ cuncta ſi facit iſte, vſquequaque laudandus eſt: ſi vnum aliquod, minùs quidem, laudandus tamen. Tam rarum eſt etiam imperfectæ liberalitatis exemplar : ea inuaſit homines habendi cupido, vt poſſideri magis quàm poſſidere videantur. Vale.

PLINIVS SARDO SVO S. 31

POſtquam à te receſſi, non minùs tecum quàm cũ apud te fui. Legi enim librum tuum, identidem repetens ea maximè (non enim mentiar) quæ de me ſcripſiſti. in quibus quidem percopioſus fuiſti. quàm multa, quàm varia, quàm non eadem de eodem, nec tamen diuerſa dixiſti? Laudem pariter & gratias agam? neutrum ſatis poſſum, &, ſi poſſem, timerem ne arrogans eſſet, ob ea laudare ob quæ gratias agerem. Vnum illud addam; omnia mihi tanto laudabiliora viſa, quanto iu-

cundiora:& tanto iucundiora, quanto laudabiliora erant. Vale.

C. PLIN. TITIANO SVO S. 32

QVid agis: quid acturus es? ipse vitam iucundissimam, id est otiosissimam, viuo. Quo fit vt scribere longiores epistolas nolim, velim legere: illud, tanquam delicatus: hoc, tanquam otiosus. Nihil est enim aut pigrius delicatis, aut curiosius otiosis. Vale.

C. PLIN. CANINIO SVO S. 33

INcidi in materiam veram, sed simillimam fictæ, dignámque isto lætissimo, altissimo, planéque poëtico ingenio. Incidi autem, dum super cœnam varia miracula hinc inde referuntur. magna autoris fides. tametsi quid poëtæ cũ fide? is tamẽ autor, cui bene vel historiã scripturus credidisses. Est in Africa Hipponensis colonia, mari proxima: adiacet ei nauigabile stagnum, ex quo in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alterna, prout æstus aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hîc ætas piscandi, nauigandi, atque etiam natandi studio tenetur: maximè puerorum, quos otium ludúsque solicitat. his gloria & virtus altissimè prouehi: victor ille, qui longissimè vt littus, ita simul nantes reliquit. Hoc certamine puer quidam audentior cæteris in vlteriora tendebat,

delphinus occurrit, & nunc præcedere puerum, nunc sequi, nunc circuire: postremò subire, deponere, iterum subire, trepidantémque perferre, primùm in altum: mox flectit ad litus, redditque terræ & æqualibus. Serpit per coloniam fama: concurrere omnes, ipsum puerum tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire narrare. Postero die obsident littus, prospectant mare, & siquid est mari simile, natant pueri: inter hos ille, sed cautiùs. Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum venit. fugit ille cum cæteris. Delphinus quasi inuitet, reuocet, exilit, mergitur, varióśque orbes implicitat expedítque. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari subiret timendi pudor: accedunt, & alludunt, & appellant: tangunt etiam, pertrectántque præbentem. Crescit audacia experimento. Maximè puer qui primus expertus est, adnatat, natanti insilit tergo: fertur refertúrque, agnosci se, amari putat, amat ipse: neuter timet, neuter timetur. Huius fiducia, mansuetudo illius augetur: necnon alij pueri dextra læuáque simul eunt hortantes monentésque. Ibat vnà (id quoque mirum) delphinus alius, tantùm spectator & comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur: sed alterum illum ducebat, reducebat, vt puerum cæteri pueri. Incredibile (tam verum tamen quàm priora) delphinum gestatorem collusorémque puerorum in terram quoque extrahi solitum, arenísque siccatum, vbi incaluisset, in mare reuolui. Constat Octauium Auitum, legatum proconsulis, in littus educto religione parua superfudisse vnguentum:

cuius illum nouitatem odorémque in altum refugiſſe:nec niſi poſt multos dies viſum languidum & mœſtum, mox redditis viribus priorem laſciuiam & ſolita miniſteria repetiſſe Confluebant ad ſpectaculum omnes magiſtratus, quorum aduentu & mora, modica reſpub. nouis ſumptibus atterebatur. Poſtremò locus ipſe quietem ſuàm ſecretúmque perdebat. Placuit occultè interfici, ad quod coibatur. Hæc tu qua miſeratione, qua copia deflebis, ornabis, attolles? quanquam non eſt opus affingas aliquid aut adſtruas: ſufficit ne ea quę ſunt vera minuantur. Vale.

C. PLIN. TRANQVILLO SVO S. 34

EXplica æſtum meum. audio me malè legere dũtaxat verſus: orationes enim commodiùs, ſed tanto minùs verſus. Cogito ergo, recitaturus familiaribus amicis, experiri libertũ meum. Hoc quoque familiare, quòd elegi non bene, ſed melius ſcio lecturum: ſi tamen non fuerit perturbatus. eſt enim tam nouus lector, quàm ego poëta. Ipſe neſcio quid illo legente interim faciam, ſedeam defixus & mutus, & ſimilis otioſo: an (vt quidam) quæ pronuntiabit, murmure, oculis, manu proſequar. Sed puto me non minus malè ſaltare quàm legere. Iterum dicam; explica æſtum meum, veréque reſcribe num ſit melius, peſſimè legere quàm iſta vel non facere, vel facere. Vale.

C. PLINIVS APPIO SVO S. 35

Librum quē misisti, recepi,& gratias ago: sum tamen hoc tempore occupatissimus. Ideo nondum eum legi, cùm alioqui validissimè cupiam: sed eam reuerentiam cùm literis ipsis, tum scriptis tuis debeo, vt sumere illa, nisi vacuo animo, irreligiosum putem. Diligentiam tuam in retractandis operibus valdè probo. est tamen aliquis modus, primùm, quòd nimia cura deterit magis quàm emendat deinde, quòd nos à recentioribus reuocat, simúlque nec absoluit priora, & inchoare posteriora patitur. Vale.

C. PLIN. FVSCO SVO S. 36

QVæris quemadmodum in Tuscis diem æstate disponam: euigilo quum libuit, plerunque circa horam primam, sæpe ante, tardius rarò: clausæ fenestræ manent. Mirè enim silentio & tenebris animus alitur. ab iis quæ auocant abductus, & liber, & mihi relictus, non oculos animo, sed animum oculis sequor, qui eadem quæ mens vident, quoties non vident alia. Cogito siquid in manibus, cogito ad verbum scribenti emendantíque similis: nunc pauciora, nunc plura, vt vel difficilè vel facilè componi tenerívе potuerunt. Notarium voco, & die admisso, quæ formaueram dicto, abit, rursúsque reuocatur, rur-

fúſque remittitur. Vbi hora quarta vel quinta (neque enim certum dimēſúmque tempus) vt dies ſuaſit, in xyſtum me vel cryptoporticum confero, reliqua meditor & dicto, vehiculum aſcendo. Ibi quoque idem quod ambulans aut iacens. durat intentio, mutatione ipſa refecta, paulùm redormio, dein ambulo, mox orationem Græcam Latinámve clarè & intentè, non tam vocis cauſa quàm ſtomachi lego: pariter tamen & illa firmatur. Iterum ambulo, vngor, exerceor, lauor. Cœnanti mihi ſic cum vxore vel paucis, liber legitur: poſt cœnam, comœdi aut lyriſtes: mox cum mēis ambulo, quorum numero ſunt eruditi. Ita variis ſermonibus veſpera extenditur, & quanquam longiſſimus dies, citò conditur. Nonnunquam ex hoc ordine aliqua mutantur. nam ſi diu iacui, vel ambulaui, poſt ſomnum demum lectionémque, non vehiculo, ſed (quod breuius, quia velocius) equo geſtor. Interueniunt amici ex proximis oppidis, partémque diei ad ſe trahunt, interdúmque laſſato mihi, opportuna interpellatione ſubueniunt. Venor aliquando: ſed non ſine pugillaribus, vt quanuis nihil ceperim, nonnihil referam. Datur & colonis (vt videtur ipſis) non ſatis temporis, quorum mihi agreſtes querelæ literas noſtras & iſtæc vrbana opera commendant. Vale.

C. PLIN. PAVLINO SVO S. 37

NEc tuæ naturæ eſt trāſlatitia hæc & quaſi publica officia à familiaribus amicis

contra ipsorum commodum exigere: & ego te constantius amo quàm vt verear ne aliter ac velim accipias, nisi te calendis statim consulem videro: præsertim cùm me necessitas locandorum prædiorum plures annos ordinatura detineat, in qua mihi noua consilia sumenda sunt. Nam priore lustro, quanquam post magnas remissiones, reliqua creuerunt: inde plerisque nulla iam cura minuendi æris alieni, quod desperant posse persolui, rapiunt etiam, consumúntque quod natum est, vt qui iam putent se non sibi placere. Occurrendum ergo augescentibus vitiis, & medendum est. medendi vna ratio, si non nummo, sed partibus locem, ac deinde ex meis aliquos exactóres operi, custodes fructibus ponam: & alioqui nullum iustius genus reditus, quàm quod terra, cœlum, annus refert. Ad hoc, magnam fidem, acres oculos, numerosas manus poscit: experiendum tamen, &, quasi in veteri morbo, quælibet mutationis auxilia tentāda sunt. Vides quàm non delicata me causa obire primum consulatus tui diem non sinat: quem tamen hîc præsens votis, gaudio, gratulatione celebrabo. Vale.

C. PLINIVS SATVRNINO SVO S. 38

EGo verò Rufum nostrum laudo: non quia tu vt ita facerem petisti, sed quia est ille dignissimus. Legi enim librum omnibus numeris absolutum, cui multum apud me gratiæ amor ipsius adiecit. Iudicaui tamen: neque enim soli iudicant qui malignè legunt. Vale.

C. PLIN. MVSTIO SVO S. 39

ARuſpicum monitus reficienda eſt mihi ædes Cereris in prædiis in melius & in maius. Vetus ſanè & anguſta, cùm ſit alioqui ſtato die frequētiſſima. Nam idibus Septembribus magnus è regione tota coit populus, multæ res aguntur, multa vota ſuſcipiuntur, multa redduntur: ſed nullum in proximo ſuffugium aut imbris aut ſolis. Videor ergo munificè ſimul religioſéque facturus, ſi ædem quam pulcherrimā extruxero, addidero porticus: illam ad vſum deæ; has, ad hominum. Velim ergo emas quatuor marmoreas columnas, cuius tibi videbitur generis: emas marmora, quibus ſolum, quibus parietes excolantur. Erit etiam vel faciendum, vel emendum ipſius deæ ſignū; quia antiquum illud è ligno quibuſdam ſuis partibus vetuſtate obtruncatum eſt. Quantum ad porticus, nihil interim occurrit quod videatur iſtinc eſſe repetendum: niſi tamen vt formam ſecundùm rationem loci ſcribas: neque enim poſſunt circundari templo. nam ſolum templi hinc flumine & abrumptiſſimis ripis, hinc via cingitur. Eſt vltra viam latiſſimum pratum, in quo ſatis aptè contra templum ipſum porticus explicabuntur: niſi quid tu melius inueneris, qui ſoles locorum difficultates arte ſuperare. Vale.

C. PLIN. FVSCO SVO. S. 40

SCribis, pergratas tibi fuisse literas meas, quibus cognouisti, quemadmodum in Tuscis otium æstatis exigerem: requiris quid ex hoc in Laurentino hyeme permutem. Nihil, nisi quòd meridianus somnus eximitur, multúmque de nocte vel ante vel post diem sumitur: &, si agendi necessitas instat, quę frequens hyeme, non iam comœdo vel lyristæ post cœnam locus: sed illa quæ dictaui, identidem retractantur, ac simul memoriæ frequenti emendatione proficitur. Habes ęstate, hyeme consuetudinem: addas hac licet autumnum, quę inter hyemem æstatémque media, vt nihil de die perdunt, ita de nocte paruulum acquirunt.

Vale.

C. PLINII CÆCILII SECVNDI EPIstolarum

LIBER DECIMVS.

Ad Traianvm Imp.

C. PLIN. TRAIANO IMP. S.

1

TVA quidē pietas, Imperator sanctissime, optauerat vt quàm tardissimè succederes patri: sed dij immortales festinauerunt, virtutes tuas ad gubernacula reip. quam susceperas, admouere. Precor ergo vt tibi & per te generi humano prospera omnia, id est digna sęculo tuo, contingant. Fortem te & hilarem, Imperator optime, & priuatim & publicè opto.

C. PL. TRAIAN. IMP. S.

2

EXprimere, domine, verbis non possum quantum mihi gaudium attuleris, quòd me dignum putasti iure trium liberorum. quamuis enim Iulij Seruiani, optimi viri, tuíque amātissimi, precibus indulseris: tamen

etiam ex reſcripto intelligo, libentiùs hoc ei te præſtitiſſe, quia pro me rogabar. Videor ergo ſummam voti mei cõſequutus, cùm inter initia feliciſſimi principatus tui, probaueris me ad peculiarem indulgẽtiam tuam pertinere: eoque magis liberos concupiſco, quos habere etiam illo triſtiſſimo ſęculo volui, ſicut potes duobus matrimoniis meis credere, ſed dij meliùs, qui omnia integra bonitati tuę reſeruauerunt. Malui hoc potius tempore me patrem fieri, quo futurus eſſem & ſecurus & felix.

C. PLIN. TR. IMP. S. 3

IN dulgentia tua, Imperator optime, quã pleniſſimam experior, hortatur me vt audeam, tibi etiam pro amicis obligari, inter quos ſibi vel præcipuum locum vindicat Voconi9 Roman9, ab ineunte ætate condiſcipulus & contubernalis meus. Quibus ex cauſis & à diuo patre tuo petierã vt illum in ampliſſimum ordinem promoueret: ſed hoc votum meum bonitati tuæ reſeruatum eſt; quia mater Romani liberalitatẽ ſeſtertij quadringenties, quod conferre ſe filio codicillis ad patrem tuum ſcriptis, profeſſa fuerat, nondum ſatis legitimè peregerat, quod poſtea fecit, admonita à nobis, nam & fundos emancipauit, & cætera quæ in emancipatione implenda ſolent exigi, conſummauit. Cùm ſit ergo finitum quod ſpes noſtras morabatur, non ſine magna fiducia ſubſigno. Augeo fidem pro moribus Romani mei, quos & liberalia ſtudia exornant, & eximia pietas, quæ

hanc ipſam matris liberalitatem, & ſtatim patris hæreditatem, & adoptionem à vitrico meruit. Auget hæc & natalium & paternarũ facultatum ſplendor, quibus ſingulis multum commendationis acceſſurum etiam ex meis precibus indulgentiæ tuæ credo. Rogo ergo, domine, vt me exoptatiſſimæ mihi gratulationis compotem facias, & honeſtis (vt ſpero) affectibus meis præſtes, vt non in me tantùm, verùm & in amico gloriari iudiciis tuis poſſim.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 4

PRoximo anno, domine, grauiſſima valetudine vſque ad periculum vitæ vexatus, iatralipten aſſumpſi: cuius ſolicitudini & ſtudio, tuæ tantùm indulgentiæ beneficio, referre gratiam parem poſſum. Quare rogo des ei ciuitatem Romanam. eſt enim peregrinæ cõditionis, manumiſſus à peregrina. Vocatur ipſe Harpocras: patronam habuit Thermuthin Theonis, quæ iampridem defuncta eſt. Item rogo des ius quiritium libertis Antoniæ Maximillæ, ornatiſſimæ fœminæ, Heliæ & Antoniæ Harmeridi. Quod à te, petente patrona, peto.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 5

EXprimere, domine, verbis non poſſum, quãto me gaudio affecerint epiſtolæ tuæ, ex quibus cognoui te Harpocrati iatraliptæ

meo etiam Alexandrinam ciuitatem tribuisse, quanuis secundùm institutionem principum, non temerè eam dare proposuisses. Esse autem Harpocran νόμον μεμφιτικὸν indico tibi. Rogo ergo, indulgentissime Imp. vt mihi ad Pompeium Plantam, præfectum Ægypti, amicum tuum, sic vt promisisti, epistolam mittas. Obuiam iturus, quò maturiùs, domine exoptatissime, aduentus tui gaudio frui possim, rogo permittas mihi, quamlongissimè occurrere tibi.

C. PLIN. TR. IMP. S. 6

PRoxima infirmitas mea, domine, obligauit me Posthumio Marino medico: cui parem gratiam referre beneficio tuo possum, si precibus meis ex consuetudine bonitatis tuæ indulseris. Rogo ergo vt propinquis eius des ciuitatem, Chrysippo Mithridatis, vxoríque Chrysippi Stratonicæ Epigoni, item liberis eiusdem Chrysippi, Epigono & Mithridati, ita vt sint in patris potestate, vtq́ue iis in libertos seruetur ius patronorum. Item rogo indulgeas ius Quiritum L. Satrio Abascantio, & P. Cæsio Phosphoro, & Panchariæ Soteridi. Quod à te, volentibus patronis, peto.

C. PLIN. TR. IMP. S. 7

SCio, domine, memoriæ tuæ, quæ est beneficiendi tenacissima, preces nostras inhæ-

rere:quia tamen in hoc quoque sæpe indulsisti,admoneo simul & impensè rogo vt Actiũ Suram prætura exornare digneris,cùm locus vacet, ad quam spem alioqui quietissimam hortatur & natalium splendor, & summa integritas in paupertate,& ante omnia,felicitas temporum:quæ bonam conscientiam ciuium tuorum ad vsum indulgentiæ tuæ prouocat & attollit.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 8

CVm sciam,domine,ad testimonium laudémque maiorum meorum pertinere tã boni principis iudicio exornari,rogo,dignitati ad quam me prouexit indulgẽtia tua, vel auguratum,vel septemuiratum, quia vacant, adiicere digneris, vt iure sacerdotij precari deos pro te publicè possim,quos nunc precor pietate priuata.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 9

VIctoriæ tuæ,optime Imp.maximæ, pulcherrimæ, antiquissimæ, & tuo nomine & reipub.gratulor,deósque immortales precor vt omnes cogitationes tuas tam lætus sequatur euentus, vt virtutibus tantis gloria imperij & nouetur & augeatur.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 10

SEruilius Pudens, legatus, domine, VIII. calend. Decembr. Nicomediam venit:

méque longæ expectationis solicitudine liberauit.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 11

ROsianum Geminum, domine, arctissimo vinculo mecum tua in me beneficia iunxerunt. habui enim illum quæstorem in consulatu, mei summè obseruantissimum expertus, tantam mihi post consulatum reuerentiā præstat, vt publicæ necessitudinis pignora priuatis cumulet officiis. Rogo ergo vt ipsi apud te pro dignitate eius, precibus meis faueas: cui &, siquid mihi credis, indulgentiam tuam dabis: dabit ipse operam vt in his quæ ei mandaueris, maiora mereatur. Parciorē me in laudando facit, quòd spero tibi & integritatem eius, & probitatem, & industriam non solùm ex eius honoribus quos in vrbe sub oculis tuis gessit, verumetiam ex commilitio esse notissimam. Illud vnum, quod propter charitatem eius nondum mihi videor satis plenè fecisse, etiam atque etiam facio: téque domine rogo, gaudere me ex ornata quæstoris mei dignitate, id est per illum mea, quammaturissimè velis.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 12

DIfficile est, domine, exprimere verbis, quantam perceperim lætitiam, quòd & mihi & socrui meæ præstitisti vt ad finem consulatus Cœlium Clementem in hāc pro-

uinciam transferres. Ex illo enim mensuram beneficij tui penitus intelligo, cùm tam plenam indulgentiam cum tota domo mea experiar, cui referre gratiam parem nec audeo quidem, quamuis maximè debeam. Itaque ad vota confugio, deósque precor vt iis quæ in me assiduè confers, non indignus existimer.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 13

SCripsit mihi, domine, Lycormas, libertus tuus, vt siqua legatio à Bosporo venisset, vrbem petitura, vsque in aduentum suum retineretur. Et legatio quidem duntaxat in eam ciuitatem in qua ipse sum, nulla adhuc venit: sed venit tabellarius Sauromata, quem ego, vsus opportunitate quam mihi casus obtulerat, cum tabellario qui Lycormam ex itinere præcessit, mittendum putaui, vt possis ex Lycormę & ex regis epistolis pariter cognoscere quæ fortasse pariter scire deberes.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 14

REx Sauromatæ scripsit mihi, esse quædam quæ deberes quammaturissimè scire: qua ex causa festinationem tabellarij quem ad te cum epistolis misit, diplomate adiuui.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 15

LEgato Sauromatæ regis, quum sua sponte Niceæ, vbi me inuenerat, biduo substitisset, longiorem moram faciendam, domine, non putaui primùm quòd incertum adhuc erat quando libertus tuus Lycormas venturus esset: deinde quòd ipse proficiscebar in diuersam prouinciæ partem, ita officij necessitate exigente. Hæc in notitiam tuam perferenda existimaui, quia proximè scripseram petiisse Lycormam vt legationem, siqua venisset à Bosporo, vsque in aduentum suum retinerem. quod diutiùs faciendi nulla mihi probabilis ratio occurrit, præsertim cùm epistolæ Lycormæ, quas detinere, vt antè prædixi, nolui, aliquot diebus hunc legatum antecessuræ viderentur.

C. PLIN. TR. IMP. S. 16

APuleius, domine, miles, qui est in statione Nicomedensi, scripsit mihi, quendam nomine Callidromum, quum detineretur à Maximo & Dionysio pistoribus, quibus operas suas locauerat, confugisse ad tuam statuam, perductúmque ad magistratus, indicasse, seruisse aliquando Laberio Maximo, captúmque à Susago in Mæsia, & à Decibalo muneri missum Pacoro Parthiæ regi, pluribúsque annis in ministerio eius fuisse: deinde fugisse, atque ita in Nicomediam peruenisse. quem ego perductum ad me, quum eadem narrasset, mittendum ad te putaui. quod paulo tardiùs feci, dum requiro gemmam, quam sibi habentem imaginem Pacori, & quibus in-

ſignibus ornatus fuiſſet, ſubtractam indicabat. Volui enim hanc quoque, ſi inueniri potuiſſet, ſimul mittere, ſicut glebulam miſi, quã ſe ex Parthico metallo attuliſſe dicebat. ſignata eſt annulo meo, cuius eſt apoſphragiſma quadriga.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 17

MAximum, libertum & procuratorem tuum, domine, per omne tempus quo fuimus vnà, probum, & induſtrium, & diligentem, ac ſicut rei tuæ amantiſſimum, ita diſciplinæ tenaciſſimum expertus, libenter apud te, teſtimonio proſequor ea fide quam tibi debeo.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 18

GAbium Baſſum, domine, præfectum oræ Ponticæ, integrum, probum, induſtrium, atque inter iſta, reuerentiſſimum mei expertus, voto pariter & ſuffragio proſequor ea fide quam tibi debeo: quem abundè conſpexi inſtructum commilitio tuo, cuius diſciplinæ debet quòd indulgentia tua dignus eſt: apud me & milites & pagani, à quibus iuſtitia eius & humanitas penitus inſpecta eſt, certatim ei, qua priuatim, qua publicè teſtimonium retribuerunt. Quod in notitiam tuam perfero ea fide quam tibi debeo.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 19

NYmphidium Lupum, domine, primipilarem commilitonem habui quum ipse tribunus essem, ille præfectus: inde familiariter diligere cœpi. Creuit postea charitas ipsa mutuæ vetustate amicitiæ. Itaque & quieti eius inieci manum, & exegi vt me in Bithynia consilio instrueret, quod ille amicissimè, & otij & senectutis ratione postposita, & iã fecit, & facturus est. Quibus ex causis necessitudines eius inter meas numero, & filium in primis, Nymphidium Lupum, iuuenem probum, industrium, & egregio patre dignissimum, suffecturum indulgentiæ tuæ: sicut primis eius experimẽtis cognoscere potes, cùm præfectus cohortis plenissimum testimoniũ meruerit Iulij Ferocis & Fusci Salinatoris, clarissimorum virorum. Meum gaudium, domine, meam gratulationem filij honore continerent.

C. PLINII CÆC. SEC. ET TRAIANI IMPER. Epistolæ Amœbææ.

C. PL. TR. IMP.

S. 20

VT primùm me, domine, indulgentia vestra promouit ad præfecturam ærarij Saturni, omnibus aduocationibus, quibus alioqui

alioqui nunquam eram promiſcuè functus, renuntiaui, vt toto animo, delegato mihi officio vacarem. Qua ex cauſa quum patronum me prouinciales optaſſent contra Mariũ Priſcum, & petij veniam huius muneris, & impetraui: ſed quum poſtea conſul deſignatus cenſuiſſes tacendum nobiſcum, quorũ erat excuſatio recepta, vt eſſemus in ſenatus poteſtate, paterem ũrque nomina noſtra in vrnam coniici, conuenientiſſimum eſſe trãquillitati ſæculi tui putaui, præſertim tã moderatè voluntati ampliſſimi ordinis non repugnare: cui obſequio meo opto vt exiſtimes conſtare rationem, cùm omnia facta dictáque mea probare ſanctiſſimis moribus tuis cupiam.

TRAIANVS PLINIO. S. 21

ET ciuis & ſenatoris boni partibus functus es, obſequium ampliſſimi ordinis quod iuſtiſſimè exigebat præſtando: quas partes impleturum te ſecundum ſuſceptam fidem confido.

C. PLIN. TR. IMP. S. 22

AGo gratias, domine, quòd & ius Quiritium libertis neceſſariæ mihi fœminæ, & ciuitatem Romanã Harpocrati iatraliptæ meo ſine mora indulſiſti. Sed quum annos eius & cenſum, ſicut præceperas, ederem, admonitus ſum à peritioribus, debuiſſe me ante ei Alexandrinam ciuitatem impetrare, dein-

& Romanam, quoniam esset Ægyptius: ego autem, quia inter Ægyptios, cæterósque peregrinos nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solum scribere, tibi eum scilicet à peregrina manumissum, patronámque eius iampridem decessisse, de qua ignorantia mea non queror, per quam stetit vt tibi pro eodem homine sæpius obligarer. Rogo itaque, vt beneficio tuo legitimè frui possim, tribuas ei & Alexandrinam ciuitatem, & Romanam. Annos eius & censum (nequid rursus indulgentiam tuam moraretur) libertis tuis, quibus iusseras, misi.

TR. PLINIO.

S. 23

Ciuitatem Alexandrinam, secundum institutionem principum, non temerè dare proposui: sed cùm Harpocrati iatraliptę tuo iam ciuitatem Romanam impetraueris huic quoque petitioni tuæ negare nõ sustineo. Tu ex quo nomo sit, notum mihi facere debebis, vt epistolam tibi ad Pompeium Plantam, præfectum Ægypti, amicum meum mittam.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 24

Qvum diuus pater tuus, domine, & oratione pulcherrima & honestissimo exemplo omnes ciues ad munificentiam esset cohortatus, petij ab eo vt statuas principum, quas in longinquis agris per plures succes-

ſiones traditas mihi, quales acceperam cuſtodiebam, permitteret in municipium transferre, adiecta ſua ſtatua, quódque ille mihi cum pleniſſimo teſtimonio indulſerat: ego ſtatim decurionibus ſcripſeram vt adſignarẽt ſolum in quo templum pecunia mea extruerem: illi in honore operis ipſius electionem loci mihi obtulerant. Sed primùm mea, deinde patris tui valetudine, poſtea curis delegati à vobis officij retentus, nunc videor cómodiſſimè poſſe in rem præſentem excurrere. Nam & menſtruum meum calen. Septembris finitur, & ſequens menſis complures dies feriatos habet. Rogo ergo, ante omnia permittas mihi, opus quod inchoaturus ſum, exornare & tua ſtatua: deinde, vt hoc facere quã maturiſſimè poſſim, indulgeas commeatum. Non eſt autem ſimplicitatis meę diſſimulare apud bonitatem tuam, obiter te plurimũ collaturum vtilitatibus rei familiaris meæ. Agrorum enim quos in eadem regione poſſideo, locatio cùm alioqui CCCC. excedat; adeo non poteſt differri, vt proximam putationem nouus colonus facere debeat. Præterea continuæ ſterilitates cogunt me de remiſſionibus cogitare: quarum rationem, niſi præſens, inire non poſſum. Debeo ergo, domine, indulgentiæ tuæ & pietati meæ celeritatem & ſtatuarum ordinationem, ſi mihi ob vtraque hæc dederis commeatum XXX dierum. Neque enim anguſtius tempus præfinire poſſum, cùm & municipium & agri de quibus loquor, ſint vltra centeſimum & quinquageſimum lapidem.

TR. PLINIO
S. 25

ET priuatas multas & omnes publicas causas petendi cõmeatus reddidisti: mihi autem vel sola voluntas tua suffecisset. Neque enim dubito te, vt primùm potueris, ad tam districtum officium reuersurum. Statuam poni mihi à te eo quo desideras loco, quamquam eiusmodi honorum parcissimus, tamen patior, ne impedisse cursum erga me pietatis tuæ videar.

C. PLIN. TR. IMP.
S. 26

QVia confido, domine, ad curam tuam pertinere: nuntio tibi, me Ephesum cum omnibus meis ὑπὲρ Μαλίαν nauigasse, quamuis contrariis ventis retentus. nunc destino partim orariis nauibus, partim vehiculis prouinciam petere. Nã sicut itineri graues æstus, ita continuæ nauigationi etesiæ reluctantur.

TR. PLINIO
S. 27

REctè renuntiasti mihi, Secunde charissime. pertinet enim ad animum meum, quali itinere in prouinciam peruenias. Prudenter autem constituis interim nauibus, interim vehiculis vti, prout loca suaserint.

C. PLIN. TR. IMP. S. 28

SIcut saluberrimam nauigationem, domine, vsque Ephesum expertus, ita inde postquam vehiculis iter facere cœpi, grauissimis æstibus, atque etiam febriculis vexatus, Pergami substiti. Rursus quum transissem in orarias nauiculas, contrariis ventis retentus, aliquanto tardiùs quàm sperauerâm, id est xv. calend. Octobr. Bithyniam . intraui. Non possum tamen de mora queri, cùm mihi contigerit quod erat auspicatissimum, natalem tuum in prouincia celebrare. Nunc reipubl. Prusensium impendia, redditus, debitores excutio, quod ex ipso tractu magis ac magis necessarium intelligo: multæ enim pecuniæ variis ex causis à priuatis detinentur: præterea quædam nimiæ legitimis sumptibus erogantur. Hæc tibi, domine, in ipso ingressu meo scripsi. Quintodecimo calend. Octobr. domine, prouinciam intraui, quam in eo obsequio, in ea erga te fide, quam de genere humano mereris, inueni. Dispice, domine, an necessarium putes mittere huc mensorem. videntur enim non mediócres pecunię posse reuocari à curatoribus operum, si mensuræ fideliter aguntur: ita certè prospicio ex ratione Prusensium, quam cùm Maximo tracto.

TR. PLINIO S. 29

CVperem sine querela corpusculi tui & tuorũ, peruenire in Bithyniam potuisses, ac simile tibi iter ab Epheso vt nauigationi fuisset, quam expertus vsque illò eras. Quo autem die peruenisses in Bithyniam, cognoui, Secunde charissime, literis tuis. prouinciales (credo) prospectum sibi à me intelligent. Nam & tu dabis operam vt manifestum sit illis electum te esse qui ad eosdem mei loco mittereris. Rationes autem in primis tibi rerum publicarum excutiendæ sunt: nam & esse eas vexatas satis constat. Mensores vix etiam iis operibus quæ aut Romæ aut in proximo fiunt, sufficienter habeo: sed in omni prouincia inueniuntur, quibus credi possit, & ideo non deerunt tibi, modò velis diligenter excutere.

C. PLIN. TR. IMP.
S. 30

ROgo domine, consilio me regas, hæsitantem vtrum per publicos ciuitatum seruos (quod vsque adhuc factum) an per milites asseruare custodias debeam. Vereor enim ne & per seruos publicos parum fideliter custodiantur, & non exiguum militum numerum hæc cura distringat: interim publicis seruis paucos milites addidi. Video tamen periculum esse ne idipsum vtrisque negligentiæ causa sit: dum communem culpam hi in il-

los, illi in hos regerere posse confidunt.

TR. PLINIO. S. 31

NIhil opus est, mi Secunde charissime, ad continendas custodias, plures commilitones conuerti perseueremus in ea consuetudine quæ isti prouinciæ est, vt per publicos seruos custodiantur. Etenim vt fideliter hoc faciant, in tua seueritate ac diligentia positum est. In primis enim, sicut scribis, verendum est ne, si permisceantur seruis publicis milites, mutua inter se fiducia negligentiores sint: sed & illud hæreat nobis, quampaucissimos milites à signis auocandos esse.

C. PLIN. TR. IMP. S. 32

GAbius Bassus, præfectus oræ Ponticæ & reuerétissimæ & officiosissimæ, domine, venit ad me, & compluribus diebus fuit mecum. Quantum perspicere potui, vir egregius, & indulgentia tua dignus: cui ego notum feci, præcepisse te vt ex cohortibus quibus me præesse voluisti, contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione vno. Respondit, non sufficere sibi hunc numerum, ídque se scripturum tibi. Hoc in causa fuit quo minùs statim reuocandos putarem quos habet supra numerum.

TR. PLINIO S. 33

ET mihi scripsit Gabius Bassus, non sufficere sibi eum militum numerum, qui vt daretur illi mandatis meis complexus sum. Quid quæris scripsisse me? vt notum haberes, his literis subiici iussi, Multum interest, res poscat, an homines imperare latiùs velint. Nobis autem vtilitas demum spectanda est: & quantum fieri potest, curandum ne milites à signis absint.

C. PLIN. TR. IMP. S. 34

PRusenses, domine, balineum habent & sordidum & vetus. id itaque indulgentia tua restituere desiderant: ego tamen æstimans nouum fieri debere, videris mihi desiderio eorum indulgere posse. Erit enim pecunia ex qua fiat; primùm ea quam reuocare à priuatis & exigere iam cœpi: deinde, quam ipsi erogare in oleum soliti, parati sunt in opus balinei conferre. Quod alioqui & dignitas ciuitatis, & sæculi tui nitor postulat.

TR. PLINIO S. 35

SI instructio noui balinei oneratura vires Prusensium non est, possumus desiderio eorum indulgere: modò nequid ideo aut in-

tribuant, aut minus illis in posterum fiat, ad necessarias erogationes.

C. PLINIVS TR. IMP. S. 36

MAximus, libertus & procurator tuus, domine, præter decem beneficiarios quos assignari à me Gemellino, optimo viro, iussisti, sibi quoque confirmat necessarios esse milites. Ex his interim, sicut inueneram in ministerio eius, relinquendos existimaui: præsertim cùm ad frumentum comparandum iret in Paphlagoniã: Quinetiam tutelę causa, quia desiderabat, addidi duos equites. In futurum quid seruari velis, rogo rescribas.

TR. PLINIO S. 37

NVnc quidem proficiscentem ad comparationem frumentorum Maximum, libertum meum, rectè militibus instruxisti. Fungebatur enim & ipse extraordinario munere: quum ad pristinum actum reuersus fuerit, sufficient illi duo à te dati milites, & totidem à Virbio Gemellino, procuratore meo, quem adiuuat.

C. PLIN. TR. IMP. S. 38

SEmpronius Cælianus, egregius iuuenis, repertos inter tyrones duos seruos misit.

ad me: quorum ego supplicium distuli, vt te, conditorem disciplinæ militaris firmatorémque, consulerem de modo pœnæ. Ipse enim dubito ob hæc maximè, quòd, vt iam dixerant, sacramento militari nondum distributi in numeros erant. Quid ergo debeam sequi, rogo domine, scribas: præsertim cùm pertineat ad exemplum.

TR. PLINIO S. 39

SEcundùm mandata mea fecit Sempronius Cęlianus, mittendo ad te eos, de quibus cognosci oportebat an capitale supplicium meruisse videantur. Refert autem, voluntarij se obtulerint, an lecti sint, vel etiam vicarij dati. Lecti si sunt, inquisitor peccauit: si vicarij dati, penes eos culpa est qui dederunt: si ipsi, cùm haberent conditionis suæ conscientiam, venerunt, animaduertendum in illos erit. Neque enim multum interest quòd nondum per numeros distributi sunt. ille enim dies quo primùm probati sunt, veritatem ab his originis suę exigit.

C. PLIN. TR. IMP. S. 40

SAlua magnitudine tua, domine, descendas oportet ad meas curas. cùm ius mihi dederis referendi ad te de quibus dubito. In plerisque ciuitatibus, maximè Nicomediæ & Niceæ, quidam vel in opus damnati, vel in ludum, similiáque his genera pœnarum,

publicorum seruorum officio ministerióque funguntur, atque etiam, vt publici serui, annua accipiunt. Quod ego quum audissem, diu multúmque hæsitaui quid facere deberem. nam & reddere pœnæ post longum tempus plerósque iam senes, & quantum affirmatur, frugaliter modestéque viuentes, nimis seuerum arbitrabar, & in publicis officiis retinere damnatos, non satis honestum putabam: eosdem rursus à republica pasci otiosos, inutile; non pasci, etiam periculosum existimabam. Necessariò ergo rem totam, dum te consulerem, in suspenso reliqui. Quæres fortasse quemadmodum euenerit vt pœnis in quas damnati erant, exoluerentur: & ego quæsiui, sed nihil comperi. Quod affirmare tibi possum, vt decreta quibus damnati erant, proferebantur: ita nulla monimenta, quibus liberati probarentur. Erant tamen qui dicerent, deprecantes, iussu proconsulum legatorúmve dimissos. Addebat fidem, quod credibile erat, neminem hoc ausum sine autore.

TR. PLINIO S. 41

MEmineris idcirco te in istam prouinciam missum, quoniã multa in ea emendanda apparuerint: erit autem vel hoc maximè corrigendum, quòd qui damnati ad pœnam erant, non modò ea sine autore, vt scribis, liberati sunt: sed etiam in conditionem proborum ministrorum retrahantur. Qui igitur intra hos proximos decem annos

damnati, nec vllo idoneo autore liberati sunt, hos oportebit pœnæ suæ reddi: siqui vetustiores inuenientur, & senes ante annos decem damnati, distribuamus illos in ea ministeria quæ non longè à pœna sint. Solent enim eiusmodi, ad balineum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum & vicorum dari.

C. PLIN. TR. IMP. S. 42

QVum diuersam partem prouinciæ circumirem, Nicomediæ vastissimum incendium multas priuatorum domos, & duo publica opera, quanquam via interiacente, Gerusiam & Isson absumpsit. Est autem latiùs sparsum: primùm violentia venti, deinde inertia hominum, quòd satis constat otiosos & immobiles tanti mali spectatores perstitisse: & alioqui nullus vsquam in publico sipo, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda: & hæc quidem, vt iam præcepi, parabantur. Tu domine, dispice an instituendum putes collegium fabrorum duntaxat hominum CL: ego attendam ne quis, nisi faber, recipiatur, néve iure concesso in aliud vtatur: nec erit difficile custodire tan paucos.

TR. PLINIO S. 43

TIbi quidem secundùm exempla complurium, in mentem venit posse col-

legium fabrorum apud Nicomedenses constitui: sed meminerimus prouinciam istam, & præcipuè eas ciuitates ab eiusmodi factionibus esse vexatas. Quodcunque nomen ex quacunque causa dederimus iis qui in idem contracti fuerint, hetæriç quanuis breues fient. Satius itaque est comparari ea quæ ad coërcendos ignes auxilio esse possint, admonerísque dominos prædiorum, vt & ipsi inhibeant, ac, si res poposcerit, accursu populi ad hoc vti.

C. PLINIVS TR. IMP. S. 44

Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscipimus, domine, pariter & soluimus, precati deos vt velint ea semper solui, sempérque signari.

TR. PLINIO S. 45

ET soluisse vos cum prouincialibus, diis immortalibus vota pro mea salute & incolumitate, & nuncupasse, libenter, mi Secunde charissime, cognoui ex literis tuis.

C. PLIN. TR. IMP. S. 46

IN aquæductu, domine, Nicomedenses impenderunt H sxxx. ccc. xxix. qui imperfectus adhuc relictus, ac etiam destructus est: rursus in alium ductum erogata sunt

ec.hoc quoque relicto, nouo impendio est opus, vt aquā habeāt qui tantam pecuniam malè perdiderunt. Ipse perueni ad fontem purissimum,ex quo videtur aqua debere perduci,sicut initio tentatum erat,arcuato opere, ne tantùm ad plana ciuitatis & humilia perueniat. Manent adhuc paucissimi arcus : possunt & erigi quidam lapide quadrato, qui ex superiore opere detractus est : aliqua pars, vt mihi videtur, testaceo opere agenda erit. id enim & facilius & vilius. Et in primis necessarium est,mitti à te vel aquilegem vel architectum, ne rursus eueniat quod accidit. ego illud vnum affirmo, & vtilitatem operis & pulchritudinem sęculo tuo esse dignissimam.

TR. PLINIO. S. 47

CVrandum est vt aqua in Nicomedensem ciuitatem perducatur. verè credo te ea qua debebis diligentia hoc opus aggressurum. Sed mediusfidius ad eandem diligentiam tuam pertinet inquirere quorum vitio ad hoc opus tantam pecuniam Nicomedenses perdiderint, ne, quum inter se gratificantur, & inchoauerint aquæductus, & reliquerint. Quid itaque compereris, perfer in notitiam meam.

C. PLIN. TR. IMP.

5. 48

THeatrum, domine, Niceæ maxima iam parte constructum, imperfectum tamen, sestertiûm, vt audio (neque enim ratio plus excussa est) amplius centies hausit: vereor ne frustrà. ingentibus enim rimis descendit & hiat, siue in causa solum humidum & molle, siue lapis ipse gracilis & putris: dignum est certè deliberatione sítne faciendum, aut sit relinquendum, an etiam destruendum. nam fulturæ ac substructiones, quibus subinde suscipitur, non tam firmæ mihi quàm sumptuosæ videntur. Huic theatro ex priuatorum pollicitationibus multa debentur, vt basilicæ circa, vt porticus supra caueam: quæ nunc omnia differuntur, cessante eo quod antè peragendum est. Iidem Nicenses gymnasium incendio amissum, ante aduentum meum restituere cœperũt longè numerosius laxiúsque quàm fuerat. etiam aliquantũ erogauerunt: periculum est ne parum vtiliter. incõpositũ enim & sparsum est. Prętereà architectus, sanè æmulus eius à quo opus inchoatum est, affirmat parietes (quanquam viginti & duos pedes latos) imposita onera sustinere non posse, quia sint cemento medij farti, nec testaceo opere præcincti. Claudiopolitani quoque in depresso loco, imminente etiam monte, ingens balineum defodiunt magis quàm ædificant, & quidem ex ea pecunia quã buleutæ addunt beneficio tuo, aut iam obtulerunt ob introitum, aut nobis exigentibus

conferent. Ergo quum timeam ne illic publica pecunia; hîc, quod est omni pecunia pretiosius, munus tuum malè collocetur, cogor petĕre à te, non solùm ob theatrum, verumetiã ob hæc balinea, mittas architectum, dispecturum vtrum sit vtilius post sumptum qui factus est, quoquo modo consummare opera vt inchoata sunt: an quæ videntur emendanda, corrigere: quæ transferenda, transferre: ne, dum seruare volumus quod impẽsum est, malè impendamus quod addendum est.

TR. PLINIO S. 49.

QVid oporteat fieri circa theatrum quod inchoatum apud Nicẽses est, in re pręsenti optimè deliberabis & constitues: mihi sufficiet indicari cui sententiæ accesseris. tunc autem à priuatis exigi opera tibi curæ sit, quum theatrum (propter quod illa promissa sunt) factum erit. Gymnasiis indulgent Græculi: ideò forsitan Nicenses maiore animo constructionem eius aggressi sunt, sed oportet illos eo contentos esse, quod possit illis sufficere. Quid Claudiopolitanis circa balineum quod parum (vt scribis) idoneo loco inchoauerunt, suadendum sit, tu constitues. Architecti tibi deesse non possunt. nulla prouincia est, quæ non peritos & ingeniosos homines habeat: modò ne existimes breuiùs esse ab vrbe mitti, quum ex Græcia etiam ad nos venire soliti sunt.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 50

INtuenti mihi & fortunæ tuæ & animi magnitudinem, conuenientissimum videtur, demonstrare opera non minùs æternitate tua quàm gloria digna, quantúmque pulchritudinis, tantum vtilitatis habitura. Est in Nicomedensium finibus amplissimus lacus: per hunc marmora, fructus, ligna, materiæ & sũptu modico & labore vsque ad viam nauibus, inde magno labore, maiore impendio vehiculis ad mare deuehuntur. Sed hoc opus multas manus poscit: at hę porro non desunt. nam & in agris magna copia est hominum, & maxima in ciuitate: certáque spes omnes libentissimè aggressuros opus omnibus fructuosum. superest vt tu libratorem vel architectum, si tibi videbitur, mittas, qui diligenter exploret sítne lacus altior mari, quem artifices regionis huius quadraginta cubitis altiorem esse contendunt. Ego per eadem loca inuenio fossam à rege percussam: sed incertũ vtrum ad colligendum humorem circumiacentium agrorum, an ad committendum flumini lacum (est enim imperfecta) hoc quoque dubium, intercepto rege mortalitate, an desperato operis effectu. Sed hóc ipso (feres enim me ambitiosum) pro tua gloria incitor & accendor, vt cupiam peragi à te quæ tantùm cœperant reges.

TR. PLIN. S. 51

POtest nos solicitare lacus iste vt committere illum mari velimus: sed planè explorandum est diligenter, ne, si immissus in mare fuerit, totus effluat. Certè, quantum aquarum, & vnde accipiat, poteris à Calphurnio Macro petere. Libratorem & ego hinc aliquem tibi peritum eiusmodi operum mittam.

C. PLIN. TR. IMP. S. 52

REquirenti mihi Byzantiorum reip. impendia, quę maxima fecit, indicatum est, domine, legatum ad te salutandum annis omnibus cum psephismate mitti, eíq; dari nũmorum duodena millia. Memor ergo propositi tui, legatum quidem retinendum, psephisma autem mittẽdum putaui: vt simul & sumptus leuaretur, & impleretur publicum officium. Eidem ciuitati imputata sunt terna millia, quæ viatici nomine annua dabantur legato eunti ad eum qui Mesiæ præest, publicè salutandum. Hæc ego in posterum circumcidenda existimaui. Te, domine, rogo vt quid sentias rescribendo, aut consilium meum cõfirmare, aut errorem emendare digneris.

TR. PLIN. S. 53

OPtimè fecisti, Secunde charissime, duodena ista Byzantiis, quæ ad salutandum

me in legatum impendebantur, remittendo. Fungetur his partibus, etsi solum eorum psephisma per te missum fuerit. Ignoscet illis & Mesiæ præses, si minùs illum sumptuosè coluerint.

C. PL. TR. IMP.

S. 54

DIplomata, domine (quorum dies præterita) an omnino obseruari, & quàm diu velis, rogo scribas, méque hæsitatione liberes. Vereor enim ne in alterutram partem ignorantia lapsus, aut illicita confirmem, aut necessaria impediam.

TR. PLIN. S. 55

DIplomata (quorum preteritus est dies) in vsu esse non debent: ideo inter prima iniũgo mihi vt per omnes prouincias antè mittam noua diplomata quàm desiderari possint.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 56

QVum vellem Apameæ, domine, cognoscere publicos debitores, & redditum & impendia, responsum est mihi, cupere quidem vniuersos vt à me rationes coloniæ legerentur: nunquam tamen esse lectas ab vllo procõsulum, habuisse priuilegium & vetustissimum morem, arbitrio suo temp. administrare. Exegi vt quæ dicebant, quæque

recitabant, libello complecterentur: quem tibi, qualem acceperam, misi: quanuis intelligerem, pleráque ex illo ad id de quo quæritur non pertinere. Te rogo vt mihi præcipere digneris quid me putes obseruare debere. Vereor enim ne aut excessisse, aut non implesse officij mei partes videar.

TR. PLINIO S. 57

LIbellus Apamæorum, quem epistolæ tuæ iunxeras, remisit mihi necessitatem perpendendi qualia essent propter quæ, videri volunt eos qui proconsulibus hanc prouinciam obtinuerunt, abstinuisse inspectione rationum suarum, cùm ipsum te, vt eas inspiceres, non recusauerint. Remuneráda est igitur probitas eorum, vt iam nunc sciant hoc quod inspecturus es, ex mea voluntate, saluis quæ habent priuilegiis, esse facturum.

C. PLIN. TR. IMP. S. 58

ANte aduentum meum, domine, Nicomedenses priori foro nouum adiicere cœperunt, cuius in angulo est ædes vetustissima matris magnæ, aut reficienda, aut transferenda: ob hoc prçcipuè, quòd est multo depressior opere eo quod nunc maximè surgit. Ego quum quærerem num esset aliqua lex dicta templo, cognoui alium hîc, alium apud nos esse morem dedicationis. Dispice ergo, domine, an putes çdem cui nulla lex dicta est, salua religione posse transferri: alioqui com-

modiſſimum eſt, ſi religio non impedit.

TR. PLINIO S. 59

POtes, mi Secunde chariſſime, ſine ſolicitudine religionis, ſi loci poſitio videtur hoc deſiderare, ædem matris deúm transferre in eam quę eſt accommodatior: nec te moueat quòd lex dedicationis nulla reperitur, cùm ſolum peregrinæ ciuitatis capax non ſit dedicationis quæ fit noſtro iure.

C. PLIN. TR. IMP.
S. 60

DIem, domine, quo ſeruaſti imperium, dũ ſuſcipis, quanta mereris lætitia celebrauimus, precati deos vt te generi humano, cuius tutela & ſecuritas ſaluti tuæ innixa eſt, incolumen florentémque prę̨ſtarent. Prę̨iuimus, & commilitonibus iuſiurandum more ſolenni prę̨ſtantibus, & prouincialibus, qui eadem certarunt pietate, iurantibus.

TR. PLIN. S. 61

QVanta religione ac lætitia commilitones cum prouincialibus, te præeunte, diem imperij mei celebrauerint, libenter, mi Secunde chariſſime, cognoui literis tuis.

C. PLIN. TR. IMP.
S. 62

PEcuniæ publicę, domine, prouidentia tua & miniſterio noſtro etiam exactę ſunt &

exiguntur: quæ vereor ne otiosæ iaceāt. nam & prædiorum comparandorum aut nulla, aut rarissima occasio est: nec inueniuntur qui velint debere, reip. præsertim, duodenis assibus, quanti à priuatis mutuantur. Dispice ergo, domine, nunquid minuendam vsuram, ac per hoc idoneos debitores inuitandos putes, &, si ne sic quidem reperiuntur, distribuendam inter decuriones pecuniam, ita vt rectè reip. caueant: quod, quanquam inuitis & recusantibus, minus acerbum erit, leuiore vsura constituta.

TR. PLINIO S. 63

ET ipse non aliud remedium dispicio, mi Secunde charissime, quàm vt quantitas vsurarum minuatur, quò facilius pecuniæ publicę collocentur. Modum eius ex copia eorum qui mutuabuntur tu constitues: inuitos ad accipiendnm compellere, quod fortassis ipsis otiosum futurum sit, non est ex iustitia nostrorum temporum.

C. PLIN. TR. IMP. S. 64

SVmmas domine gratias ago, quòd inter maximas occupationes, iis de quibus te cōsului me quoque regere dignatus es: quod nūc quoque facias, rogo. Adiit enim me quidam, indicauítque, aduersarios suos à Seruilio Caluo, clarissimo viro, in triennium relegatos, in prouincia morari: illi contrà, ab eodem se restitutos affirmauerunt, edictúmque

recitauerunt: qua causa necessarium credidi, rem integram ad te referre. Nam sicut mãdatis tuis cautum est ne restituam ab alio aut à me relegatos: ita de iis quos alius relegauerit & restituerit, nihil comprehẽsum est. Ideo tu domine, consulẽdus fuisti, quid obseruare me velles, tã hercule de iis quàm de illis qui in perpetuum relegati, nec restituti, in prouincia deprehenduntur. nam hęc quoque species incidit in cognitionem meam. Est enim adductus ad me in perpetuum relegatus à Iulio Basso proconsule: ego, quia sciebam acta Bassi rescissa, datúmque à senatu ius omnibus de quibus ille aliquid constituisset, ex integro agendi duntaxat per biennium, interrogaui hũc quem relegauerat, an adiisset, docuissétque pro consulem: negauit. Per quod effectum est vt te consulerem, an reddendum eum pœnæ suæ, an grauius aliquid, & quid potissimum constituendũ putares, & in hunc, & in eos, siqui fortè in simili conditione inuenirentur. Decretum Calui & edictum, item decretum Bassi his literis subieci.

TR. PLIN. S. 65

QVid in personam eorum statuendum sit qui à Publio Seruilio Caluo procõsule in triẽniũ relegati, & mox eiusdem edicto restituti, in prouincia remanserunt, proximè tibi rescribam, quũ causas huius facti à Caluo requisiero, qui à Iulio Basso in perpetuum relegatus est, cùm per biennium agendi facultatem habuerit, si existimabat se iniuria

relegatum, neque id fecerit, atque in prouincia morari perseuerauerit; vinctus mitti ad præfectos prætorij mei debet. neq; enim sufficit, eum pœnæ iuç restitui, quem contumacia elusit.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 66

QVum citarem iudices, domine, conuentum inchoaturus, Flauius Archippus vacationem petere cœpit, vt philosophus. Fuerunt qui dicerent, non modò liberandum eum iudicandi necessitate, sed omnino tollendum de iudicum numero, reddendúmque pœnæ quam fractis vinculis euasisset. Recitata est sententia Velij Pauli proconsulis, qua probatur Archippus crimine falsi damnatus in metallum: ille nihil proferebat quo restitutum se doceret. Allegabat tamen pro restitutione & libellum à se Domitiano datum, & epistolas eius ad honorem suum pertinentes, & decretum Prusensium. Addebat his & literas tuas scriptas sibi: addebat & patris tui edictum, & epistolam, quibus confirmasset beneficia à Domitiano data. Itaque quanuis eidem talia crimina applicarentur, nihil decernendum putaui, donec te consulerem de eo quod mihi constitutione tua dignum videbatur. ea quę sunt vtrinque recitata, his literis subieci.

Epistola Domitiani ad Terentium Maximum.

FLauius Archippus philosophus impetrauit à me vt agrū ei. D Ç. circa Prusiadam, patriam

patriam ſuam, emi iuberem, cuius reditu ſuos alere poſſet. quod ei præſtari volo: ſummam expenſam liberalitatis meæ feres.

Eiuſdem ad L. Apium Maximum.

ARchippum philoſophum, bonũ virum, & profeſſione ſua etiam maioribus reſpondentem, commendatum habeas velim, mi Maxime, & plenam ei humanitatem tuam præſtes in iis quæ verecundè à te deſiderauerit.

Edictum diui Neruæ.

QVædam ſine dubio, Quirites, ipſa felicitas temporum edicit, nec ſpectandus eſt in iis bonus princeps, quibus illum intelligi ſatis eſt, cùm hoc ſibi quiſque ciuium meorum ſpondere poſſit, me ſecuritatem omnium, quieti meæ prætuliſſe, vt & libenter noua beneficia conferrem, & ante me cõceſſa ſeruarem. Ne tamen aliquam gaudiis publicis afferat hæſitationem, vel eorum qui impetrauerunt diffidentia, vel eius memoria qui præſtitit, neceſſarium pariter credidi ac lætum, obuiam dubitantibus indulgentiam meam mittere. Nolo exiſtimet quiſquam, quæ alio principe vel priuatim vel publicè conſequutus, ideo ſaltem à me reſcendi, vt potiùs mihi debeat ſi illa rata & certa fecero: nec gratulatio vllius inſtauratis eget precib⁹. & qui non habent, me quem fortuna imperij vultu meliore reſpexit, nouis beneficiis vacare patiamur: & ea demum ſciant roganda eſſe quæ non habent.

Epistola eiusdem ad Tullium Iustum.

CVm rerumomnium ordinatio,quæ prioribus temporibus inchoatæ consummatæque sunt, obseruanda sit, tum epistolis etiam Domitiani standum est.

C. PLIN. TR. IMP. 67

FLauius Archippus per salutem tuam æternitatémque petit à me vt libellum quem mihi dedit, mitterem tibi, quod ego sic roganti præstandum putaui, ita tamen vt missurum me, notum accusatrici eius facerem, à qua & ipsa acceptum libellum his epistolis iunxi, quò facilius, velut audita vtraque parte, dispiceres quid statuendum putares.

TR. PLINIO S. 68

POtuit quidem tignorasse Domitianus in quo statu esset Archippus, quum tã multa ad honorem eius pertinentia scriberet: sed meæ naturæ accommodatius est credere, etiã statui eius subuentum interuentu principis: præsertim cùm etiam statuarum ei honor toties decretus sit ab iis qui ignorabant quid de illo Paulus proconsul pronuntiasset. quæ tamen, mi Secunde charissime, non eò pertinent, vt si quid illi noui criminis obiiciatur, minus de eo audiendum putes. Libellos Furiæ Primæ accusatricis, item ipsius Archippi, quos alteri epistolæ tuæ iunxeras, legi.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 69

TVquidem, domine prouidentissime, vereris ne commissus flumini, atque ita mari, lacus, effluat: sed ego in re præsenti inuenisse videor quemamodum huic periculo occurerem. Potest enim lacus fossa vsque ad flumen adduci, nec tamē in flumen emitti, sed relicto quasi margine contineri pariter & dirimi: sic consequemur vt nec vicino videatur flumini mistus, & sit perinde ac si misceatur. Erit enim facile per illam breuissimam terram, quæ interiacebit, aduecta fossa, onera transponere in flumen. quod ita fiet, si necessitas coget, & (spero) non coget. Est enim & lacus ipse satis altus, & nūc in contrariam partem flumen emittit, quod interclusum inde, & quò volumus auersum, sine vllius detrimento, lacus tantum aquæ quantū nunc portat, effundet. Præterea per id spatium per quod fossa facienda est, incidunt riui: qui si diligenter colligantur, augebunt illud quod lacus dederit. Enimuero si placeat fossam lōgiùs ducere, & arctiùs pressam mari æquare, nec in flumen, sed in ipsum mare emittere, repercussus maris seruabit, & reprimet quicquid è lacu veniet. Quorum si nihil nobis loci natura præstaret, expeditum tamen erat, cataractis aquæ cursum temperare. Verùm & hæc & alia multo sagaciùs conquiret explorabítque librator, quem planè, domine, debes mittere, vt polliceris. Est enim res digna & magnitudine tua & cura.

conferent. Ergo quum timeam ne illic publica pecunia; hîc, quod est omni pecunia pretiosius, munus tuum malè collocetur, cogor petêre à te, non solùm ob theatrum, verumetiã ob hæc balinea, mittas architectum, dispecturum vtrum sit vtilius post sumptum qui factus est, quoquo modo consummare opera vt inchoata sunt: an quæ videntur emendanda, corrigere: quæ transferenda, transferre: ne, dum seruare volumus quod impẽsum est, malè impendamus quod addendum est.

TR. PLINIO S. 49.

QVid oporteat fieri circa theatrum quod inchoatum apud Nicǽes est, in re pręsenti optimè deliberabis & constitues: mihi sufficiet indicari cui sententiæ accesseris. tunc autem à priuatis exigi opera tibi curæ sit, quum theatrum (propter quod illa promissa sunt) factum erit. Gymnasiis indulgent Græculi: ideò forsitan Nicenses maiore animo constructionem eius aggressi sunt, sed oportet illos eo contentos esse, quod possit illis sufficere. Quid Claudiopolitanis circa balineum quod parum (vt scribis) idoneo loco inchoauerunt, suadendum sit, tu constitues. Architecti tibi deesse non possunt. nulla prouincia est, quæ non peritos & ingeniosos homines habeat: modò ne existimes breuiùs esse ab vrbe mitti, quum ex Græcia etiam ad nos venire soliti sunt.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 50

INtuenti mihi & fortunæ tuæ & animi magnitudinem, conuenientissimum videtur, demonstrare opera non minùs æternitate tua quàm gloria digna, quantúmque pulchritudinis, tantum vtilitatis habitura. Est in Nicomedensium finibus amplissimus lacus: per hunc marmora, fructus, ligna, materiæ & sũptu modico & labore vsque ad viam nauibus, inde magno labore, maiore impendio vehiculis ad mare deuehuntur. Sed hoc opus multas manus poscit: at hę porro non desunt. nam & in agrís magna copia est hominum, & maxima in ciuitate: certáque spes omnes libentissimè aggressuros opus omnibus fructuosum. superest vt tu libratorem vel architectum, si tibi videbitur, mittas, qui diligenter exploret sitne lacus altior mari, quem artifices regionis huius quadraginta cubitis altiorem esse contendunt. Ego per eadem loca inuenio fossam à rege percussam: sed incertũ vtrum ad colligendum humorem circumiacentium agrorum, an ad committendum flumini lacum (est enim imperfecta) hoc quoque dubium, intercepto rege mortalitate, an desperato operis effectu. Sed hóc ipso (feres enim me ambitiosum) pro tua gloria incitor & accendor, vt cupiam peragi à te quæ tantùm cœperant reges.

TR. PLIN. S. 51

POteſt nos ſolicitare lacus iſte vt committere illum mari velimus: ſed planè explorandum eſt diligenter, ne, ſi immiſſus in mare fuerit, totus effluat. Certè, quantum aquarum, & vnde accipiat, poteris à Calphurnio Macro petere. Libratorem & ego hinc aliquem tibi peritum eiuſmodi operum mittam.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 52

REquirenti mihi Byzantiorum reip. impendia, quę maxima fecit, indicatum eſt, domine, legatum ad te ſalutandum annis omnibus cum pſephiſmate mitti, eíq; dari nũmorum duodena millia. Memor ergo propoſiti tui, legatum quidem retinendum, pſephiſma autem mittẽdum putaui: vt ſimul & ſumptus leuaretur, & impleretur publicum officium. Eidem ciuitati imputata ſunt terna millia, quæ viatici nomine annua dabantur legato eunti ad eum qui Meſiæ præeſt, publicè ſalutandum. Hæc ego in poſterum circumcidenda exiſtimaui Te, domine, rogo vt quid ſentias reſcribendo, aut conſilium meum cõfirmare, aut errorem emendare digneris.

TR. PLIN. S. 53

OPtimè feciſti, Secunde chariſſime, duodena iſta Byzantiis, quæ ad ſalutandum

me in legatum impendebantur, remittendo. Fungetur his partibus, etsi solum eorum psephisma per te missum fuerit. Ignoscet illis & Mesiæ præses, si minùs illum sumptuosè coluerint.

C. PL. TR. IMP. S. 54

DIplomata, domine (quorum dies præterita) an omnino obseruari, & quàm diu velis, rogo scribas, méque hæsitatione liberes. Vereor enim ne in alterutram partem ignorantia lapsus, aut illicita confirmem, aut necessaria impediam.

TR. PLIN. S. 55

DIplomata (quorum preteritus est dies) in vsu esse non debent: ideo inter prima iniũgo mihi vt per omnes prouincias antè mittam noua diplomata quàm desiderari possint.

C. PLIN. TR. IMP. S. 56

QVum vellem Apameæ, domine, cognoscere publicos debitores, & redditum & impendia, responsum est mihi, cupere quidem vniuersos vt à me rationes coloniæ legerentur: nunquam tamen esse lectas ab vllo procõsulum, habuisse priuilegium & vetustissimum morem, arbitrio suo remp. administrare. Exegi vt quæ dicebant, quæque

recitabant, libello complecterentur: quem tibi, qualem acceperam, misi: quanuis intelligerem, pleráque ex illo ad id de quo quæritur non pertinere. Te rogo vt mihi præcipere digneris quid me putes obseruare debere. Vereor enim ne aut excessisse, aut non implesse officij mei partes videar.

TR. PLINIO S. 57

Libellus Apamæorum, quem epistolæ tuæ iunxeras, remisit mihi necessitatem perpendendi qualia essent propter quæ, videri volunt eos qui proconsulibus hanc prouinciam obtinuerunt, abstinuisse inspectione rationum suarum, cùm ipsum te, vt eas inspiceres, non recusauerint. Remuneráda est igitur probitas eorum, vt iam nunc sciant hoc quod inspecturus es, ex mea voluntate, saluis quæ habent priuilegiis, esse facturum.

C. PLIN. TR. IMP. S. 58

Ante aduentum meum, domine, Nicomedenses priori foro nouum adiicere cœperunt, cuius in angulo est ædes vetustissima matris magnæ, aut reficienda, aut transferenda: ob hoc pręcipuè, quòd est multo depressior opere eo quod nunc maximè surgit. Ego quum quærerem num esset aliqua lex dicta templo, cognoui alium hîc, alium apud nos esse morem dedicationis. Dispice ergo, domine, an putes ędem cui nulla lex dicta est, salua religione posse transferri: alioqui com-

modiſſimum eſt, ſi religio non impedit.

TR. PLINIO S. 59

POtes, mi Secunde chariſſime, ſine ſolicitudine religionis, ſi loci poſitio videtur hoc deſiderare, ædem matris deûm transferre in eam quę eſt accommodatior: nec te moueat quòd lex dedicationis nulla reperitur, cùm ſolum peregrinæ ciuitatis capax non ſit dedicationis quæ fit noſtro iure.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 60

DIem, domine, quo ſeruaſti imperium, dũ ſuſcipis, quanta mereris lætitia celebrauimus, precati deos vt te generi humano, cuius tutela & ſecuritas ſaluti tuæ innixa eſt, incolumen florentémque pręſtarent. Pręiimus, & commilitonibus iuſiurandum more ſolenni pręſtantibus, & prouincialibus, qui eadem certarunt pietate, iurantibus.

TR. PLIN. S. 61

QVanta religione ac lætitia commilitones cum prouincialibus, te præeunte, diem imperij mei celebrauerint, libenter, mi Secunde chariſſime, cognoui literis tuis.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 62

PEcuniæ publicę, domine, prouidentia tua & miniſterio noſtro etiam exactę ſunt &

exiguntur: quæ vereor ne otiosæ iaceãt. nam & prædiorum comparandorum aut nulla, aut rarissima occasio est: nec inueniuntur qui velint debere, reip. præsertim, duodenis assibus, quanti à priuatis mutuantur. Dispice ergo, domine, nunquid minuendam vsuram, ac per hoc idoneos debitores inuitandos putes, &, si ne sic quidem reperiuntur, distribuendam inter decuriones pecuniam, ita vt rectè reip. caueant: quod, quanquam inuitis & recusantibus, minus acerbum erit, leuiore vsura constituta.

TR. PLINIO S. 63

ET ipse non aliud remedium dispicio, mi Secunde charissime, quàm vt quantitas vsurarum minuatur, quò facilius pecuniæ publicę collocentur. Modum eius ex copia eorum qui mutuabuntur tu constitues; inuitos ad accipiendnm compellere, quod fortassis ipsis otiosum futurum sit, non est ex iustitia nostrorum temporum.

C. PLIN. TR. IMP. S. 64

SVmmas domine gratias ago, quòd inter maximas occupationes, iis de quibus te cõsului me quoque regere dignatus es: quod nũc quoque facias, rogo. Adiit enim me quidam, indicauítque, aduersarios suos à Seruilio Caluo, clarissimo viro, in triennium relegatos, in prouincia morari: illi contrà, ab eodem se restitutos affirmauerunt, edictúmque

recitauerunt: qua cauſa neceſſarium credidi, rem integram ad te referre. Nam ſicut mādatis tuis cautum eſt ne reſtituam ab alio aut à me relegatos: ita de iis quos alius relegauerit & reſtituerit, nihil comprehēſum eſt. Ideo tu domine, conſulēdus fuiſti, quid obſeruare me velles, tā hercule de iis quàm de illis qui in perpetuum relegati, nec reſtituti, in prouincia deprehenduntur. nam hęc quoque ſpecies incidit in cognitionem meam. Eſt enim adductus ad me in perpetuum relegatus à Iulio Baſſo proconſule: ego, quia ſciebam acta Baſſi reſciſſa, datúmque à ſenatu ius omnibus de quibus ille aliquid conſtituiſſet, ex integro agendi duntaxat per biennium, interrogaui hūc quem relegauerat, an adiiſſet, docuiſſétque pro conſulem: negauit. Per quod effectum eſt vt te conſulerem, an reddendum eum pœnæ ſuæ, an grauius aliquid, & quid potiſſimum conſtituendū putares, & in hunc, & in eos, ſiqui fortè in ſimili conditione inuenirentur. Decretum Calui & edictum, item decretum Baſſi his literis ſubieci.

TR. PLIN. S. 65

QVid in perſonam eorum ſtatuendum ſit qui à Publio Seruilio Caluo procōſule in trieniū relegati, & mox eiuſdem edicto reſtituti, in prouincia remanſerunt, proximè tibi reſcribam, quū cauſas huius facti à Caluo requiſiero, qui à Iulio Baſſo in perpetuum relegatus eſt, cùm per biennium agendi facultatem habuerit, ſi exiſtimabat ſe iniuria

relegatum, neque id fecerit, atque in prouincia morari perseuerauerit; vinctus mitti ad prefectos prætorij mei debet. neq; enim sufficit, eum pœnæ iugrestitui, quem contumacia elusit.

C. PLIN. TR. IMP. S. 66

QVum citarem iudices, domine, conuentum inchoaturus, Flauius Archippus vacationem petere cœpit, vt philosophus. Fuerunt qui dicerent, non modò liberandum eum iudicandi necessitate, sed omnino tollendum de iudicum numero, reddendúmque pœnæ quam fractis vinculis euasisset. Recitata est sententia Velij Pauli proconsulis, qua probatur Archippus crimine falsi damnatus in metallum: ille nihil proferebat quo restitutum se doceret. Allegabat tamen pro restitutione & libellum à se Domitiano datum, & epistolas eius ad honorem suum pertinentes, & decretum Prusensium. Addebat his & literas tuas scriptas sibi: addebat & patris tui edictum, & epistolam, quibus confirmasset beneficia à Domitiano data. Itaque quanuis eidem talia crimina applicarentur, nihil decernendum putaui, donec te consulerem de eo quod mihi constitutione tua dignum videbatur. ea quę sunt vtrinque recitata, his literis subieci.

Epistola Domitiani ad Terentium Maximum.

FLauius Archippus philosophus impetrauit à me vt agrũ ei. DC. circa Prusiadam, patriam

patriam ſuam, emi iuberem, cuius reditu ſuos alere poſſet. quod ei præſtari volo: ſummam expenſam liberalitatis meæ feres.

Eiuſdem ad L. Apium Maximum.

ARchippum philoſophum, bonũ virum, & profeſſione ſua etiam maioribus reſpondentem, commendatum habeas velim, mi Maxime, & plenam ei humanitatem tuam præſtes in iis quæ verecundè à te deſiderauerit.

Edictum diui Neruæ.

QVædam ſine dubio, Quirites, ipſa felicitas temporum edicit, nec ſpectandus eſt in iis bonus princeps, quibus illum intelligi ſatis eſt, cùm hoc ſibi quiſque ciuium meorum ſpondere poſſit, me ſecuritatem omnium, quieti meæ prætuliſſe, vt & libenter noua beneficia conferrem, & ante me cõceſſa ſeruarem. Ne tamen aliquam gaudiis publicis afferat hæſitationem, vel eorum qui impetrauerunt diffidentia, vel eius memoria qui præſtitit, neceſſarium pariter credidi ac lætum, obuiam dubitantibus indulgentiam meam mittere. Nolo exiſtimet quiſquam, quæ alio principe vel priuatim vel publicè conſequutus, ideo ſaltem à me reſcendi, vt potiùs mihi debeat ſi illa rata & certa fecero: nec gratulatio vllius inſtauratis eget precib⁹. & qui non habent, me quem fortuna imperij vultu meliore reſpexit, nouis beneficiis vacare patiantur: & ea demum ſciant roganda eſſe quæ non habent.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 69

TVquidem, domine prouidentissime, vereris ne commissus flumini, atque ita mari, lacus, effluat: sed ego in re præsenti inuenisse videor quemamodum huic periculo occurerem. Potest enim lacus fossa vsque ad flumen adduci, nec tamē in flumen emitti, sed relicto quasi margine contineri pariter & dirimi: sic consequemur vt nec vicino videatur flumini mistus, & sit perinde ac si misceatur. Erit enim facile per illam breuissimam terram, quæ interiacebit, aduecta fossa, onera transponere in flumen. quod ita fiet, si necessitas coget, & (spero) non coget. Est enim & lacus ipse satis altus, & nūc in contrariam partem flumen emittit, quod interclusum inde, & quò volumus auersum, sine vllius detrimento, lacus tantum aquæ quantū nunc portat, effundet. Præterea per id spatium per quod fossa facienda est, incidunt riui: qui si diligenter colligantur, augebunt illud quod lacus dederit. Enimuero si placeat fossam lōgiùs ducere, & arctiùs pressam mari æquare, nec in flumen, sed in ipsum mare emittere, repercussus maris seruabit, & reprimet quicquid è lacu veniet. Quorum si nihil nobis loci natura præstaret, expeditum tamen erat, cataractis aquæ cursum temperare. Verùm & hæc & alia multo sagaciùs conquiret explorabítque librator, quem planè, domine, debes mittere, vt polliceris. Est enim res digna & magnitudine tua & cura.

Ego interim Calphurnio Macro, clarissimo viro, autore te, scripsi vt libratorem quàmmaximè idoneum mitteret.

TR. PLINIO S. 70

MAnifestum est, mi Secunde charissime, nec prudentiam nec diligentiam tibi defuisse circa istum lacum, cùm tam multa prouisa habeat, per quæ nec periclitetur exhauriri, & magis in vsus nobis futurus sit. Elice igitur id quod præcipuè res ipsa suaserit. Calphurnium Macrum credo facturum vt te libratore instruat: neque enim prouinciæ istæ his artificibus carent.

C. PLIN. TR. IMP. S. 71

MAgna, domine, & ad totam prouinciam pertinens quæstio est de conditione & alimentis eorum quos vocant θρεπτούς. in qua ego auditis constitutionibus principum, quia nihil inueniebam aut proprium, aut vniuersale, quod ad Bithynos ferretur, consulendum te existimaui, quid obseruari velles. neque enim putaui posse me in eo quod autoritatem tuam posceret, exemplis esse contentum. Recitabatur autem apud me edictum, quod dicebatur diui Augusti, ad Anniam pertinens: recitatæ & epistolæ diui Vespasiani ad Lacedæmonios, & diui Titi ad eosdem, dein ad Achæos: & Domitiani ad Auidium Nigrinum & Armenium Broccū,

proconsules, item ad Lacedæmonios : quæ ideo tibi non misi, quia & parum emendata, & quædam non certę fidei videbantur, & quia vera & emendata in scriniis tuis esse credebam.

TR. PLINIO S. 72

QVæstio ista, quæ pertinet ad eos qui liberi nati, expositi, deinde sublati à quibusdam & in seruitute educati sunt, sæpe tractata est: nec quicquam inuenitur in commentariis eorum principum qui ante me fuerunt, quod ad omnes prouincias sit constitutum. Epistolæ sanè sunt Domitiani ad Auidium Nigrinum & Armenium Broccum, quæ fortasse debeant obseruari : sed inter eas prouincias de quibus rescripsit, non est Bithynia: & ideo nec assertionem denegandam iis qui ex eiusmodi causa in libertatem vindicabuntur, puto, neque ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum.

C. PLIN. TR. IMP. S. 73

PEtentibus quibusdam vt sibi reliquias suorum aut propter iniuriam vetustatis, aut propter fluminis incursum, aliáque his similia quæcunque, secundùm exemplum proconsulum, transferre permitterem, quia sciebam in vrbe nostra ex eiusmodi causis collegium pontificum adiri solere, te domine, maximum pontificem, consulendum putaui quid obseruare me velis.

TR. PLINIO S. 74

DVrum est iniungere necessitatem prouincialibus pontificum adeundorum, si reliquias suorum propter aliquas iustas causas transferre ex loco in alium locum velint. Sequenda ergo potius tibi exempla sunt eorum qui isti prouinciæ præfuerunt; & ex causa cuique ita aut permittendum, aut negandum.

C. PLINIVS TR. IMP. S. 75

QVærenti mihi, domine, Prusæ vbi posset balineum quod indulsisti fieri, placuit locus in quo fuit aliquando domus (vt audio) pulchra, nunc deformis ruinis. Per hoc enim consequemur vt fœdissima facies ciuitatis ornetur, atque etiam, vt ipsa ciuitas amplietur, nec vlla ædificia tollantur: sed quæ sunt vetustate sublapsa, reparentur in melius. Est autem huius domus conditio talis. Legauerat eam Claudius Polyenus Claudio Cæsari, iusseratque in peristylio templum ei fieri, reliqua ex domo locari, ex quo redditum aliquandiu ciuitas percepit: deinde paulatim, partim spoliata, partim neglecta, cum peristylio domus tota collapsa est: ac iam penè nihil ex ea nisi solum superest; quod tu domine siue donaueris ciuitati, siue venire iusseris propter oportunitatem loci, pro summo munere accipiet. Ego, si permiseris, cogito in area vacua balineum collocare: eum au-

tem locum in quo ædificia fuerunt, exhedra & porticibus amplecti, atque tibi consecrare, cuius beneficio elegans opus dignúmque nomine tuo fiet. Exemplar testamenti, quanquam mendosum, misi tibi, ex quo cognosces, multa Polyænum in eiusdem domus ornatum reliquisse, quę vt domus ipsa, perierunt: à me tamen in quantum potuerit, requirentur.

TR. PLINIO S. 76

POssumus apud Prusenses area ista cum domo collapsa, quam vacare scribis, ad extructionem balinei vti. Illud tamen parum expressisti, an ædes in peristylio Claudio facta esset. Nam si facta ædes esset, licèt collapsa sit, religio eius occupauit solum.

C. PLIN. TR. IMP. S. 77

POstulantibus quibusdam vt de agnoscendis liberis restituendísque natalibus, & secundùm epistolam Domitiani scriptam Minutio Rufo, & secundùm exempla proconsulum ipse cognoscerem: respexi ad senatusconsultum pertinens ad eadem genera causarum quod de his tantùm prouinciis loquitur, quibus proconsules præsunt, ideóque rem integram distuli, dum tu domine præceperis quid obseruare me velis.

TR. PLINIO S. 78

SI mihi senatusconsultum miseris quod hæsitationem tibi fecit, æstimabo an debeas cognoscere de agnoscendis liberis, & natalibus suis restituendis.

C. PLIN. TR. IMP. S. 79

IVlius, domine, Largus ex Ponto, nondum mihi visus, ac ne auditus quidem, sed iudicio tuo credens, dispensationem quandam mihi erga te pietatis suæ ministeriúmque mandauit. Rogauit enim testamento vt hæreditatem suam adirem, cernerémque: ac deinde perceptis quinquaginta millibus nũmũm, reliquum omne Heracleotarum & Theanorum ciuitatibus redderem: ita vt esset arbitrij mei vtrum opera facienda quæ honori tuo consecrarentur putarem, an instituendos quinquennales agonas, qui Traiani appellentur. Quod in notitiam tuam perferendum existimaui, ob hoc maximè, vt dispiceres quid eligere debeam.

TR. PLINIO S. 80

IVlius Largus fidem tuam, quasi te bene nosset, elegit. Quid ergo potissimùm ad perpetuitatem memoriç eius faciat secundùm cuiusque loci cõditionem, ipse dispice, & quod

optimum existimaueris, insequere.

C. PLIN. TR. IMP. S. 81

PRouidentissimè, domine, fecisti, quòd præcepisti Calphurnio Macro, clarissimo viro, vt legionarium centurionem Byzantium mitteret. Dispice an etiam Iuliopolitanis simili ratione consulendum putes: quorum ciuitas, cùm sit perexigua, onera maxima sustinet, tantóque grauiores iniurias, quanto est infirmior, patitur. Quicquid autem Iuliopolitanis præstiteris, id etiam toti prouinciæ proderit. Sunt enim in capite Bithyniæ, plurimísque per eam commeantibus transitum præbent.

TR. PLINIO S. 82

EA conditio est ciuitatis Byzantiorum, confluente vndique in eam commeatium turba, vt secundùm consuetudinem præcedentium temporum, honoribus eius, præsidio centurionis legionarij consulendum habuerimus: si Iuliopolitanis succurrendum eodem modo putauerimus, onerabimus nos exemplo. plures enim tanto magis eadem requirent, quanto infirmiores erunt. Tibi eam fiduciam diligentiæ habeo, vt credam te omni ratione id acturum, ne sint obnoxij iniuriis. Siqui autem se contra disciplinam meam gesserint, statim coërceantur: aut si plus admiserint quàm vt in re præsenti sit satis,

puniantur si milites erunt, legatis eorum quæ deprehenderis, notum facies: aut si in vrbem versus venturi erunt, mihi scribes.

C. PLINIVS TR. IMP.
S. 83

CAutum est, domine, Pompeia lege, quæ Bithynis data est, nequis capiat magistratum, néve sit in senatu minor annorum xxx. eadem lege comprehensum est, vt qui ceperint magistratum, sint in senatu. sequutum est dein edictum diui Augusti, quo permisit minores, magistratus ab annis duobus & viginti capere. Quæritur ergo an qui minor xxx. annorum gessit magistratus, possit à censoribus in senatum legi, &, si potest, an ex iis quoque qui non gesserint, possit quis per eandem interpretationem ab ea ætate senator legi, à qua illis magistratum gerere permissum est. quod alioqui factitatum adhuc, & esse necessarium dicitur: quia sit aliquanto melius, honestorum hominum liberos, quàm è plebe in curiam admitti. Ego à destinatis censoribus quid sentirem interrogatus, eos quidem qui minores xxx. annis gessissent magistratum, putabam posse in senatum, & secundùm edictum Augusti, & secundùm legem Pompeiam, legi: quoniam Augustus gerere magistratus minoribus annis xxx permisisset, lex senatorem esse voluisset, qui gessisset magistratum. De his autem qui non gessissent, quamuis essent ætatis eiusdem cuius illi quibus gerere permissum est, hæsitabam. Per quod effectum est vt te

domine, consulerem quid obseruari velles. Capita legis, tum edictum Augusti, literis subieci.

TR. PLINIO S. 84

INterpretationi tuæ, mi Secunde charissime, idem existimo hactenus edicto diui Augusti nouatam esse legem Pompeiam, vt magistratum quidem capere possent ij qui non minores duorum & viginti annorum essent: & qui accepissent, in senatum cuiusque ciuitatis peruenirent. Cæterum, non capto magistratu, eos qui minores xxx. annorum sint quia magistratum capere possint, in curiam etiam loci cuiusque non existimo legi posse.

C. PLIN. TR. IMP. S. 85

QVum Prusæ ad Olympum, domine, publicis negotiis intra hospitium, eodem die exiturus vacarẽ, Asclepiades magistratus indicauit, appellatum me à Claudio Eumolpo, quum Coccianus Dion in bule assignari ciuitati opus cuius curam egerat, vellet: tum Eumolpus assistens Flauio Archippo dixit, exigendam esse à Dione rationem operis antequam reip. traderetur, quòd aliter fecisset ac debuisset. Adiecit etiam, esse in eodem opere positam tuam statuam, & corpora sepultorum, vxoris Dionis, & filiorum: postulauitque vt cognoscerẽ pro tribunali. Quod quum ego me protinus facturum, dilaturúmque

profectionem dixissem, vt longiorem diem ad instruendam causam darem, vtque in alia ciuitate cognoscerem, petiit. Ego me auditurum Niceæ, respondi: vbi quum sedissem cogniturus, idem Eumolpus, tanquam adhuc parum instructus, dilationem petere cœpit: contrà Dion, vt audiretur exigere: Dicta sunt vtrinque multa, etiam de causa: ego quum dandam dilationem & consulendum existimarem in re ad exemplum pertinenti, dixi vtrique parti vt postulationum suarum libellos darent. Volebam enim te, ipsorum potissimùm verbis, ea quæ erant proposita recognoscere. Et Dion quidem se daturum dixit: & Eumolpus respondit, complexurum se libello, quę reipublicę peteret. Cæterùm, quod ad sepultos pertinet, non accusatorem se, sed aduocatum Flaui Archippi, cuius mandata pertulisset, Archippus, cui Eumolpus sicut Prusæ assistebat, dixit se libellum daturum: ita nec Eumolpus, nec Archippus, quamplurimis diebus expectati, adhuc mihi libellos dederunt: Dion dedit, quem huic epistolæ iunxi. Ipse in re præsenti fui, & vidi tuam quoque statuam in bibliotheca positam. Id autem, in quo dicuntur sepulti filij eius, & vxor Dionis, in area collocatum, quæ porticibus includitur. Te domine rogo vt me in hoc præcipuè genere cognitionis regere digneris, cùm alioqui magna sit expectatio, vt necesse sit in ea re quæ & in confessum venit, & exemplis defenditur, deliberare.

TR. PLINIO S. 86

POtuisti non hærere, mi Secunde chariſſime, circa id de quo me conſulendum exiſtimaſti, cùm propoſitum meum optimè noſſes, non ex metu nec terrore hominum, aut criminibus maieſtatis reuerentiam nomini meo acquiri. Omiſſa ergo ea quęſtione quam non admitterem, etiamſi exemplis adiuuaretur, ratio totius operis effecti ſub cura tua Cocceiano Dione excutiatur, cùm & vtilitas ciuitatis exigat, nec aut recuſet Dion, aut debeat recuſare.

C. PLIN. TR. IMP. S. 87

ROgatus, domine, à Nicenſibus publicè per ea quæ mihi & ſunt & debent eſſe ſanctiſſima, id eſt per æternitatem tuam ſalutémque, vt preces ſuas ad te perferrem, fas non putaui negare: acceptúmque ab his libellum, huic epiſtolæ iunxi.

TR. PLINIO S. 88

NIcenſibus, qui inteſtatorum ſuorum cōceſſam vindicationem bonorum à diuo Auguſto affirmant, debebis vacare, contractis omnibus perſonis ad idem negotiū pertinentibus, adhibitis Virdio Gemellino, & Epimacho, liberto meo, procuratoribus,

vt, æstimatis etiam iis quę contradicuntur, quod optimum credideritis, statuatis.

C. PLIN. TR. IMP. S. 89

OPto, domine, & hunc natalem, & plurimos alios quamfelicissimos agas: æternáque laude florentem virtutis tuæ gloriam & incolumis & fortis aliis super alia operibus augeas.

TR. PLINIO S. 90

AGnosco vota tua, mi Secunde charissime, quibus precaris vt plurimos & felicissimos natales, florente statu reipub. nostræ agam.

C PLIN. TR. IMP. S. 91

SInopenses domine aqua deficiuntur, quæ videtur & bona & copiosa ab sextodecimo milliario posse perduci. Est tamen statim ab capite paulo ampliùs mille passibus locus suspectus & mollis, quem ego interim explorare modico impendio iussi an recipere & sustinere opus possit. Pecunia curantibus nobis contracta non deerit, si tu domine, hoc genus operis & salubritati & amœnitati valdè sitientis coloniæ indulseris.

TR. PLIN. S. 92

VT cœpisti, Secunde chariſſime, explora diligenter an locus ille quem ſuſpectum habes, ſuſtinere opus aquæductus poſſit. Neque enim dubitandum puto quin aqua perducenda ſit in coloniam Sinopenſem, ſi modò & viribus ſuis ipſa id aſſequi poteſt, cùm plurimum ea res & ſalubritati & voluptati eius collatura ſit.

C. PLIN. TR. IMP. S. 93

AMiſenorum ciuitas & libera & fœderata beneficio indulgētiæ tuæ legibus ſuis vtitur: in hac datum mihi publicè libellum ad Eranos pertinentem, his literis ſubieci, vt tu domine, diſpiceres quid & quatenus aut permittendum aut prohibendum putares.

TR. PLINIO S. 94

AMiſenos, quorum libellum epiſtolæ tuæ iunxeras, ſi legibus iſtorum quibus de officio fœderis vtuntur, conceſſum eſt Eranos habere, poſſumus quominus habeāt non impedire, eo faciliùs, ſi tali collatione non ad turbas & illicitos cœtus, ſed ad ſuſtinendam tenuiorum inopiam vtuntur. In cæteris ciuitatibus quæ noſtro iure obſtrictæ ſunt, res huiuſmodi prohibenda eſt.

C. PLIN. TR. IMP.
S. 95

SVetonium Tranquillum, probiſſimum, honeſtiſſimum, erudiriſſimum virum, & mores eius ſequutus & ſtudia, iampridem, domine, in contubernium aſſumpſi: tantóque magis diligere cœpi, quanto hunc propiùs inſpexi. Huic ius trium liberorum neceſſarium faciunt duæ cauſæ. Nam & iudicia amicorum promeretur, & parum felix matrimonium expertus eſt: impetrandúmque à bonitate tua per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegauit. Scio, domine, quantum beneficium petam, quod peto à te, cuius in omnibus deſideriis meis pleniſſimam indulgentiam experior. Potes autem colligere quantopere cupiam, quod non rogarem abſens, ſi mediocriter cuperem.

TR. PLIN. S. 96

QVàm parcè hæc beneficia tribuam, vtique mi Secunde chariſſime, hæret tibi, cùm etiam in ſenatu affirmare ſoleam, non exceſſiſſe me numerum quem apud ampliſſimum ordinem ſuffecturum mihi profeſſus ſum: tuo tamē deſiderio ſubſcripſi; & vt ſcias dediſſe me ius trium liberorum Suetonio Tranquillo ea conditione qua aſſueui, referri in commentarios meos iuſſi,

C. PLIN. TR. IMP.

S. 97

SOlenne est mihi, domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideo nescio quid & quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitaui sítne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant: detúrne pœnitentiæ venia, an ei qui omnino Christianus fuit, desisse nón prosit: nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in iis qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum sequutus modū. Interrogaui ipsos an essent Christiani: confitentes, iterum ac tertiò interrogaui, supplicium minatus: perseuerantes, duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset quod faterentur: peruicaciam certè, & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alij similis amentiæ: quos, quia ciues Romani erant, annotaui in vrbem remittendos: mox ipso tractu, vt fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine autore, multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos, aut fuisse, quum præeunte me deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent: prætereà maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse

dicuntur, qui ſunt re vera Chriſtiani. Ergo dimittendos putaui. Alij ab indice nominati, eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negauerunt: fuiſſe quidem, ſed deſiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, nõ nemo etiã ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam, deorúmque ſimulacra venerati ſunt, ij & Chriſto maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpę ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire: carménque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum inuicem: ſéque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe: rurſúſque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium: quod ipſum facere deſiſſe poſt edictum meum, quo ſecundùm mandata tua hetærias eſſe vetueram. Quo magis neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni, quàm ſuperſtitionem prauam & immodicam. ideóque dilata cognitione ad conſulendum te decucurri. Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim, omnis ætatis, omnis ordinis, vtriuſque ſexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantùm, ſed vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio peruagata eſt, quæ videtur ſiſti & corrigi poſſe. Certè ſatis cõſtat, propè iam deſolata templa cœpiſſe celebra-

ri,& ſacra ſolennia diu intermiſſa repeti: paſſimque venire victimas, quarum adhuc rariſſimus emptor inueniebatur. ex quo facile eſt opinari quæ turba hominum emendari poſſit, ſi ſit pœnitentiæ locus.

TR. PLINIO. S. 98

ACtum quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es. Neque enim in vniuerſum aliquid, quod quaſi certam formã habeat, conſtitui poteſt. Conquirendi non ſunt: ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt. ita tamen vt qui negauerit ſe Chriſtianũ eſſe, idque re ipſa manifeſtum fecerit, id eſt ſupplicando diis noſtris, quãuis ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine autore verò propoſiti libelli, nullo crimine locum habere debent. nam & peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt.

C. PLIN. TR. IMP. S. 99

AMaſtrianorum ciuitas, domine, & elegãs & ornata, habet inter præcipua opera pulcherrimam, eãdémque longiſſimam plateam: cuius à latere per ſpatium omne porrigitur nomine quidem flumen, re verò, cloaca fœdiſſima: quæ ſicut turpis & immundiſſima aſpectu, ita peſtilẽs eſt, odore teterrimo. Quibus ex cauſis, nõ minus ſalubritatis quàm decoris intereſt eam cõtegi: quod fiet, ſi permi-

ſeris, curantibus nobis ne deſit quoque pecunia operi tam magno quàm neceſſario.

TR. PLIN. S. 100

RAtionis eſt, mi Secunde chariſſime, contegi aquam iſtam quæ per ciuitatem Amaſtrianorum fluit, ſi detecta ſalubritati obeſt. Pecunia ne huic operi deſit, curaturum te ſecundùm diligentiam tuam certum habeo.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 101

VOta, domine, priorum annorum nuncupata alacres lætíque perſoluimus, nouáque rurſus, curante commilitonum & prouincialium pietate, ſuſcepimus: precati deos vt te rémque publicam florentem & incolumem ea benignitate ſeruarent, quam ſuper magnas plurimáſque virtutes præcipua ſanctitate conſequi deorum honore meruiſti.

TR. PLINIO S. 102

SOluiſſe vota diis immortalibus, te præeunte, pro mea incolumitate, & commilitones cum prouincialibus lætiſſimo conſenſu, in futurúmque nuncupaſſe, libenter, mi Secunde chariſſime, cognoui literis tuis.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 103

DIem in quem tutela generis humani feliciſſima ſucceſſione tranſlata eſt, debita religione celebrauimus, commendantes diis, imperij tui autoribus, & vota publica & gaudia.

TR. PLINIO S. 104

DIem imperij mei debita lætitia & religione à commilitonibus & prouincialibus, præeunte te, celebratum, libenter, mi Secunde chariſſime, cognoui literis tuis.

C. PLIN. TR. IMP. S. 105

VAlerius, domine, Paulinus, excepto vno, ius Latinorum ſuorum mihi reliquit: ex quibus rogo tribus interim ius Quiritium des. Vereor enim ne ſit immodicum, pro omnibus pariter inuocare indulgentiam tuam, qua debeo tanto modeſtiùs vti quanto pleniorem experior. Sunt autem pro quibus peto, C. Valerius Æſtiæus, C. Valerius Dionyſius, C. Valerius Aper.

TR. PLINIO S. 106

CVm honeſtiſſimè iis qui apud fidem tuã à Valerio Paulino depoſiti ſunt, conſultum velis, maturè per me, iis interim quibus nunc petiiſti, vt ſcias dediſſe me ius Quiritium, referri in commentarios meos iuſſi, idem facturus in cæteris pro quibus petieris.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 107

ROgatus, domine, à P. Accio Aquila, centurione cohortis sextæ equestris, vt mitterem tibi libellum per quem indulgentiam pro statu filiæ suæ implorat, durum putaui negare, cùm scirem quantam soleres militum precibus patientiam humanitatémque præstare.

TR. PLIN. S. 108

LIbellum P. Accij Aquilæ, centurionis cohortis sextę equestris, quem mihi misisti, legi: cuius precibus motus dedi filiæ eius ciuitatem Romanam. Libellum rescripti, quem illi redderes, misi tibi.

C. PLIN. TR. IMP.

S. 109

QVid habere iuris velis & Bithynas & Ponticas ciuitates in exigẽdis pecuniis quæ illis vel ex locationibus, vel ex vẽditionibus, aliisve causis debeantur, rogo domine, rescribas. Ego inueni, à plerisque proconsulibus cõcessam eis protopraxiam, eámque pro lege valuisse: existimo tamen tua prouidentia constituendum aliquid & sanciendum, per quod vtilitatibus eorum in perpetuum consulatur. Nam quæ sunt ab aliis instituta, sint licet sapienter indulta, breuia tamen & infirma sunt, nisi illis tua contingat autoritas.

TR. PLIN. S. 110

QVo iure vti debeant Bithynæ vel Ponticę ciuitates in iis pecuniis quę ex quaque causa reipublicæ debebuntur, ex lege cuiusque animaduertendum est. nam siue habent priuilegium quo cæteris creditoribus anteponantur, custodiendum est: si verò non habent, in iniuriam priuatorum id dari à me non oportebit.

C. PLIN. TR. IMP.
S. 111

ECdicus, domine, Amisenorum ciuitatis petebat apud me à Iulio Pisone denariorum circiter X L. millia, donata ei publicè ante X X annos, & bule & ecclesia consentiente: vtebatúrq; mádatis tuis, quibus eiusmodi donationes vetantur: Piso contrà, plurima se in remp. contulisse, ac propè totas facultates erogasse dicebat. addebat etiam temporis spatium, postulabátque ne id quod pro multis & olim accepisset, cum euersione reliquæ dignitatis reddere cogeretur. Quibus ex caussis integram cognitionem differendam existimaui, vt te domine, consulerem quid sequendum putares.

TR. PLINIO. S. 112

SIcut largitiones ex publico fieri mandata prohibent, ita, ne multorum securitas subruatur, factas ante aliquantum tem-

poris retractari atque in irritum vindicari nõ oportet. Quicquid ergo ex hac causa actum ante viginti annos erit, omittamus. Non minus enim hominibus cuiusque loci quam pecuniæ publicæ consultum volo.

C. PLIN. TR. IMP.
S. 113

LEx Pompeia, domine, qua Bithyni & Pontici vtuntur, eos qui in bulen à censoribus leguntur, dare pecuniam non iubet: sed iis quos indulgentia tua quibusdam ciuitatibus super legitimum numerum adiicere permisit, & singula millia denariorum & bina intulerunt. Anicius deinde Maximus proconsul eos etiam qui à censoribus legerentur, duntaxat in paucissimis ciuitatibus aliud aliis iussit inferre. Superest ergo vt ipse dispicias an in omnibus ciuitatibus certum aliquid omnes qui deinde buleutæ leguntur, debeant pro introitu dare. nam quod in perpetuum mansurum est, à te constitui decet, cuius factis dictisque debetur æternitas.

TR. PLINIO S. 114

HOnorarium decurionatus omnes qui in quaque ciuitate Bithyniæ decuriones fiunt, inferre debeant néc ne, in vniuersum à me non potest statui. Id ergo quod semper tutissimum est, sequendam cuiusque ciuitatis legem puto, scilicet aduersus eos qui inuiti fiunt decuriones existimo id acturos, vt erogatio cæteris præferatur.

C. PL.

C. PLIN. TR. IMP.
S. 115

LEge, domine, Pompeia permiſſum Bythynicis ciuitatibus adſcribere ſibi quos vellent ciues, dum ciuitatis non ſint alienæ, ſed ſuarum quiſque ciuitatum quæ ſunt in Bithynia: eadem lege ſancitur, quibus de cauſis è ſenatu à cenſoribus eiiciantur, inter quas nihil de ciue alieno cauetur. Inde me quidam ex cenſoribus conſulendum putauerunt an eiicere deberent eum qui eſſet alteri⁹ ciuitatis. Ego, quia lex ſicut adſcribi ciuem alienũ vetabat, ita eiici è ſenatu ob hanc cauſam non iubebat: præterea quia ab aliquibus affirmabatur mihi in omni ciuitate plurimos eſſe buleutas ex aliis ciuitatib⁹, futurúmque vt multi homines multæque ciuitates concuterentur ea parte legis quæ iampridem conſenſu quodam exoleuiſſet; neceſſarium exiſtimaui conſulere te quid ſeruandum putares. Capita legis his literis ſubieci.

TR. PLINIO
S. 116

MEritò hæſiſti, Secunde chariſſime, quid à te reſcribi oporteret, cenſoribus conſulentibus an legerent in ſenatum aliarum ciuitatum, eiuſdem tamen prouinciæ, ciues. nam & legis authoritas, & longa conſuetudo vſurpata cõtra legem, in diuerſum mouere te

bus ipſe moderareris : & ea conſtituas quæ ad perpetuam eius prouinciæ quietem eſſent profutura.

C. PLIN. TR. IMP. S 119

Athletæ, domine, ea quæ pro Iſelaſticis certàminibus conſtituiſti, deberi ſibi putant ſtatim ex eo die quo ſunt coronati. Nihil enim referre, quando ſint patriam inuecti, ſed quando certamine vicerint, ex quo inuehi poſſint. Ego contrà ſcribo Iſelaſticorum nomine. itaque eorum vehementer addubitem an ſit potius id tempus quo εἰσήλασαν intuendum. Iidem obſonia petunt pro eo agone qui à te Iſelaſticus factus eſt, quanuis vicerint antè quàm fieret. Aiunt enim congruens eſſe, ſicut non datur ſibi pro his certaminibus, quæ eſſe Iſelaſtica, poſtquam vicerunt, deſierunt : ita pro iis dari quæ eſſe cœperunt. Hîc quoque non mediocriter hæreo, ne cuiuſquam retrò habeatur ratio : dandúmque quòd tunc quum vincerent, non debebantur. Rogo ergo vt dubitationem meam regere, id eſt, beneficia tua interpretari ipſe digneris.

TR. PLINIO S. 120

Iselasticum tũc primùm mihi videtur incipere deberi, quum quis in ciuitatem suam ipse εἰσελάσειν. Obsonia eorum certaminum quæ Iselatica esse placuit mihi si ante Iselatica non fuerunt, retrò non debentur. nec proficere pro desiderio athletarum potest, tam eorum quæ postea Iselastica lege constitui, quàm quum vincerent esse desierunt. Mutata enim conditione certaminum, nihilominus quæ antè perceperant, non reuocantur.

C. PLIN. TR. IMP. S. 121

Vsque in hoc tẽpus, domine, neque cuiquã diplomata commodaui, neque in rem vllam, nisi tuam misi, quam perpetuam seruationem meam quædam necessitas rupit. Vxori enim meæ, audita morte aui, volẽti ad amitam suam excurrere, vsum eorum negare durum putaui, cùm talis officii gratia in celeritate consisteret: scirémque te rationem itineris probaturum, cuius causa erat pietas. Hæc scripsi, quia mihi parum gratus tibi fore videbar, si dissimulassem inter alia beneficia hoc vnum quod me debere sciebam indulgentiæ tuæ, quod fiducia eius, quasi consulto te non dubitaui facere: quem si cõsuluissem, serò fecissem.

TR. PLINIO S. 122

MEritò habuisti, Secunde charissime, fiduciam animi mei: nec dubitandum fuisset, si expectasses donec me consuleres an iter vxoris tuæ diplomatibus, quæ officio tuo dedi, adiuuandum esset, vsum eorum intentioni non profuisse, cùm apud amitam suam vxor tua deberet etiam celeritate gratiam aduentus sui augere.

FINIS.

IN CAI PLINII SECVNDI NOVOCOMENSIS EPISTOLARVM libros decem,

& ad eas

NOTAE, & emendationes noua hac editione factæ ampliores.

Auctore CLAVDIO MINOE, *Iurisc.*



PARISIIS,

Apud ROBERTVM MICARD, in Clauso Brunello, sub signo Bonæ Intentionis.

1598.

Cum gratia & Priuilegio Regis.

CLAVD. MINOS
I. C. LECTORI S.

NVNQVAM putassem, benigne Lector, in iis Plinij Secundi Epistolis mihi tantum laboris ac tædij fuisse perferendum, quas decies & eò plus cùm lego, ac relego, & singula mihi videor animo atque oculis collustrasse, quædam tamen haud dubiè supersunt in quibus castigandis eruditi homines curam vel iudicium desiderent. Equidem satis habui primò summatim quæ ad doctrinam morum conferrent, & ad antiquitatis rationem facerent, vt leui brachio, quod nostri aiunt, & κατὰ πόδας attingere: nec tamen lectionum varietatem prætermittere habui, quam ita video quibusdam magni fieri; vt qui eam negligat, habeatur indoctior. In eo si quid vigiliarum impenderim, quod neque ostentare pudor meus patitur; neque pluris facere quàm deceat: si quid, inquam, sit à me collatum studij, vel ingenij, quod sentio quàm sit exiguum; velim primas haberi gratias ornatissimo viro D. CLERICO, Diui CHRISTOPHORI ad Siluanectum Antistiti, cuius vnius auspiciis, & librum euolui diligenter, & ad fidem aliquot manuscriptorum codicum emendare sum conatus; quin & ad calcem

Notas qualescunque & obseruationes meas adiunxi. Quod insti uti operis cùm penè ad vmbilicum perduxissem, vltro mihi oblatus est liber manuscriptus ab HADRIANO DANESIO,*optimo adolescente, quem propter studiorum Iuris communionem valdè diligo: eum librum non quidem ille rogatus à me, sed vt in me est egregiè affectus, vtendum accepit à Nicolao* FAVIERIO,*supremi senatorij ordinis cõsiliario, patris optimi Fauierij filio, qui codex eò mihi gratior obtigit, quòd vti ex indice statim obseruaui, petitus esset è bibliotheca* FRANCISCI OLIVARII, *non ita pridem Galliarum Cancellarij: ex cuius libri lectione & collatione cum meis laudatißimi, quam fateor mihi operosam extitisse, quædam puto sanéque multa obseruasse, quæ non sunt in vulgatis; non pauca etiam adnotasse, quæ ad auctoris adeò lepidi, certéque laudati aliquem non pœnitendum nitorem pertineant. Vt enim eorum quæ ab aliis acceperim, me gratum esse ac memorem haberi percupio, ita velim suam haberi meritam gratiam iis, qui quasi languescenti mihi, defeßóque frigidam suffuderunt, vt opus inchoatum, vel quod fateor ingenuè, operis aliquod rude & impolitum specimen ad finem aliquem perduceretur. Ad quod demum perficiendum, exornandúmque, si qui sunt ex eruditiorum numero qui plus ocij & studij conferre volent, id ita mihi gratum fore profiteor, vt ij vel sine aliqua noui operis denunciatione, si quid afferant melius, per me palmam ferant: nec enim publicis vtilitatibus mei vnius causa velim praiudicatum: nec bonum debeo aliis inuidere quo ipse careo. Cùm sit itaque palma in medio posita, eam arripiat, qui poterit: mihi non parum erit aliis tradidisse lampada, & quasi restitantes animos quo-*

quo meo cursu ad hoc honestum certamen excitasse. Nec enim ex hac mea vel contentione, vel industria plus mihi laudis ac gloriæ deposco, quàm quod sponte delaturi sint litterati, & candidi æstimatores, qui qua sunt ingenij comitate, & ingenua liberalitate, multo plus donare solent quàm debeant; eá que sunt naturæ bonitate, vt nec ipsi sua ostentent stu lia, aut aliena reprehendant. In cæteris opinor, nullus adeò ceruicosus, aut rigidus est futurus censor, qui meum iudicium desideraturus sit in auctoris castissimi delectu: hoc enim vno an alius grauior sit & elegantior, an modestior, pudiciórve vel ad mores, vsúmque rerum pulcherrimarum accommodatior, nemo in dubium reuocauit. Id ego pluribus augere verbis non video quàm necesse sit: nempe quod loquor, res ipsa satis arguit; alioqui mero suapte natura generoso hedera nihil opus, & genium victurus iste liber pridem suum habet, vt nihil prædicatione mea indigeat. Impensus autem per me labor, dum probetur eruditis, & non infacetis, non libero: & si quid excesserim, aut defecerim, admonitus meliora cudam, intereáque, quod offertur, aut legent, aut etiam profectò non negligent.

Nec verò hîc grauatè ferent instituti huius meirationem, qui nihil habuerim prius, quàm vt, paucis admodum exceptis, quæ multa prouidè & grauiter, acutéve, multa maturè, & opportunè, multa disertè, passímque sapienter ab eloquenti homine Plinio dicta essent, ego, cui auctoris impensissimè placeat, ad morum maximè cultum, & vetustatis memoriam aliquam succinerem. Id quia certò scio gratum fore iis, apud quos rerum meliorum cognitio, morúmque doctrina potior est, non erit quod verear aliorum quorundam sinisteritatem (placet enim Plinianum verbum, vt nullum aliud mihi oc-

currat opportunius) qui nihil quàm membranas somniant; à quibus, tanquam à tripode pendere gestiant, iidémque asseuerare audent nullam satis exactam, politámque doctrinam peti posse quàm à manuscriptis. Ego cùm iis eo nomine non sum manus conserturus, veteres & manu exaratos libros amplexor: canámque, vt ita loquar, doctrinam suspicio & veneror: sed studium λογοδαιδαλίας *immodicum, & grammaticam istam sapientiam quæ tota in verbis posita est, valere iubeo: quanquam id videant huius seculi cachoethes, vt, quod de suo queritur grauissimè Seneca, pro philosophia iam in pretio philologia sit, vt non nisi grammaticè spirent qui se totos studio rerum deberent adiungere. Nec me profectò latet, non aspernandam codicum membranis descriptorum auctoritatem, sed non ita superstitiosè iis hærendum, vt ab iis semper, tanquam à veridico aliquo oraculo pendeamus. Quoties enim vel truncatas voces, & contortas sententias offendimus? quoties in loca mutila, in quasdam ineptas metatheses, quibus sententia quæuis pulcherrima inuertitur, aut conturbatur, incidimus? quàm denique secum membranæ istæ ab aliis dissident? Iudicio ergo opus est, eóque bene sano, & subacto ingenio, vt si in re, de qua nondum liquet, dandus sit aliquis coniecturæ locus, id non nisi maturè, consultóque fiat, adeò vt post ancipitem diuinandi aleam, is qui meliùs coniecerit, vates optimus habeatur. Verùm vt istas litteratorum hominum lites missas faciamus, ex eo quod aliquo meo studio sum molitus, nihil amplius opto, quàm vt ex aureis istis, cordatissimi, & quod vident omnes, elegantissimi, adde etiam, ex quo in deliciis haberi debet, pudicissimi scriptoris epistolis adolescentes fiant meliores, & qui sunt iudicio vel ætate matu-*

riore, voluptatem hinc non minimam, frugémque percipiant. Et quid tandem? parum admodum, aut nihil prorsus doctrina mihi vel cum Plinio meo æstimanda, quæ sine moribus instillatur: ideóque malim sine exquisita ista doctrina mores, quàm sine moribus doctrinam ostentari: quæ duo qui inseparabili vinculo consociant, soli ex omnibus rectè sapiunt.

Ad rationem ac consilium epistolarum scribendarum, hic à nobis postremus addatur calculus, nimirum scribendi hoc genus, quod solutum inprimis ac liberum est veteribus multis in vsu habitum, vel ad suas cogitationes æqualibus ac superstitibus committendas, & posteris etiam cum fructu relinquendas: sed ex iis non omnes eodem vsi consilio, cùm alij necessariis amicorum vel suis etiam rebus inseruirent, epistolas videntur conscripsisse sicuti Plato & Isocrates, & quæ circunferuntur sapientum Græciæ nomine, argutæ ac elegantes, vt multæ Ciceronianæ, quæ tum ad rerum vsum, tum styli nitorem pertineant: & sunt aliæ quædam temporibus Christianis propter argumentorum varietatem admirandæ & amplexãdæ, quas patres, ecclesiæ lumina, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, aliíque plures ediderunt, mitto sectarum liuores alioqui exitiosos Christiano nomini, & de quibus aliquid hîc inspergere nihil attinet: doctrinam miramur, sub quocunque pallio non aspernamur. nec enim sunt postremo habendæ loco Libanij rhetoris & Iuliani Cæsaris, vt neque Simmachi epistolæ quæ suos auctores commendant, nec sine voluptate leguntur à studiosis. quin video alios fuisse variis temporibus, quorum epistolæ variæ in manus hominum venere, sicuti nostrorum auorum ætate permulta scriptionum eiusmodi ab Erasmo multis de rebus cõporta-

ne sint in voluminis vnius farraginem, vt necessario quædam acutè & copiosè, sic nonnulla, ausim dicere ambitiosè, nec ad ostentationem potius quæ vir certè πολυμαθὴς, effundere maluit, quàm abiicere. nam & eo genio fuisse putem Angelum Politianum qui eruditionis laude floruit proximo superiore seculo, cuius epistolæ m\[ed]itato stilo circunferuntur, nec sileam Pici Mirandulani viri omni genere laudum cumulati, nec Budei nostri eruditas & graues epistolas certis de rebus expressas; quin & apud philologos suum pretium obtinent, quas ante annos ferè sexaginta Christophorus Longolius, Iacobus Sadoletus, Petrus Bembus, Petrus Bunellus aliique certatim ad æmulationem Tulliani characteris in vulgus emiserunt: de quibus quale iudicium peritorum sit, facilè sileri patior: & non video quàm sit necesse nos diutiùs remorari à Plinianis lautitiis, quæ vel suo pondere ac nitore, vel ipsa rerum beata copia solertes etiam ac graues ingeniosósque detineant.

Sed de his iam satis: tu, Lector humanissime, Plinianis primùm, deinde nostris, si vacat, vtere ac fruere: aut si quid habes exquisitius vtiliúsve, quod non diffido, velim pari candore, animíque propensione mecum ita decertes, vt etiam multis partibus anteuertas, méque tibi daturum sponte manus, ad exornationem tui meum etiam preconium adiungi patiare. Vale.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBROS DECEM, NOTAE ET emendationes.

AD EPISTOLAM I.

EPISTOLA hæc προόδρομος ad ſequentes Epiſtolarum libros, quos hortatu maximè Septitij collegit; apud quē eo nomine pudoris veniam precatur: quanquam haud obſcurè opus id ſuum cōmendet, non oblitus tamen modeſtiæ, cuius hîc, & paſſim ſunt impreſſa non obſcura veſtigia. Epiſtola πρόδρομος.

SEPTITIO] Libri veteres habent *Septimio*, alij *Secundo*, & ſanè lubricum in multis mēdum litteræ pro litera. Is autem ipſe Septitius eſt, ad quem epiſt. 28. lib. 7. & 1. lib. 8.

COLLEGI *non ſeruato temporum ordine: neque enim hiſtoriā componebam*] Ordinis aliqua ratio in componendis epiſtolis exquiritur, vt argumentorū ſanè variorum natura fert: tempus verò non ita anxiè, & quaſi ſuperſtitioſè attenditur. At in ſcribēdis hiſtoriis nihil ſine chronologia, & temporum apta ſerie commodè digeri poteſt. Sanè epiſto- Epiſtolę & hiſtorię ratio diuerſa.

larũ ea varietas eſt, imò & libertas, vt quid-uis in amici ſinum poſſis effundere; interdũ ſeriò & grauiter, nonnunquam iocosè, vel eruditè, exquiſitéque; vel tenuiter & humili dicendi charactere: ſæpe laxis habenis eloquentiæ, ſæpe etiam conciſa & breuiore oratione, vel etiam quicquid in buccam venerit: vt id, quicquid ſit, concipi ſine die & conſule poſſit. Hiſtoria verò tereti dicendi artificio vt plurimùm voluitur, iuxta temporum maximè ordinem, notatíſque locis, in quibus quicquid geſtum, vel cœptum, vel tranſactum eſt.

Scripta noſtra qualiter amicis cõmunicanda.

Svperest *vt te conſilij, nec me pœniteat obſequij*] Vt conciſè hoc ſanè; ita & eleganter: quod paſſim in Plinianis epiſtolis animaduertimus. Monẽti quidem amico, ſi tamen is cordatus eſt, & peritus rerũ æſtimator, ſponte obſequendum; nec verendum hîc ne amicum offendas in nugis, quem vt cenſorem adhibere poſſis. Quorſum enim ſcribis, niſi tua quibuſdam, ſi non omnibus, ſcripta legi & cõmitti velis? Quid tandem?

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

In quo peccare δυσωπίᾳ, hoc eſt inutili quodam & ruſticano pudore, nõ minùs reprehẽditur, quàm φιλαυτίᾳ & nimio amore ſui: media ergo via nobis cõſectanda eſt, qua in medium conferamus quod lucẽ ferre ſine aliquo noſtro incommodo poſſit, & nos poſteris aliquando teſtemur vixiſſe. Id quia in ſequentibus à noſtro Cæcilio Secũdo ſubinde inculcatur, non ita multus ero, alioqui vereor ne Scholiaſtum leges videar interdum excedere.

AD EPISTOLAM 2.

ACTIONEM habitam pro Accia Variola, quam se ad imitationem Demosthenis scripsisse ait, obseruandam vel emendandam permittit Arriano.

ARRIANO] Et in hoc nomine membranæ variant. In aliis enim *Arrio* legitur, in quibusdam, *Adriano*. Fuit hic Arrianus Maturius Altinus eques, ad quem plures epistolæ passim hîc reperiuntur. Meminit & disertis verbis ad Maximum 2. epist. lib. 3.

LIBRVM *quem prioribus epistolis miseram*] Rectiùs *promiseram*, vt in vulgatis etiã, & ita iusseram excudi, sed erratum id obrepsit oscitantibus typographis, vt alia multa eorũ, & nostra fortasse, quæ vel incuria fudit, aut humana parum cauit natura.

TENTAVI *imitari Demosthenẽ semper tuũ*] Id Pliniano candori dandum, quam laudem affectet, modestè in amicum Arrianum cõferat. Bellè, inquit, tentaui: nam assequi vim Demosthenis, ne quidem ipse M. Tullius potuit.

CALVVM *nuper meum*] Fuit is Caius Licinius Caluus, cuius pręterquàm quod Suetonius in Augusto, & Val. Maxim. li. 9. cap. 12. meminerunt, itémque auctor libri de Oratoribus, quem alij Tacito, plerique Fabio Quintiliano tribuunt: *Caluus cùm vnum & viginti libros reliquerit, vix in vna aut altera oratiuncula satisfacit, at in hominum studiosorum manibus versantur orationes, quæ in Vatinium cõ-* Licinius Caluus.

scribuntur, ac præcipuè secunda ex iis oratio. Est enim verbis ornata & sententiis, auribus accommodata iudicum: vt scias quoque Caluum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem, quin melius & sublimius diceret, sed ingeniũ ac vires defuisse. Cicero Caluum exanguem & tritum dicit libr. 15. epist. 21. ad familiares: ille contrà, Ciceronem solutum ac eneruem dicebat, vt testis is de Oratoribus dialogus, quem proximè citaui. Is cum Cicerone de principatu eloquentiæ contendit acerrimè & iniquissimè: testis est Seneca lib. 7. Declam. & 4. Controu. Catullus eum vt Oratorem & Poëtam non semel appellat: versus enim scripsit in Cęsarem, & in Tigellium. Quintil. lib. 10. cap. 1. nonnihil & de eius nimia industria, vt qui manum de tabula ponere non posset.

Schemata figuræ dicendi.

Figvris *orationis*] Σχήμασι, seu orationis luminibus, in quibus explicandis totus est M. Tullius 3. de Orat. multus, & varius, & illustris Oratore ad Brutum: & Fab. lib. 9. cap. 2. & 3. *Atqui figuras & ornatus imitari dicendo, scribendóve non æquè magnum: at vim & dignitatem, hoc est δείνωσιν, quæ in Demosthenis sententiis elucescit, imitari certè ita arduum, vt vel paucis, vel nulli datum fateamur est necesse.* De eo Iuuenalis sic 10. Satyra,

------quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem frena theatri.

Nam *vim tantorum verborum pauci quos æquus amauit, assequi possunt*) Extulit id prouerbiali schemate ad laudationem Demosthenis, ex illo Virgilij in 6. quo loco Sibylla

Æneam ad inferos transeuntem alloquitur,

Hoc opus, hic labor est: pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Dijs geniti potuere.

Quod & ad rem quamcũque difficillimam torquemus. Emendatiùs ita in manuscriptis meis, *nam vim tantorum virorum pauci quos æquus amauit Iuppiter, assequi possunt.*

NEC *materia huic æmulationi, vereor ne improbè dicam repugnauit*) Iudicij fuit ne quid materiæ alioqui tenui, magnificentius & elatius tribueret: quod vitiũ à laudatis Rhetoribus in primis reprehenditur, & ne in id incideret, Cicero, princeps Oratorum diligenter vbique cauit. Elocutio aptanda materiæ.

QVAE *me longæ desidiæ indormientem excitauit, si tamen is sum, qui excitari possim*) Crebræ sunt eiusmodi apud Secundum nostrum parẽtheses, quibus modestè de se sentit, vt nihil, aut parum admodum sibi tribuat: quod videtur ad imitationem Tullij Ciceronis, facere, cujus mores, nedum sententias exprimere conabatur. Modestia Plinij.

NON *tamen omnino Marci nostri τὰς ληκύθους fugimus*] Cicero ad Atticum lecythos accepisse videtur, pro dicendi copia vniformi, vt sunt pigmenta orationis, ornamentáque alia: sicuti & aliàs dixit Isocratis myrothecia, & arculas. Ciceronis λήκυθοι.

QVO *magis intendam*] Alij *incendam*: sed perperam, nisi fallor, alij viderint.

CONFITEBOR *& ipsum me*] Ita vulgati & manuscr. Alij tamen *confiteor* leg.

EST *enim aliquid edendum*] Quanto famæ

& immortalitatis studio teneretur hic noster, ex aliis etiam locis palàm est.

SED *sane blandiantur*] Aliquæ membranæ habent, *Sit sanè, dum per hoc mendacium studia nostra commendent.* Vbi video expunctam vocem, *blandiantur.*

AD EPISTOLAM 3.

A Negotiorum vulgarium sollicitudine Caninium excitat, adscriptionem rerum pulcherrimarum, quæ illum à mortalitate vindicent. Ideo facit Plinius, quia bellum Dacicum à Traiano confectum scribere orsus esset.

Comum. QVID *agit Comum*] Orditur à topographia lõgè venustissima, quæ quasi rẽ oculis subiiciat. De Como Ptolomęus, aliíque: Insubrum ea vrbs ad lacum Larium: nouum Comum Suetonio dicitur. Oppidum id malè Cumam appellari, & incolas Cumanos nos docent eruditi. Cæterùm vt hoc obiter, mihi videtur principium id referre Horatianos numeros,

Quid tibi visa Chios bullati notáq; Lesbos, &c.

QVID *illa porticus verna semper*] In manusc. legitur, *vel porticus verna semp.* De voce porticus quædam ad epist. 17. lib 2.

PLATANVS *opacissima*] Sic legunt eruditi omnes, & eam lectionem confirmant codices manu exarati: nam Platanon opacissimus, nescio quo sensu dicitur, licèt id Cataneus conetur defendere. Sed ad rem. Platanis Platanis ad inumbrationem veteres vsos

esse, locus hic, & aliorum testantur monimenta. Virg. in 4. Georg. vsi veteres ad vmbrã.

Iamq; ministrãtem platanum potantibus vmbrã.

Et Horat. 2. Carm 11.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos
Dum licet, Assyriáque nardo
Potamus vncti?

At de ea bellè Plin. Histor. natur. lib 12. cap. 1. Quis non iure miretur, inquit, arborem vmbræ gratia tantùm ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est per Ionium mare in Diomedis insulam eiusdem tumuli gratia primùm inuecta, inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ, & iam ad Morinos vsque prouecta, ad tribunariũ etiam pertinens solum, vt gentes vectigal, & pro vmbra pendant? Idem lib. 17. cap. 12. quo loco confert vmbriferas alias cum Platano: Iucunda Platani vmbra, quamquam crassa: licet gramini cedat, non soli, haud alia lætiùs operiente toros. Missum facio quòd Cicero disputationem fingit sub Platano cum Scæuola & Crasso de Oratore habitam: quódque eam mero augescere testentur Plin. idem, Martialis, & Sidonius Apollinaris 8. epist.

EVRIPVS *viridis & gemmeus*] Euripum dici per similitudinem nemo vel mediocriter eruditus non videt, pro aquarum inquã exiliore ductu in altum salientium. Cicero initio 2. de Legibus, sic sub Attici persona: Equidem qui nunc primùm huc venerim, satiari non queo, magnificásque villas, & Euripi.

pauimenta marmorea, & laqueata tecta cōtemno. Ductus verò aquarum, quos isti Nilos & Euripos vocant, quis non, cùm hæc videat, irriserit? Hæc ille. Nili verò & Euripi fuerunt aquæductus, & aluei opere sumptuoso facti, qui cōciperent aquam in morem deductam fluuiorum: quódque similitudinem haberēt fluuiorum, & angusti freti, & eos delicati nitidique proceres vocabant Euripos, Nilósque. Quod & sentit Hesychius qui Nilos ait esse δοχὰς ὑδάτων, aquarum cōceptacula: quamquam sunt qui velint Nilorum nomine aquarum ductus maiusculos, siue emissaria intelligi. Scribit Tranquillus Cæsarem spatio circi ab vtraque parte producto in gyrum Euripum addidisse. Idem Dictator in Elephantorū munere Euripis aream circumdedit, ne vt priùs cum populi vexatione eruptionem tentarent. Tertullianus, vt alios longè multos transiliam, sic in Apologetico: Frigebat dæmonum concilium sine sua matre magna; ea itaque illic præsidet Euripo. Et Ausonius,

Nili & Euripi.

Quid memorem Pario cōtectum murmure fontē
Euripi feruente freto?

Mollis *& solida gestatio*] Gestationē fuisse à veteribus tum valetudini, tum etiam voluptati comparatam didicimus ex variis. Plinius noster meminit 17. epist. libri sequentis. Certè Paulus Iurisconſ. gestationē confici ex arboribus tradit, l. competit. 16. quod vi aut clam. Vlpia l. 13. de vsufr. Si fortè voluptati fuit prædium, viridiaria, vel gestationes, vel deambulationes, arboribus infructuosis opacas, atque

Gestatio.

amœnas habens, non debebit deiicere, vt fortè hortos faciat olitorios, vel aliud quod ad reditũ ſpectat. Sic illi. Aſclepiades verò quinque res communium auxiliorum maximè profeſſus, abſtinentiam vini, cibi, frictionem corporis, ambulationem, geſtationes, quæ quiſque ſibi præſtare poſſet intelligeret, ait Plin. nat. hiſt. 26. cap. 3.

Balinevm *illud, quod Sol plurimus implet*] Balineum ſæpiùs quàm balneum dicit Plinius, qua voce promiſcuè veteres vſos nemini puto ignotum eſſe.

Qvid *cubicula diurna nocturnáque*] Emendatior hęc mihi lectio videtur, quàm ſit eorum qui ſic: *Quid popinæ, quid cubicula, &c.* honeſto enim & ingenuo homini Plinio Secundo, cui ſeceſſus placeret ad capiendam animi relaxationẽ, & quæ litterato homine digna eſſet, non puto cupediarum aut popinæ recordatio vſquam inſidebat animo: ergo iſthęc vox, popinę, irrepſit ex officina cuiuſdam nimiùm diligentis. Quod coniectaneum meum & confirmat Seneca epiſt. 52. quemadmodum inter tortores habitare nolim, ſic neque inter popinas quidem videre ebrios per littora errantes, & comeſſationes nauigantium, &c.

Qvid *triclinia illa, vel popularia, vel illa paucorum*] Popularia erant quæ cuique de populo paterent, paucorum verò quæ amicioribus tantùm & delectis ſociis, vt contubernalibus.

Illa *paucorum: quid popinæ? quid cubicula, &c.*] Duæ voculæ hæ, *quid popinæ?* abſunt à manuſcr. quem mihi vtendum dedit vir or-

natiſſimus Fauierius, Senator Regius.

PLVRIMVS *sol*] Seneca in epiſt. hanc vanitatem ridet. Ibi.

------at nunc blattaria vocant, &c.
Epiſt. nempe 86.

TRICLINIA] A tribus lectis ſtratis. Cubile, Cœnaculum, vide Vitruuium lib. 6. cap. 5.

Res domeſticæ ingenium auocant à ſtudiis.

AN *vt ſolebas intentione rei familiaris obeunde*] Mirum, quam rei familiaris cura, & domeſticæ rationes, ingenia etiam fœliciora à rebus alioqui præclaris auocent; & hominis partem meliorem (quod ille ait) quaſi humo affigant.

QVIN *tu, tēpus eſt enim, humiles & ſordidas curas aliis mādas?*] In manuſcript. Fauierij ſic: *quin tu ipſe & ſordidas curas alius mādas?* abſunt autem hæc, *tempus eſt enim*: quæ ab imperito quodam, vel nimium diligenti temerè interiecta. In alio quodam vetere: *quin tu contemnis humiles & ſordidas curas, aliíſque mādas?*

SI *te poßident fœlix, beatúſque es; ſin minùs, vnus ex multis*] Si te amœna iſta loca ſic delectant, vt eorum captus voluptate, tibi viuas, nullis domeſticarum rerum abſtractus moleſtiis, fœlix nō modò, ſed & beatus es: ſin verò minùs, at nimium ad rem attentus, parta rerum pulchritudine, fructúque non caperis, perinde mihi videris atque vnus è multis, vel qui ſemper in augenda feſtinat, & obruitur re, quíque nō plus ſapiat quàm vulgus imperitum, quod ſemper in negotio ſæpius importuno, moleſtóque, nunquam otio, quod obuium habet, fruitur. Sic mihi videtur eſſe planior Secundi noſtri ſenſus: quem

quem ex superioribus eiusdem verbis elicio: An vt solebas intentione rei familiaris obeundæ crebris excursionibus auocaris? Immò & illa priora: Possidéntne te, & per vices partiuntur? Cæterùm duo hæc, Fœlix beatúsque es, dicuntur κατὰ συνωνυμίαν, meo quidem iudicio, quamquam inter vtrumque aliquid sciam interesse; minùs nempe fœlicem esse quàm beatum, vt apud Græcos inter εὐδαίμονας καὶ μακαρίους: quorum alterum ab εὐδαιμονεῖν, quod εὖ ζεῖν, fœliciter viuere dicunt: at alterum deflectunt à μα, particula extensiua, quę valdè significat, & χαίρειν, gaudere. Eodem sensu prorsus accepit Aristot. 1. Rhetor. Apud Latinos tamen non idem: nam beatus ad virtutem, & fortunam interdū spectat: fœlix sæpius ad fortunam. Sic auctor ad Herennium lib. 4. Illi fortuna fœlicitatem dedit: huic industria virtutem comparauit. Pro Sylla: Casu magis & fœlicitate, quàm virtute & consilio gestum est. In Anton. 2. In quo Cæsar fuit fœlicior. Ibidem post: Fuit fœlix, si potest esse vlla in scelere fœlicitas. Item, Fœlix vt sibi videbatur. Sed & in sequentibus, Mea autem sentētia, nemo esse fœlix potest, nisi qui Reipublicę sit fœlix. Quin postea, Suggerebantur sæpè (non enim semper iste fœlix) damna aleatoria, &c. At beati nomē ferè cum virtute accipiunt, vt apud eundem in Catone: Te Cyre beatum ferunt, quoniā virtuti tuæ fortuna coniuncta est. Et Horat. apertissimè Oda 9. lib. 4.

Non possidentem multa vocaueris
Rectè beatum: rectiùs occupet

Felix, beatus.

Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti
Durámque callet pauperiem pati,
Peiúsque letho flagitium timet.

Ad eum certè modũ Seneca virum bonum definit cap. 4. de vita beata: & vitam beatam non esse sine virtute, cap. 10. seq. Nõ me tamen fugit vtrumque id verbum accipi sæpe promiscuè à veteribus. Qua de re nõ plura, iam ad alia me confero.

TEMPVS *est humiles & sordidas curas aliis mandes*] Haud dubiè reprehensio hominis est, vt ad rem plus quàm par esset, attenti, ab Horatio ita monetur Iulius Florus libr. 1. epist. 3.

——— ——— *si tu*
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quò te cœlestis sapientia duceret, ires.

EFFINGE *aliquid*) Lib. manusc. effinge aliud. quod confirmat meam explicationẽ, qua monui, Plinium conari vt amicum à rebus sordidis ad studia meliora reuocet.

Ad famã adhortatio. EFFINGE *aliquid & excude, quod sit perpetuo tuum*) Præclara ad famam nominis comparandam adhortatio. Etenim

———*famam extendere factis,*
Hoc virtutis opus, ait Poëta.

Passim quidem in hoc scriptore obseruamus vehementem famæ propagandæ cupiditatem.

NAM *reliqua rerum tuarum, post te, aliũ atque alium dominum sortientur*) Huc pertinet elegans Luciani de agro Achemenidis tetrastichon, quo docet nihil nobis certum, perpetuúmque esse, sed omnia ad alios transire

Ager Achemenidis.

hæredes; vt rerum quarumuis domini dici non debeamus,

> Ἀγρὸς Ἀχαιμενίδου γενόμην ποτέ, νῦν δὲ
> μενίππου,
> Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον
> Καί τ᾽ ἐκεῖνος ἔχειν με ποτ᾽ ᾤετο καὶ πάλιν
> οὗτος
> Οἴτα εἶμι δ᾽ ὅλως οὐδενὸς ἀλλὰ τύχης.

Horat. 2. Serm. 2. Saty.

> *Nam propriæ telluris herum natura, neque illum*
> *Nec me, nec quenquam statuit: nos expulit ille,* Nihil habemus propriũ aut perpetuum.
> *Illum aut nequities, aut vafri inscitia iuris,*
> *Postremum expellet certè viuacior hæres.*

SCIO *quem animum, quod horter ingenium*) Animum hîc τὸν θυμὸν quod nostrates *courage*: hinc animosum dicimus ad res aggrediundas vel suapte sponte facilem & incitatum. Θυμὸς.

ENITERE *vt tibi ipse sis tanti, quanti videberis aliis, si tibi fueris*] Exquisita ad gloriæ studium adhortatio. Sunt qui nimium demissi ac humiliter de se sentiant, qua opinione cæci. Animo demisso qui.

> *Nil altum sapiunt, nec adhuc sublimia curant,*
> *Vt qui ingenio diffidant suo.*

Sunt qui contrà nimis altum spirent, multúmque absunt ab ea præstantia, quam sibi fingunt: & hi, illíque peccant: sed alij risu digni, alij reprehensione, qui languentem, & desidiosum animum non excitent. Seneca epi. 29. Multò ad rem magis pertinet qualis tibi videaris, quàm qualis aliis. Idem epist. 111. Id age vt sis fœlix, non vt videaris, & vt tibi videaris, non aliis.

AD EPISTOLAM 4

INVITAT Celerinum socerum, ad sua prædia.

Amicitiæ lex.

NON *mehercule tam mea sunt, quæ mea sunt quàm quæ tua*] Id vnum ex amicitiæ officiis, nihil habere proprium, omnia cum amicis habere communia. Quod ipsum noster hic aliis locis: vt lib.5.epist.1.ad fi.& 6.epist.28. item 7. epist. 12.

Ingeniũ seruorũ.

SOLLICITIVS *tui me quàm mei excipiunt*] Aduerte hîc seruorum ingeniũ, ita graphicè depictum, à solerti homine Plinio, vt nihil verius dici, nihil elegantius possit. Bellè dictum olim, Dimidium mentis Iuppiter seruis ademit.

AD EPISTOLAM 5.

NOTATVR insignis improbitas M. cuiusdam Reguli, rabulę seu latratoris forensis, qui malis artibus summas opes adeptus erat Is quia sub malis principibus Nerone & Domitiano scelera multa commiserat, bonisque infensus esset, cum sub imperio Neruæ, Traianique moribus aliis sibi viuendum esse intelligeret, cupiebat imprimis reconciliari Plinio. Huius non semel meminit hic noster, vt lib.2. epist. 11. & 20.lib.4.2.& 7.lib.6.2.quas si quis paulo attentiùs legerit, facile intelliget, quàm malè fuerit animatus Plinius in Regulum hunc

duri oris hominem, loquentem potiùs & obstreperum quàm eloquentem, improbum testamentorum captatorem, &c.

TIMIDIOREM, *humiliorémque post Domitiani mortem*) Improbis ad flagitia nihil omnino deesse potest præter opportunitatem malè agendi. quod Plutarch. disputat in Opusculis. Improbis occasio quid faciat.

SED *tectoria*) Impunitas magna ad peccandum illecebra, ait Tull. in Milon. Quo refert hęc Horatiana in persona nequissimi hominis, ita secum immurmurantis. Impunitas.

Labra mouet metuens audiri, pulchra lauerna,
Da mihi fallere, da iusto, sanctóque videri.

Prætermitto longè pręclarum Tullij locum è 1. de legib. quem me puto iam opportunè illustrasse.

RVSTICI *Aruleni periculum fouerat*] Fides sit penes historicos Dionem, & Tacitum. Arulenus sub Domitiano periclitatus, quia cum philosopharetur, virúmque inculpatissimum Thraseam laudasset: in eum non modò sæuitum est, sed & in libros à se editos: ait Dio. Arulenus Rusticus.

STOICORVM *simiam*] Qui se Stoicam vitam profiteri simularet. Simile quid legisse me memini, Oratione Tullij pro Sestio, vbi Pisonis, simulati hominis vitia exagitat. Stoicorũ simia.

VITELLIANA *cicatrice stigmosum*] Id ad tumultum Vitellianum referre libet. de quo Tacitus lib. histor. priore, & Plutarch. in Vitellio. Vitelliana cicatrix.

LACERAT *Aerennium Senecionem*) Quem iussit interfici Domitianus, quia diu post

quæsturam vixiſſet, nullúmque amplius magiſtratum petiiſſet, quódque Heluidij Priſci vitam conſcripſiſſet, ait Dio.

QVID *tibi cum meis mortuus*) In vet. manuſc. Fauieriano: quid tibi cum eis mortuis? rectè ſanè, & concinniùs. Alij habent: quid tibi cum mortuis?

SENTENTIA *Meti, Modeſti*) Alii, Metij, vtrumque idem. alij, pro Metij, Vectij hab. manuſc. meus, Vecti.

Circumſpectè reſpondendùm captioſo.

VIDES *quod periculum, ſi reſpondiſſem bene: quod flagitium, ſi male*) Vt intēpeſtiuum ſilentium pudorem onerat interdum, ſic importuna reſponſio non rarò de laude iam quæſita meritiſque diminuit. Captioſis itaque hominibus non niſi prudenter & circumſpectè reſpondendū, ne nos vt ſophiſtæ, laqueis & quaſi tendiculis verborum irretiāt.

RESPONDEBO, *inquam*) Cod. manuſc. reſpondebam.

SED *quid de pietate Modeſti ſentias quæro, quæris inquam*) Vet. hab. Sed quid de piet. Mod ſentias. quæris inquam, quid ſentiam? elegantiùs, vt opinor.

Rei iudicatæ auctoritas.

NE *interrogare fas puto, de quo pronunciatum eſt*) Ea nempe rerum iudicatarum auctoritas eſt, vt pro veritate habeantur, Vlpian. l. 25 D de ſtat. hom. adde quòd nunquam ſit obtrectandum magiſtratui, quod vetat Ariſtot. probl. ſect. 29.

NEC *me laqueis tam inſidioſæ interrogationis*) Tam, abeſt à quib. vet. legitúrque, laqueis cùm inſidioſæ.

PERVENIT *ad Spurinnam*) In vet. venit. rectè.

VT *eſt cum timet, abiectiſſimus*) Non tam quòd degeneres animos timor arguat, vt ille ait, quàm qui flagitioſa ſcelerum conſcientia, tanquam aliquo vibice tacti & metuunt, & in metu ipſo abiiciunt animum. Ideo Cic. oratione pro Sylla, vbi de Catilina: Conuerſus aliquando ad timorem, nunquam ad ſanitatem. Improbi hominis metus.

NVNCIVS *à Spurinna: venio ad te*) Vet. cod. nuncius ait: venio ad te. Spurinna. ita leui aliqua mutatione facta ſenſus peruertitur, aut deterior fit.

VT *decebat optimum virum pro diſſimillimè parce*) Al. parce inquiens, intertexta γνώμη aculeum habet certéque morſum amarulentum. Vir probus ſi quando improbo patrocinetur, non poteſt non aliquo rubore tangi, & quodammodo ſuam conſcientiam fidémque obſtringere. Notum id Horatianum monitum:

Qualem commendes etiã atque etiam aſpice, &c.

Sed arguta non minùs quæ Cic. 2. Verr. Nihil aliud, inquit, in eo quod reprehẽdi poſſit, inuenio, niſi quòd homo frugaliſſimus atque integerrimus plenũ ſtupri te hominem, flagitij, ſceleris, domum ſuam inuitauit. Et 4. in eundem: Et quidem iſtius furtis atque flagitiis ita moueor, vt ea reprehendenda tantùm putem; hîc verò tãto dolore afficior, vt nihil mihi ferendum indignius videatur, Verres Africani monumentis domum ſuam plenam ſtupri, plenam flagitij, plenam dedecoris ornabit? Verres temperatiſſimi ſanctiſſimíque viri monumentum, Dianæ ſimulachrũ virginis, in ea domo col

locabit, in qua semper meretricum, lenonúmque flagitia versantur?

Ceterum *potuisse honorificum*) Ceterum puto, vt in vet.

In *Pretoris officio*) Al. indicio; hoc est ipso auditorio, & quasi tribunali.

Potvisse *honorificum existimare*) Al. potiùs honorificum fuisse exist.

Est *mihi cum Cicerone æmulatio, nec sum contentus eloquentia seculi nostri*) Ingenia fœlicia non contenta vulgaribus, sublimia appetunt, &, vt Horat.

Transuolat in medio posita & fugientia captat.

Imitatio. Nam *stultißimum credo ad imitandum non optimá quæque proponere*) Notantur κακόζυλοι, qui vel iam inuentis frugibus, non desinunt glandibus vesci. Quod acriter Cic. reprehendit Oratore ad Brutum. De imitatione locus est longè præclarus, apud Fabium, lib. 10. cap. 2. Vide Senec. epist. 85.

Expallvit *notabiliter, quamuis palleat semper*) Improbissimi animi nota, qui verbo tactus, palleat, quasi seipsum, motu eo animi prodens miserè.

Qvi *se non dißimulet exuli nocere voluisse*) Vet. cod. exuli homini.

Scripsit, *inquit, in epistola quadam*) Manusc. sic: Scripsit inquit epistolam quãdam.

Bipedum nequissimus. Bipedvm *nequißimus*) Id imitatus videtur ex Cicerone pro domo, in Clodium: Hoc tu proscriptore, hoc consiliario, hoc ministro, omnium non modò bipedum, sed etiam quadrupedũ impurissimo Remp. perdidisti. Apud Lamprid. idem torquetur in Heliogabalum. Et Sallust. Iugurtham dicit

omnium hominum quos terra sustineret sceleratissimum. Appul. de asino: sed dudum scilicet omnium bipedum nequissimus Chryseros vigilans.

DVM *Mauricus venit*) Quidam habent, venit.

AD EPISTOLAM. 6.

AD Corn. Tacitum, historicum certè grauissimum, cuius Annalium & historiarum libri non sine admiratione leguntur, hęc epistola scribitur, vt & alię quędam, nempe 20. seq. & rursum 20. lib. 6. &c. Hac verò suadet Cornelio, vt exemplo suo, libris simul & venationi operam det, paritérque ingenium & corpus exerceat: Tacitus respondet, id se non probare: quod idem & Quinctilian. sensit.

STILVS *& pugillares*) Vetustissimum fuisse vsum pugillarium Plin. hist. natur. lib. 13. cap. 11. testatur. Hunc morem Senec. respexit epist. 15. Neque ego te iubeo semper imminere libro, (lego, inhærere) aut pugillaribus. Dandum aliquod animo interuallum. Stilus, pugilares.

VT *si manus vacuas, plenas tamen cera reportarem*) Hoc est, ceratas tabellas graphio notatas. Tales fuisse intelligimus testamētorum tabulas: hincque heredem scribi in prima, vel secunda, vel ima cera nos docuerunt Iuris auctores. Ceratæ tabellæ.

MIRVM *est vt animus à cogitatione*) Al. agitatione. Vt carmina, sic & aliæ seriæ granésque lucubrationes secessum scribētium, Studiosorū secessus.

& otia poſcunt. Horatius item,

Muſarum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes.

Cic. ad fratrem, epiſt. 3. De verſibus quos tibi à me ſcribi vis, deeſt mihi quidẽ opera, quæ non modò tempus, ſed etiam animum vacuum ab omni cura deſiderat. Sed abeſt ἐνθουσιασμός. Idem ſeq. epiſt. Quod me de faciendis verſibus rogas, incredibile dictu eſt, quàm egeam tempore, dein opus eſt mihi quadam alacritate ad faciendum poëma, quam mihi tempora eripiunt.

IAM *vndique ſyluæ*) Nam vndique ſylu. hab. vet. cod.

PANARIVM, *Laguncularn*) Panarij vox à pane. Sportula in qua panes reponi ſoliti erant: ἀρτοθήκην Græci appellant.

AD EPISTOLAM 7.

POLLICETVR ſe Bæticorum quos aliâs defenderat, patronum non futurum, rogante id Octauio; quanquam eos vel ſuo periculo iuuerit: tãdẽ petit Octauij carmina, de quibus & lib. proximè ſequẽti.

Cordati cõſulto-ris ratio.

NEC *tantopere mihi conſiderandum eſt, quid vir optimus in præſentia velis, quã quid ſemper ſis probaturus*) Promptum, & nulla interpoſita mora exhibitum amico homini officium iuuat, gratóque animo accipitur; ſic & conſilium: ſed tamen non ſtatim eſt amicis obſequendum, verùm cum iudicio, vt nõ tam præſentem impetum, quàm vtilitatem ipſam, iuſti & æqui propè matrẽ ſpectemus.

Qua ratione dictũ ab oratore memini, ser-
uire se potiùs voluisse vtilitati plebis,quàm voluntati. Obiter hîc aduerte, benigne lector, qua fide & integritate, amicis caueat consultus vir Plinius, ab omni assentandi opinione alienus. Certè Plinianus candor nõ vno loco notatus est,qui ab amicis moneri,arguíque interdum non ægrè ferat, & ipse similem libertatem sibi dari aliquando pro amicitiæ iure vult. Sic enim lib.3.epist. 4. In eo mihi æquè iucunda erat simplicitas dissentientis, quàm comprobantis auctoritas. Et in eod. epist. 9. Fides in præsentia eos quibus resistit, offendit, deinde ab illis ipsis suspicitur, amatúrque. Rursum epist. 13. Ita magis credam cętera tibi placere, si quędam displicuisse cognouero.

CAREOTAS *optimas*) Quas ad fici genus accedere, Plin. retulit in historiis naturalib.

CERTANDVM *habent*) Certamen hab. in al. legitur eodem sensu.

AD EPISTOLAM 8.

APVD municipes suos bibliothecam dedicaturus Plinius, ingenuis adolescentibus alimenta pollicitus, ea de re orationem scripserat, quam apud decuriones habuerat. Quod autem se suósque maiores commendarit, excusat sese, vúltque in primis suum id institutum probari Saturnino Pompeio.

PARITERQVE *& tibi veniam recusandi*

laboris, & mihi exigendi verecundiam sustulisti) Quia id à me petisti quod tibi ego, quanquam negotiis aliis impeditus, recusare non poteram, pro amicitiæ nostræ iure: & tu te ipse pudorem ac verecundiam laboris mei ostentandi præripuisti: q. d. poteram laborem detractare, quia non vacaret, & veniam poscere, quia id imperfectum opus, vel nondum auribus ac iudicio tuo.

NON *est quod ab homine desidioso aliquid noui operis expectes)* Sic penè Horat. 2. epist. vlt.

Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi,
Talibus officiis propè mancum, ne mea sæuus
Iurgares, ad te quod epistola nulla veniret.

IAM *quædam adnotasse)* In quibusd. notasse. paruula admodum differentia, sed studiosi tamen pro suo acumine vident quid melius æquius.

Vniuersa & singula in scriptis aduertēda. NON *tantùm vniuersitati attendas, verumetiam particulas, quas soles lima persequaris)* Pulchrum alioqui totius libri inspicere œconomiam & ordinem; structuram vniuersi operis, & analogiam considerare. At singulas vel minimas particulas intueri, verba, iuncturas, clausulas; & vitia, tanquam næuos detegere, corrigere, aut si quid hiulcū ampliare; si quid redundat, tanquam à plantis stolones superfluos, exscindere; vt pulchrū, sic multò laboriosius est. Singularum partium, & vniuersi operis idem iudicium probatur, lib. 2. epist. 5. & lib. 4. epist. 14. & 20. lib. 5. epist. 13. itémque & lib. 7. epist. 13.

PARTICVLAS *quas soles lima persequaris)* In manuscr. particulas quas soles lima prosequaris.

Erit & *post emendationem liberum nobis, vel publicare, vel continere*) Candidè id à Plinio. Nam libri emendationem qualem à Saturnino expectat, ratam se habiturum instituit: editionis verò iudicium sibi integrum seruat.

Emendationis *ratio deducet*) Veter. manusc. reducet.

Est *enim paulò quasi gloriosius*) Abest quasi, à vetere.

Alienae *laudes parum æquis auribus accipi solent*) Quod tribuitur vel aurium iudicio sanè impatientissimo, vt Tull. ait: vel quia non ita æquè accipiantur laudationes alienæ, vt quas ad se pertinere nemo putet; vituperationes longè procliuiùs accipiuntur, vel ab ignotis: tanta est naturæ vel stultitia vel peruersitas.

Difficile *est obtinere, ne molesta videatur oratio de se, aut de suis differentis*) Lubricum est & inuidiæ expositum de se, déque suis honorificè verba facere: sed tamen honesta subesse causa potest, qua quis se laudet ἀνεπιφθόνως, quod speciali commentario Plutarchus disputaui.

Seipsum vel suos laudare.

Primum *vt honestis cogitationibus immoraremur*) Quod optimum & in primis expetendum censet, viam nempe ad immortalitatem nominis, amicis suadere Plinius nunquam definit; húncque sibi vitæ supremum optat exitum.

Deinde *vt pulchritudinē illarū lōgiore tracta tu peruideremus*) Sic alij, deinde vt pulchritudine illarū longiore tractu perduceremus.

Exercitatio) Excitatio, legunt alij,

Impetus & iudicium.

NON *impetu, sed consilio*) Impetus vt plurimum temerè, & sine iudicio facit omnia, & eo nihil homo differt à belluis; at cogitatio consilium adhibet, qua ratione plerique ex veteribus τὴν μελέτην τῆς διχρείας ἔργον τυ- γλῶ, voluerunt.

OCVLORVM *& aurium voluptates adeò nõ egent commendatione, vt non incitari debeant oratione, quàm reprimi*) Horat 2. epi. ad Octauiũ Cæsarem, qui quodãmodo videtur innuere, quo loci exagitat nimios ludorũ apparat⁹.

Adhortatio exquisita.

VT *libenter aliquis educationis tædium, laborémque suscipiat, non præmium modò, verùm etiam exquisitis adhortationib. is impetrandum est*) Quales in longè multis auctoribus adhortationes illustres, quibus quis ad virtutis studium inflammatur; vt apud Virg.

Disce puer virtutem ex me, &c.

Item;

Nate Dea, quo fata trahũt, retrahũtq; sequamur

Sic Horat.

I, bone, quò tua te virtus vocat, i pede fausto
Grandia laturus meritorum præmia.

Ouidius;

Disce bonas artes, moneo Romana iuuentus.

Missas facio lõgè plurimas, eásque perelegantes Tullianas adhortationes, ex quibus imprimis illa ex Oratione Sestiana occurrit, qua ciues Romanos ad gloriæ studium & Rempubl. iuuandam excitat.

Remedia vtilia quę acerba.

NAM *si medici salubres, sed voluptate carentes cibos*) Al. voluptatis parum habentes. Al. Sed voluptatis parentes. Remedia quæ vulneribus admouentur, nõ tam dolorem faciunt,

quàm quæ salubria Ouid.

Sæpe bibi succos, quamuis inuitus, amaros;

Et quæ sequũtur, ex lib. de amoris remedio.

VT *quod p[r]ærentibus daretur, & orbis probaretur*) Fortè, orbi; nam nõdum loci huius sensum assequor ex vulgata, & membranarum lectione, quæ pro, probaretur, habent, properetur. Et hîc acumẽ studiosorũ exspecto.

HONOREMQVE *paucorũ cæteri patienter expectarent, & mererentur*) Vel spectarent, & mirarentur. Al. imitarentur. in nostro vet. incitarentur.

EFFECTVMQVE *muneris nostris vellemus*) In vet. volebamus.

ITA *nunc in ratione edendi*) Sic vet. in ratione dicendi; fortè, dicandi; vel dedicandi.

NON *aliorum vtilitatibus*) Alij, vtilitati.

QVANTO *maiore animo honestatis fructus in consciẽtia; quàm in fama reponatur*) Creber est noster Plinius in conferenda conscientia cũ fama: vt 12. sequ. epist. & lib. 3. 20. Itẽ, lib. 5. epist. 1. & 14. ad fin. Conscientiæ vis magna certè, & facilè hominem nõ modò à maleficio reuocet, sed & ad virtutem accendat, nullo etiã externo proposito præmio, cùm ipsa sui longè maximum præmium existat. Rectè igitur, veréque Isocrates; μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας ἔλπιζε λήσειν, καὶ γὰρ ἂν τοὺς ἄλλους λάθῃς, ἑαυτῷ συνειδήσεις. Id est, *Si quid vnquã turpe admiseris, ne spera clã fore; quamquam enim id celaris alios, ipse tamẽ tibi conscius eris*. Quamobrẽ qui ad naturæ legem viuit, optiméque institutus est, turpitudinem omnem sua ipse sponte auersatur, Consciẽtia, fama.

& refugit; etiamsi sciat se omnes homines celaturum: quod & preclarè Tul.3.de Offic. disputat ex Platone, nimirum iusto viro persuasum esse debere, si omnes Deos, hominésque celare possit, nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incõtinenter esse faciendum; vel si Gygis annulũ haberet, vt qui nihil sibi licere putet peccare, quàm si nõ haberet. Is ergo erit, vt Martialis loquitur,

---recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcanos qui roget ore Deos.

Is, inquam, vt ille rursum, cui

Nulla recordanti lux est ingrata, grauisque
Nulla fuit, cuius non meminisse velit.

Et is vnus sanè iucundissimus optimæ conscientiæ fructus, quo quidem

Ampliet ætatis spatium sibi vir bonus.

Hoc est,

Viuere bis, vita posse priore frui.

Sed nimius essem, si quæ ad eam rem illustrandam dici possint, in medium conferre velim.

SI QVI *gloria nõ appeti debet: nec si casu, aliqua non sequatur; idcirco quòd gloriam nõ meruit, minus pulchrum est*] Pulchrè id quidẽ & philosophicè; nam sapit is verè, qui suæ vitæ rationes in conscientia benefactorum, quæ sibi ipsi amplissimum præmium est; non in gloria quæ potest esse fallax, constituit, nec desinit esse τὸ καλὸν, etiamsi gloria quasi præconium absit.

S I *casu, aliqua*] Casu aliquo, vet. habent.

Suorum factorũ laudatores. *I qui benefacta sua verbis adornant, non ideò prædicare, quia fecerunt; sed vt prædicarent, fecisse*

dicuntur] Proximæ ſententiæ planè aureæ gemmea expolitio, qua κενοδόξους, & gloriæ appetẽtes, ſuorúmque factorum iactatores hoc veluti pugione confodit; vt eos vanitatis & deprauati iudicij arguat.

S I *quod magnificum*] Cod. vet. ſic quod.

S I *ſilenda feceris, factum ipſum; ſi laudanda, quòd non ſileas, ipſe culparis*] Al. ipſum culpatur. Venuſtè dictum, qui aliquid flagitiosè agit, quódque ſilendum eſt, reprehenditur: & qui laude dignum aliquid facit, ídque ipſe prædicat, culpatur; vt qui ſit laudis appetẽtior: gloria enim vltro ſequi nõ captari debet. Quod mihi in memoriam reuocãt aurea B. Hieronymi verba, de Nepotiano ad Heliodorum; Eruditionis gloriam declinando eruditiſſimus habebatur. Idem de eodem, ſacerdotium recuſante, Quantò magis repugnabat, tantò magis in ſe ſtudia cõcitabat; & merebatur negando, quod eſſe nolebat.

N O N *apud populum*) Manuſcr. non ad populum.

V E R E O R *vt ſit ſatis congruens*) Al. ne ſit congruens.

AD EPISTOLAM 9.

LAVDATIO ruris eſt & ſeceſſus; ex cõparatione vrbanæ & ruſticæ vitæ.

I L L E *in conſilium rogauit*) Al. ille in conſilium vocauit.

H AE C *quo die*) Ita hæc quo die, manuſcr. habent.

Frigidæ curæ.

QVOT *dies quàm frigidis rebus absumpsi*) Huc cõferre libet illud Horatij ex 1. epist. 3.

——— *quòd si*

Frigida curarum fomenta relinquere posses,

Quò te cælestis sapientia duceret, ires.

Corporis cura.

Id & alio loco adnotaui.

CORPORI *vaco, cuius fulturis animus sustinetur*) Scitè hoc prudentérquè; nec enim abiicienda omnis cura corporis est, vt æquè rectè Tullius ad Tironem suum 15. ad familiares, Opus est te valere corpore, animo vt possis. Vide quàm eruditè Seneca epist. 8. 14. & 15.

NIHIL *audio quod audisse, nihil dico quod dixisse pæniteat*) Huc Horatianũ illud ex 10. libr. 1. epistol. qua vitam rusticam impensè commendat;

Non isthic (hoc est ruri) *obliquo oculo mea cõmoda quisquam*

Limat, non odio obscuro, morsúque venenat.

NEMO *me apud quemquam sinistris sermonibus carpit*) In vet. Nemo apud me. In alio, Nisi tum me, nescio quo sensu.

NISI *vnum me*) Alij, nisi tamen me.

O RECTAM *sincerámque vitam*) Al. regiã. Quo fortè alludit ad illud Horat. epistol. 10. lib. 1.

——— *viuo & regno.*

Vitæ rustica.

O RECTAM *sincerámque vitã, ô dulce otiũ, honestúmque, & pene omni negotio pulchrius.*) Id Plinianum ἐπιφώνημα mihi facilè in mẽtem reuocat & hoc Horatij in 2. Serm. 6.

O rus, quando ego te aspiciam? quandóque licebit

Nunc veterum libris, nunc somno & inertibus horis

Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ?

Ad rem facit quod sub Crassi persona, Tullius disputat 2. de Oratore; Sæpe ex socero meo audiui, cùm is diceret socerum suum Lælium semper ferè cum Scipione solitum rusticari, eósque incredibiliter esse solitos repuerascere, cùm rus ex vrbe, tanquam ex vinculis euolassent, non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scæuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & Lucrinum legére cõsuesse, & ad omnem remissionem, ludúmque descendere. Respexit eodem Ausonius Eidyllio ad Paulum;

Dulcia securi repetantur vt otia ruris,
Nugis amæna seriis,
Tempora dispones vbi tu tua, iúsque tuum sit,
Vt nil agas, vel quod voles.

At hæc illi. Sed Seneca optimus morum & affectuum magister, epist. 69. nõ temerè ait, gloriari ocio, inertẽ ambitionem esse; optimum ergo esse non iactare otium suum: iactandi autem genus, nimis latere, & ab hominum conspectu secedere. Verùm si hunc Senecæ locum integrum cum Pliniano cõferas, & vtriusque consilium examines; nõ pugnare inter se, sed alterum, ciuilem certè hominem ocio interdum indulgentem, & honestam animi captãtem remissionem: alterum Stoicum, cupiditatibus obstrepẽtem, & ad eas aditum omnem obstruentem reperies. Si cui vacat, conferat quæ idem de Variæ villa disserit, epist. 56. Ocio gloriari iners ambitio est.

E T *multum ineptos labores*) Multos ineptos, in membr.

S A T I V S *est enim*) Al. sanctius, sed non

ita rectè, vt opinor.

Ociosum esse & nihil agere.

OCIOSVM *esse quàm nihil agere*) Differentiam hanc etiam veteres agnouerũt. Nã & Cicer. pręfatione Tuscul. 2. ita videtur vsurpasse: Quid possum præsertim nihil agens, agere melius? Idem 1. Offic. duo vitia esse fugienda monet, ne incognita pro cognitis habeamus, iisque temerè assentiamur: alterum, ne nimis magnum studium in res obscuras & inutiles conferamus. Certè nihil agere, habet nescio quid schematis prouerbialis, quo inanem, & superuacaneã alicuius operam significamus. Itaque & nihil agere dicitur Caio; tit. quibus causis manumitti non lic. is qui agit frustra. Ouid. libris Amorum;

Dure vir imposito teneræ custode puellæ,
Nil agis.

Notum illud Gellij ex vetere quodã: Ocio qui nescit vti, plus negotij habet, quàm cùm est negotium in negotio.

AD EPISTOLAM 10.

PHILOSOPHVM Euphratem impensissimè commendat à variis ingenij, animíq; longè præclaris dotibus, quod facit vt Clementi persuadeat, se tradat erudiendum homini ita raro & eleganti.

SVFFECERIT *vnum*) Sufficeret, in vet. cod.

AVT *ego nunc illas miror*) Al. at ego.

QVIA *magis intelligo, quamquã ne nunc quidem satis intelligo*) Absunt à membr. hæc po-

trema, quamquam ne nunc satis intelligo.

VT *de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex iudicare: ita nisi sapiens non potest perspicere sapiẽtem*) Vt Aristot. 1 de doctr. morũm ad Nicomachum, ἕκαστος κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶ κριτής. Exempla suppetũt apud Val. Max. lib. 8. cap. 15. Quisque iudex rei quam optimè nouit.

DOCTOS *aduertant*) Alij quidam, vertant.

DISPVTAT *subtiliter, grauiter, ornatè: frequenter etiam Platonicam, &c.*) In memb. disputat subtiliter, grauiter, ornatè & frequẽter: Platonicam illam. In quo video nihil præter in subdistinctionibus esse variatum.

PROCERITAS *corporis, decora facies, &c.*) Hæc adiuncta corporis dignitatem addunt, & vltrò amorem conciliant sæpissimè. Sic Dido de Ænea;

Quàm sese ore ferens, quàm forti pectore & armis!

Id tamen qualiter Seneca reprehendat, vide epist. 66.

NVLLVS *horror in vultu*) Cod. vet. in cultu.

REVEREARIS, *occursum non reformides*) Sic manuscr. reuerearis, vt occursum non reformides.

INSECTATVR *vitia, non homines*) Ita Martialis de suis aculeis iudicium tulit; Vitia insectanda, nõ homines.

Hunc nouere modum nostri seruare libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Nempe cùm quid in genere dicitur, nõ debet ideo statim vt cõuicium accipi, nisi fortè ab eo qui sibi malè conscius, nullam quã-

quam tectam reprehensionem admittit Verùm sapientissimus vir Thrasea, contra sentiebat, cùm diceret, eum qui vitia odit, odisse homines, vt in sequ. lib. 8. epist. 22.

Non castigare, sed emendare.

NEC *castigat errantes, sed emendat*) Emendatio liberorum est & propinquorũ, quos non minùs ac nos amamus: at castigatio seruorum ferè & extraneorũ, sicuti non rarò in Iure solet accipi. Et eo quidem loco non possum admittere Aristotelis differentiam inter τιμωρίαν καὶ κόλασιν, quam vir doctus alioqui mihi ea de re verba faciens suggesserat, vt qui putaret eam ad hunc Plinianum locum illustrandum accommodari posse. Nam τιμωρία eũ respicit qui supplicium de aliquo sumit: κόλασις verò qui patitur, & punitur, vt à delictis temperet: hæc castigatio, at illa vltio dici nõ malè potest. Quod cùm ita sit, nihil discrimen hoc ad Dionysium.

Hercules Ogmius.

ET *persuadere tibi etiã, cùm persuaserit, cupias*) Eius rei causa, dicendi lepos & gratia, quæ vt Suadæ medullæ in Cethego, & Pitho in Periclis labris dicebatur sessitare, huc referrem Ogmium illum Herculem Gallicum ex Luciano, quo auditores nullo modo restitantes, dulci verborum illicio quasi catenatis trahat auribus, sed liber est in omniũ manibus.

CVM *cætera vita*) Al. cùm etiam reliqua vita.

DISTRINGOR *officio*) Al. distineor officio, eodem omnino sensu.

Candor Plinij.

SCRIBO *plurimas, sed illiteratissimas literas*) Quàm parum sibi tribuat, suámque quam-

quam non vulgarem doctrinam extenuet Plinius, ex hoc loco & aliis multis intelligimus. Nec enim vir acris ingenij, iudiciiq; summi, vult ipse sibi fieri Aspendius citharistes minimè αὐθάδης seu φίλαυτος.

Affirmat *hanc esse philosophiæ & quidem pulcherrimā partem, agere negotium publicū, cognoscere, iudicare*) Pulchrè id, & seriò, veréque dictum. Nec enim philosophiæ pars maior, vtiliórque debet videri, quàm quæ posita est ἐν τῷ πολιτεύεσθαι, à qua quod Pythagorei veteres, qui à fabis abstinendū, hoc est ab omni magistratus procuratione: & Stoici certo vitę durioris instituto, Reip. munia omnia subterfugerent, meritò se exsibilandos aliis propinarint. Nos cum Vlpiano veram, & non simulatam sapientiam, dicimus eam quæ in vsu vel maximè necessariò versatur. Philosophia ἐν τῷ πολιτεύεσθαι.

Non *inuideo aliis bonum, quo ipse careo*) Id candoris Pliniani, qui alienus ab omni liuore, qua fuit animi facilitate, puritatéque, nec sua laudabat studia, aut aliena reprehēdebat, quod Flaccus præcipit, epist. 18. lib. 1. Candor Plinij.

AD EPISTOLAM II.

Expostvlatoria est de cessatione Fabij sui à scribēdo. Ex qua id verū elicimus, rē esse solliciti plenā timoris, amorē, adeóque illud, τὸν λόγον εἶναι ἰατρὸν τῆς νοσούσης ψυχῆς, Stob. ex Eurip. Amor sollicitus.

Si *vales, bene est*) Seneca epist. 15. Mos fuit antiquis, vsque ad meam seruatus ætatem, Epistolarum ini-

tiõ, Si va les, bene est. primis epistolarũ verbis adiicere, Si vales, bene est; ego valeo. Rectè & nos dicimus, Si philosopharis, bene est. Valere enim hoc demum est: sine hoc, æger est animus. Symmach. lib. 3. epist. 40. Rectè valeo; hoc enim scribendi debet esse principium; quod maximè appetunt vota lecturi.

E s t *enim maximum*) Al. estque mihi maximum.

AD EPISTOLAM 12.

Deflet obitum Corellij Ruffi, qui diræ podagræ morsibus implacabili dolore tortus, eoque tandem fractus, cùm vltra perpeti non posset cruciatus, sibi mortem voluntariam quæsiuit.

De eo qui sibi manus afferat.

I a c t v r a m *grauißimam feci*) Al. fero.

E t *quidem sponte*) Mortem illam spontaneam veteres longè multi laudauerunt, vt quæ nonnisi ab iis qui verè forti animo & præstanti essent, obiri posset: qua de re Seneca epist. 12. 17. 24. 58. 59. 70. 71. 78.

Morte sibi afferre nõ probatur.

E s t *enim luctuosissimum genus mortis; quæ nõ ex natura, nec fatalis videtur*) Γνώμη certè præclara, ex qua facilè colligere est à Plinio cordato certè homine, mortem istam voluntariam nec laudari quidem, (quæ enim impatientiæ & truculentissimę sæuitię laus esse potest?) nec apertè reprehendi; improbari tamen haud dubiè; vt quæ reuera in naturam humanam quasi armatas manus habeat. Id enim nihil aliud est quàm θεομαχεῖν, & Gigantum more, pugnare cum

Diis,

Diis, hoc eſt cum natura pugnare, vt M. Tullius interpretatur.

SVMMA *ratio quæ ſapientibus pro neceſsitate eſt*) Arguté id, & ſapienter: quod naturę cõueniens eſt, quod æquitati, quod iuſtitiæ, id ſponte ſequuntur ſapientes, vt qui rationem ducem ſequantur volentes; ſicuti ſtulti neceſſitatem, nolentes: quod quàm ſæpe Seneca inculcarit, huc conferre nihil attinet. Rationẽ ſapientes ſtulti neceſſitatẽ ſequũtur

OPTIMAM *conſcientiam, optimam famam*) Sæpe coniungit conſcientiam & famã: nõnunquam & alteram opponit alteri, vt ſuprà, epiſt. 8. altíſque locis non paucis.

PATRIVS *hic illi, vt pleraque morbi per ſucceſsiones traduntur*) Videram antè quod Ouidius, Morbi quidam per ſucceſſiones.

Vt ſpectant ægros oculi, læduntur & ipſi;
Multáque corporibus tranſitione nocent.

Sed non ad eundem omnino ſenſum: locus enim hic altiorem diſquiſitionem exigit. Morbi ergo ij fiunt per ſucceſſiones, qui ob morboſam parentum affectionem, liberis accidunt: cùm enim ſemẽ ex omnibus corporis partibus ſecernatur, ex Ariſt. problem. ſect. 4. problem. 22. inde ſecum non ſolùm partium figuram, ſed & carnium ideam & habitum rapit. Quam ob cauſam Hippocrates lib. de aëre, locis, & aquis, macrocephalos à macrocephalis generari demonſtrat, ad hunc modum: Cùm enim ſemẽ genitale ab omnibus membris corporis oriatur, ſanis quidem ſanum, à morbidis morboſum, fiátque vt ex caluis gignãtur calui, ex cæſiis cæſij, & vt plurimum diſtortus diſtortùm

generet, eadémque circa formas alias ratio sit; quid prohiberet vt non ex macrocephalis macrocephali gignerentur? Nec solùm in figura, formáque corporis hoc intelligere est, sed & in moribus: quod adnotat non inelegans poëta Mantuanus,

Qui viret in foliis venit ab radicibus humor,
Sic patrum in natos trāseunt cum semine mores.

Huiusmodi sunt elephantiasis, arthritis, epilepsia, vertigo, phthisis, & similes affectiones, quæ à naturali viscerum, vel aliarum partium mala diathesi, vel insigni intemperie nascuntur. Quod iudicium veterum, & quasi placitum, multis nixum rationibus mihi percontanti aperuit Stephanus Gormelenus, inter primarios medicos citra cōtrouersiam doctissimus, & ob egregiā morum facilitatē bonis omnibus clarissimus.

HVNC *abstinentia, sanctitate, quod viridis ætas*) In al. sanctitatéque viridis ætas.

HABEBAT *enim hoc moris*) Vet. cod. habebant: vt referatur ad seruos.

VXOR *quanquam secreti omnis capacissima*) Id ad laudationem mulieris cordatæ, & qua nulla alia potest esse amplior; cùm nō rarò muliebris leuitas, infirmum iudicium, consilij imbecillitas eleuari soleat in nostro Iure.

Sanus animus in corpore imbecillo.

DEDISSES *huic animo par corpus, fecisset quod optabat*) Ita dictum de Galba olim, homine ingenioso, sed valetudinario; Galbæ animus malè inhabitat.

MITIGARE *tentauit, perseuerantem constantia fugit*) Vet. mitigare consueuit tentauit perseuerentem, constantia fugit.

Annvm *septimum & sexagesimum, quæ ætas etiam robustißimis satis longa est*) Locum accipi; ab aliis etiam in alienū sensum torqueri.nos reiectis dissertationibus,quod instat, agamus. Quamuis, vt Iustinus martyr ostēdit,ad orthodoxos quæstione 89.naturæ opera pro ipsius naturæ viribus perficiantur,non autem pro statu temporis, qui septenario dierum, mensium, aut annorum numero sit definitus:tamē philosophi quòd animaduertissent, & incrementa, & progressiones, & exitum hominum septenario numero vt plurimum fieri;cōstituerunt annos quosdam climactericos,in quibus sexagesimus tertius annus veluti periculosissimus existimatur, qui cōstat ex septies tribus ter multiplicatis: qui annus senibus omnibus formidolosus existit; & qui hunc præterierit, quartum annum sequentem habere suspectum debet, atque is annus sexagesimus septimus est, propter numerum quaternarium; qui quia duo media habet, ideo dissolubilis est, & propriè ad corpus pertinet, sicuti ternarius ad animum: qui numerus indissolubilis est,propter mediæ vnitatis indissolubile vinculum. ideò prudentissimus quisque hunc annum sexagesimum septimum semper suspectum habere debet, propter numerum quaternarium, quia annum illum climactericum sequitur: is enim numerus, quia duo media habet, ideo dissolubilis est. Anni climacterici ratio.

Doleo *meo nomine, amisi enim vitæ meæ testem, &c.*) Quàm amicitiarum tenax esset

generet, eadémque circa formas alias ratio sit; quid prohiberet vt non ex macrocephalis macrocephali gignerentur? Nec solùm in figura, formáque corporis hoc intelligere est, sed & in moribus: quod adnotat non inelegans poëta Mantuanus,

Qui viret in foliis venit ab radicibus humor,
Sic patrum in natos trāseunt cum semine mores.

Huiusmodi sunt elephantiasis, arthritis, epilepsia, vertigo, phthisis, & similes affectiones, quæ à naturali viscerum, vel aliarum partium mala diathesi, vel insigni intemperie nascuntur. Quod iudicium veterum, & quasi placitum, multis nixum rationibus mihi percontanti aperuit Stephanus Gormelenus, inter primarios medicos citra cōtrouersiam doctissimus, & ob egregiā morum facilitatē bonis omnibus clarissimus.

Hunc *abstinentia, sanctitate, quod viridis ætas*) In al. sanctitatéque viridis ætas.

Habebat *enim hoc moris*) Vet. cod. habebant: vt referatur ad seruos.

Vxor *quanquam secreti omnis capacissima*) Id ad laudationem mulieris cordatæ, & qua nulla alia potest esse amplior; cùm nō rarò muliebris leuitas, infirmum iudicium, consilij imbecillitas eleuari soleat in nostro Iure.

Sanus animus in corpore imbecilli lo.

Dedisses *huic animo par corpus, fecisset quod optabat*) Ita dictum de Galba olim, homine ingenioso, sed valetudinario; Galbæ animus malè inhabitat.

Mitigare *tentauit, perseuerantem constantia fugit*) Vet. mitigare consueuit tentauit perseuerentem, constantia fugit.

Annvm *ſeptimum & ſexageſimum, quæ ætas etiam robuſtiſsimis ſatis longa eſt*) Locum accipi; ab aliis etiam in alienũ ſenſum torqueri. nos reiectis diſſertationibus, quod inſtat, agamus. Quamuis, vt Iuſtinus martyr oſtẽdit, ad orthodoxos quæſtione 89. naturæ opera pro ipſius naturæ viribus perficiantur, non autem pro ſtatu temporis, qui ſeptenario dierum, menſium, aut annorum numero ſit definitus: tamẽ philoſophi quòd animaduertiſſent, & incrementa, & progreſſiones, & exitum hominum ſeptenario numero vt plurimum fieri; cõſtituerunt annos quoſdam climactericos, in quibus ſexageſimus tertius annus veluti periculoſiſſimus exiſtimatur, qui cõſtat ex ſepties tribus ter multiplicatis: qui annus ſenibus omnibus formidoloſus exiſtit; & qui hunc præterierit, quartum annum ſequentem habere ſuſpectum debet, atque is annus ſexageſimus ſeptimus eſt, propter numerum quaternarium; qui quia duo media habet, ideo diſſolubilis eſt, & propriè ad corpus pertinet, ſicuti ternarius ad animum: qui numerus indiſſolubilis eſt, propter mediç vnitatis indiſſolubile vinculum. ideò prudentiſſimus quiſque hunc annum ſexageſimum ſeptimum ſemper ſuſpectum habere debet, propter numerum quaternarium, quia annum illum climactericum ſequitur: is enim numerus, quia duo media habet, ideo diſſolubilis eſt. Anni climacterici ratio.

Doleo *meo nomine, amiſi enim vitæ meæ teſtem, &c.*) Quàm amicitiarum tenax eſſet

Qualiter in amico rũ morte dolendũ. hic noster Secundus, hoc loco & aliis ostẽdit apertissimè, neque rigidam illam Stoicorum ἀναλγησίαν sequitur, qui dolorem in sapientem non cadere affirmarent, nec seueram alioqui M. Tullij interpretationem, qui anxiè ita dolere in amicorum morte non esse amicì, sed se ipsos amantium dixerit. Et quidem qui hunc adeo naturalem, anxiũmque questum radicitùs amputat, ipsã humanitatẽ ab homine videtur tollere.

QVAE *legi, quæque audiui*) Significat sibi nullam adhibere parem cõsolationem posse ex libris, vel exemplis veterum. Vehemens iste motus, & primò indomitus, vt qui rationi prorsus obstrepat, nimirum qui sapiẽtum nomine ac numero haberi possunt, huic aliquando implacabilis obsecundant. Etenim

Aliud mẽs, aliud suadet cupiditas

--Noua vis trahit inuitos, aliúdque cupido,
Mens aliud suadet: videas laudanda, probésque;
Deteriora tamen, pulsa ratione, sequaris.

AD EPISTOLAM 13.

LAVDANTVR sui temporis ingenia, sed reprehenditur tamen vel ignauia, vel supinitas auditorum, qui recitationibus nec ita frequentes vel assidui essent.

TEMPVS *audiendis fabulis conterunt*) Quod Martialis queritur initio lib. 11. vt & Horatius 2. èpist. ad Augustum.

ET *furtimalij simpliciter*) Al. lego, simpliciter alij: verbis tantùm transpositis.

QVERITVR *se diem, quia non perdiderit,*

perdidiſſe) Deprauati iudicij nota, qui de rebus alioqui vtilibus ita ſapiant & ſentiant: ſed hi ceruicoſi planéque ferrei queis ad optimos quoſq; odores palatus obriguerit.

AVDITORVM *vel deſidia*) Abeſt, vel, à manuſcrip.

NEC *eſt enim ferè quiſquam qui ſtudia, vt non ſimul & nos ames*) Alij qui non nos amet, vt ſtudia non ſimulet. Nemo ſanè poteſt honeſta ſtudia colere, quin & in precio habeat eruditos & pręſtantes ſtudiorum quaſi myſtas, à quibus id diuinum & cœleſte donum exercetur, augetur in dies, & ad hominum ſalutem, oblectationémque propagatur. Nemo litteras amat, qui etiam litteratos amet

VT *in cæteris rebus, ita in audiendi officio, perit gratia, ſi repoſcatur*) Niſi enim gratuita & liberalis & ſincera gratia eſt, illa euaneſcit, ſuúmque iam nomen amitit: ecquis enim vel exprobret, vel repoſcat beneficium, niſi planè ſordidus & ineptus? Beneficiũ vt pereat.

AD EPISTOLAM 14,

SVASORIA, qua commendat Acilianum, iuuenem elegantem & formoſum, qui quia honeſtate morum, & parentum ſplendore laudatus eſt, dignum putat cui elocetur filia fratris Maurici.

NIHIL *eſt quod à te mandari*) In vet. nihil eſt quidem. in al. nihil eſt enim quod.

MINVCIVS *Acilianus*) In vet. manuſc. Minucius Æmilianus Accliuus.

DILIGIT, *reueretur vt ſenem*) In vet. diligit, ita reueretur, vt ſenem.

Nam *ita à me formaui*) Al. non ita à me formaui.

Patria *est Brixia, quæ multum adhuc verecundiæ, frugalitatis, atque etiam rusticitatis antiquæ retinet*) Laudatio hæc non vltima, neque in minimis habenda, sed ex calculo tamen rectè sanéque iudicantium, non eorum qui ad opinionem referunt omnia.

Verecundiae, *frugalitatis*) Vet. ita, verecũdiæ, multum frugalitatis.

Equestris *ordinis: quia nihil altius voluit*) Qualis ordo equester olim tum Romæ florentis temporibus, tum sub Imperatorum dominio, scitè Carol. Sigon. de antiq. Iure Rom. lib. 2. cap. 3.

Allectus *à diuo Vesp.*) Vet. allectus enim à diuo Vesp.

Industriae: *quanquam in maxima verecundia*) Pro quanquam, legitur quique, in manusc.

Verecundia. In *maxima verecundia Præturam, Quæsturam, Tribunatum honestissimè percurrit*) Verecundiam ne quidem in virtutũ numero haberi sustinuit Aristot. in Moralib. ad Nicomach. sed eam non temerè comitem & quasi custodem virtutum omnium Cicero afferere non dubitauit. Qua ratione putem accipi id nominis pro religione, seu sana illæsáque conscientia: vt frequenter à Iuris nostri scriptoribus.

Facies liberalis. Est *illi facies liberalis, &c. Est ingenua totius corporis pulchritudo, & senatorius decor*) Describitur τὸ πρόσωπον, quale docet in eo esse qui Reipub. præest. multùm enim confert ad fidem faciendam, & augendã aucto-

ritatem facies liberalis, & iusta membrorum proceritas.

PATRI *amplißimas facultates, &c. Silendum de facultatibus puto: cùm publicos mores atque etiam leges ciuitatis intueor, quæ vel in primis census hominum spectandos arbitrantur*) Quod Plinius maior acerrimè reprehendit, initio 14. hist. natur. & Horat. satyrico dente proscindit 1. epistol. 16. Census.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores & lingua, fidésque,
Plebs eris.

CONDITIONIBVS *deligendis*) Veter. diligendis. Conditionis vox apud Iurisconsultos pactionem significat, ea certam in se legem continens, vt Donat. in Andria & l. cùm ad presens, 37. & l. itaque, 39. D. cert. pet. Conditio.

AD EPISTOLAM. 15.

EXPOSTVLAT quòd ad condictam cœnam Septitius non venisset: quo nomine in ius damni dati, sed amicè tamen & liberè vocat.

SEPTITIO) In quibusdam, Erutio. Sed is error facilè obrepsisse videri potest ob epistolam sequentem, quę est ad Erutium Clarum.

COCHLEAE *ternæ*) Trinæ, vt veter. cod.

QVAE *mea liberalitas, omnes*] Al. omnis.

DVRE *fecisti*) Durè, vim habet difficultatis, quæ molliciei & facilitati opponitur. Sic durum hominem dicimus, inexorabi- Durè.

lem, ceruicosum, rusticum, & interdum ἀγαλάϑητον, parúmque humanum.

AD EPISTOLAM 16.

POMPEII Saturnini scripta legenda suadet. fuit is acutus patronus, elegans historicus, poëta lepidus. cuius etiam vxor epistolas edidit vt graues, sic & vetustatis æmulas.

APTAE) Al. acutæ

PRAEVEHVNTVR) Peruehuntur, vt manusc.

NAM *in concionibus eadem quæ in orationibus vis est*) Verba hæc in membranis absunt, eadem quæ in orationibus vis est.

MOLLIVSCVLOS, *leuiusculósque duriusculos*) In vet ita, mollius, leuius, duriusculos.

EST *ergo mecum per diem totum, &c. eundem cum remitto, non tanquam eundem lego*) Id iudicium de optimo vtilissimóque libro, qui vel varietate, vel doctrina rara, vel eloquẽtiæ laude, aut dotibus aliis, quanquam sæpe repetitur, resumitur, placet, laudatur, amatur, non vt librorum quorundam vulgarium fæces, quos vel semel, vel pro parte legisse aut pigeat, aut etiam pœniteat.

Libri optimi iudicium.

NEQVE *enim debet operibus eius obesse quod viuit*) Interseritur id non sine gratia, vt iis occurrat inuidiosis sanè hominibus, qui superstites scriptores, alioqui cum veteribus conferendos, ne quidem appellatione dignentur: longè enim aliud iudicium Secũ-

Recentes scriptores an paruifaciendi.

di vel sequentis lib. 6. epist. 21. Sum ex iis qui mirer antiquos; non tamen vt ingenia temporum nostrorum despiciam, &c. vel Martialis ad Regulum,

Esse quid hoc dicam, viuis quod fama negatur,
Et sua quod rarus sæcula lector amat.
Hi sunt inuidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos semper vt illa nouis.

An *si inter eos*) In vêt. at si inter.

AD EPISTOLAM 17.

LAVDAT Titinium qui statuam posuerit Lucio Syllano, quíque clarorum virorum effigies domi habeat.

Est *adhuc curæ hominibus fides & officium*) Hoc candidè quidem, sed vt rarum aliquid à Plinio dictum, cùm pridem homines & fidei & officij nullam aut paruam admodum rationem haberent: id tamen exẽplum suum clarè profert in medium, ad maiorem eius laudationem qui statuam virtutis ergò, posuisset meritò homini.

Pulchrum *est & magna laude dignum amicitia principis in hoc vti, quantũ gratia valeas, aliorum honoribus experiri*) Etiam candidè, & vt ita dicã, speciosè: vt pulchro hoc elogio egregios principum virorum amicos ad similem virtutem & simile factum excitet. Longè secus aulici nostri; hominum genus ad seruitutẽ, & assentationem, & cõminiscenda quæuis mendacia natum, qui cùm nihil sanæ & sinceræ mẽtis habeãt, nihil ferè nisi fumos vendere soliti, vt Thurinus ille Aulicorũ ars captatoria & fucus.

ſub Alexandro Seuero, ſibi omnia nihil aliis fauorem principis per fas nefáſque aucupantibus corradunt. huc confero illud Flacci ex epiſt. 9. lib. 1.

Septimius Claudi, nimirum intelligit vnus
Quanti te faciam, &c.

SCIAS *ipſum pluribus virtutibus abundare, qui alienas ſic amet*) Scitè id & eleganter. Id τὸ τεκμήριον, nedum σημεῖον honeſti viri videri poteſt: vt enim magna inter molles concordia, & propter communionem ſceleris flagitioſus flagitioſum; vt ſui ſimilem adpetit: ita vel maximè inculpatus vitæque integer niſi quid fingat, vix ac ne vix quidem poteſt ab honeſto laudatorum hominum cœtu recedere.

Laudator.

Sapienter Ambroſius, iuſtum eſſe dicet, virum probum, & honeſti appetentem, virtutes ipſum ſuas in alijs adamare, & ſuas laudes in aliorum animis admirari.

Cæſar erexit Põpeij ſtatuas deiectas.

NEQVE *enim magis decorum, magis inſigne eſt, ſtatuam in foro populi Romani habere quàm ponere*) Vt non minus laudi fuit C. Cæſari deiectas Pompeij ſtatuas, rurſum ponere; quàm cũ primùm erectæ ſint ex quo illud ioculare Tullij: Cæſarem dum Pompeij ſtatuas erigeret, ſuas ſibi firmas fixáſque facere. Quin qui laudatiſſimi hominis vitæ ſoluti nexibus ſtatuam ponit, ſibi ipſemet laudem immortalem parit, vt qui quaſi præſentem hominis virtutem ſuſpicere & amplexari videatur.

AD EPISTOLAM 18.

SOMNIO quodam suo terrefactus Sueton. Tranquillus, causam quam acturus erat, vel deserere, vel differre cogitabat; eum iubet esse bono animo Plinius, suo exemplo scilicet; vel certè aliquam rationem prorogandæ caussæ se conquæsiturum pollicetur.

IVLII *Pastoris*) Vet. Iulij Pist.

Optimũ augurium patriam defendere.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης) Vnum augurium optimum, patriam defendere, cuius prouerbij vim eleganter Cato est persecutus apud Cic. vbi de Fabio Maximo: qui cùm augur esset, dicere ausus est, optimis auspiciis ea geri, quæ pro salute Reip. gererentur: quę contra Rempub. fierent, contra auspicia fieri.

AD EPISTOLAM 19.

ROMANVS Firmus equitum albo conscribi cupiebat. id cùm nō posset, quia istæ facultates non supperent, Plinius 300. sestertia pollicetur ad explendum censum. Iusta quidem largiendi occasio, sed non minùs ęquam iustámque captat admonendi amicissimi hominis, vt intelligat sibi liberalitate esse honestissimè vtendum.

CVR *suscipere, & augere dignitatem tuam eam*) In veter. manusc. cur suscipere, agere dignit. tuam deb. mendosè.

NISI *te scirem*) Te, abêst à vet.

QVAM *modestissimi vt à me data vtare*) Verba hæc, vt à me data, non sunt in meis membranis.

AD EPISTOLAM 20.

QVODNAM dicendi genus, amplúmne an copiosum, an concisum & breue, magis probandum sit.

CVM *in causis agendis breuitas placet*) Concinna esse vtendum breuitate, in quibusdam non ægrè fatentur, quoniam prolixitas nimia confundit ingeniũ, vt in l. ampliorem, §. in refutatoriis. Cod. de appell. In refutatoriis autem libellis, qui solent maximè in sacro auditorio prudentissimorum nostrorum procerum recitari, caueant tam litigatores, quàm libellorum dictatores verbosis vti adsertionibus, & ea quæ iam perorata sunt, iterum resuscitare. hæc ille. Et Terent. Andria. Quin tu vno verbo dic quod me velis. In artium præceptis idem seruandum monuit Horatius.

-- *Quicquid præcipies esto breuis.*

Sed in orationibus forensibus exacta breuitas non placet, hoc est verborum illa siccitas, & inopia, ne dum breuis esse laboras, obscurus fias. sed quod alio etiã dixi loco, oratio in qua nihil dicendum prætermittitur, benéque longa sit, breuis tamen videri potest, vtpote venusta, suísque compta ornamentis, & partibus absoluta: contrà, ea longior videri solet, quæ quanquam paucis completa verbis, alienum quid habeat vel inculta sit, & horrida, vt non semper verborum numero breuitatem metiamur. Lepidè ad hunc sensum & argutè Martial. ad Cosconium, lib. 2.

Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra,
Vtilis vngendis axibus esse potes.
Hac tu crediderus longum ratione Colossum,
Et puerum Bruti dixeris esse breuem.
Disce quod ignoras Marsi, doctique Pedonis,
Sæpe duplex vnum pagina tractat opus.
Non sunt lõgã, quib⁹ nihil est quod demere poßis,
Sed tu Cosconi, disticha longa facis.

PRAEVARICATIO *est transire dicenda*) Prçuaricari est, vt Martian. ait, vera crimina abscondere, & excusationes falsas recipere, l. 1. ad Turpil. aut etiam cum aduersa parte colludere, causamque prodere, vt in l. 1. D. de præuaric. παρὰ βασιν καὶ ἀπόςασιν philologi appellant. Ammian. Marcellin. lib. 29. fallere minùs non videtur qui gesta prætererit sciens, quàm ille qui nunquam facta fingit. Et Symmach. 10. epist. 1. lib. Malo quippe aures tuas iterando obtundere, quàm fraudare reticendo. Præuaricari.

LONGIORE *tractu*) Alij, tractatu.

ORATIONES *Lysiæ*) Al. Lybiæ, malè.

CATONIS, *Gracchorum*) De his M. Tul. de claris Orator. & Plutarch.

CVIVS *oratio fertur optima, quæ maxima*) Eo nempe gratior quæ longior, quia nihil alienum aut redundans; nihil temerè aut etiam inconsultò repetitum.

ET *certè vt aliæ bonæ res, sic liber bonus melior est, quò maior*) Vt cùm rogatus Cicero, quæ Demosthenis oratio melior censenda videretur, dixit: Ea quæ longior. Optima oratio quæ longissima.

SIC *liber bonus, melior est*) Iam liber bonus: vt in membr.

SI *modò sint decora, nihil magis quàm amplitu-*

AD EPISTOLAM 20.

QVODNAM dicendi genus, amplúmne an copiosum, an concisum & breue, magis probandum sit.

CVM *in causis agendis breuitas placet*) Concinna esse vtendum breuitate, in quibusdam non ægrè fatemur, quoniam prolixitas nimia confundit ingeniũ, vt in l. ampliorem, §. in refutatoriis. Cod. de appell. In refutatoriis autem libellis, qui solent maximè in sacro auditorio prudentissimorum nostrorum procerum recitari, caueant tam litigatores, quàm libellorum dictatores verbosis vti adsertionibus, & ea quæ iam perorata sunt, iterum resuscitare. hæc ille. Et Terent. Andria. Quin tu vno verbo dic quod me velis. In artium præceptis idem seruandum monuit Horatius.

-- *Quicquid præcipies esto breuis.*

Sed in orationibus forensibus exacta breuitas non placet, hoc est verborum illa siccitas, & inopia, ne dum breuis esse laboras, obscurus fias. sed quod alio etiã dixi loco, oratio in qua nihil dicendum prætermittitur, benéque longa sit, breuis tamen videri potest, vtpote venusta, suísque compta ornamentis, & partibus absoluta: contrà, ea longior videri solet, quæ quanquam paucis completa verbis, alienum quid habeat vel inculta sit, & horrida, vt non semper verborum numero breuitatem metiamur. Lepidè ad hunc sensum & argutè Martial. ad Cosconium, lib. 2.

Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra,
Vtilis vngendis axibus esse potes.
Hac tu crediderꝭ longum ratione Colossum,
Et puerum Bruti dixeris esse breuem.
Disce quod ignoras Marsi, doctique Pedonis,
Sæpe duplex vnum pagina tractat opus.
Non sunt lõgá, quib' nihil est quod demere poßis,
Sed tu Cosconi, disticha longa facis.

PRAEVARICATIO *est transire dicenda*) Prȩuaricari est, vt Martian. ait, vera crimina abscondere, & excusationes falsas recipere, l. 1. ad Turpil. aut etiam cum aduersa parte colludere, causamque prodere, vt in l. 1. D. de præuaric. παρὰ βάσιν καὶ ἀπόστασιν philologi appellant. Ammian. Marcellin. lib. 29. fallere minùs non videtur qui gesta præterit sciens, quàm ille qui nunquam facta fingit. Et Symmach. 10. epist. 1. lib. Malo quippe aures tuas iterando obtundere, quàm fraudare reticendo. Præuaricari.

LONGIORE *tractu*) Alij, tractatu.

ORATIONES *Lysiæ*) Al. Lybiæ, malè.

CATONIS, *Gracchorum*) De his M. Tul. de claris Orator. & Plutarch.

CVIVS *oratio fertur optima, quæ maxima*) Eo nempe gratior quæ longior, quia nihil alienum aut redundans; nihil temerè aut etiam inconsultò repetitum.

ET *certè vt aliæ bonæ res, sic liber bonus melior est, quò maior*) Vt cùm rogatus Cicero, quæ Demosthenis oratio melior censenda videretur, dixit: Ea quæ longior. Optima oratio quæ longissima.

SIC *liber bonus, melior est*) Iam liber bonus: vt in membr.

SI *modò sint decora, nihil magis quàm amplitu-*

do commendet) Nihil, abest à vet. sed errore scribę potiùs.

QVINETIAM *voluminib.*) Vet. quin &c.

QVORVM *orationibus nitar*) In vet. vtar.

RESCISSA *ac purgata*) Al. repurgata.

Actio, oratio. ALIVD *actio, aliud oratio*) Quia, inquit, potest esse actio bona, quę non sit bona oratio; quia oratio sit actionis exemplar. Fortè huc non malè referas quæ Seneca disputat initio lib. 9. Controuers.

FORSITAN *fallar*) Vet. fallor.

ACTIO *bona quæ non sit bona oratio*) Al. actio bona quę sit bona oratio. Nō posse autem bonam actionem esse, quæ non sit bona oratio.

TEMPVS *accipiat*) Acceperit, vt vet.

ALIVD *alios mouet : ac plerumque paruæ res maximas trahunt*) Al. maximè rrahunt ; & in vet. loco ac, leg. at.

Iugulum premere EGO *iugulum statim video, hunc premo*) Hoc dictum quidem ab ostentatore, reprehensum non sine figurato morsu à Secundo. At iugulum premere, nihil aliud est quàm præcipuum causæ cardinem, vel disceptationis summum caput intueri, obseruaréque.

VBI *ille iugulum*) Ille, abest à manuscr.

NEQVE *enim minus*) τὸ enim, abest etiam à veter.

SPATIVMQVE *desiderant*) Vet. desiderat.

ALIAS *excessisse*) In al. abundasse al. non implesse. in quibusdam excussisse legi, nullo penè sensu.

MAIORIS *ingenij indicium est*) Al. vitiū.

ILLAM *orationem similem*] Vet. illam plenam orationem.

EST *quidem sed inertibus*) Quidem abest à meis manuscr.

CEDERE *auctoritati*] Vet.credere.

BREVI *epistola, sed tamen scribe*] Sed tamen, à vet.abest.

CONFIRMABIS] Confirmaueris, vt veter.

SI *errare*] Al.si errauero.

NON *corrupi te*] In vet.corrumpi.

AD EPISTOLAM 21.

COMMENDAT seruos, quia decoros, dum tamen frugi sint.

QVOD *de venalibus, auribus melius quàm oculis iudicatur*] In quibus oculorum iudicium fallax, vel non ita fidũ, atque aurium; quia plurium iudicio creditur, quod certius esse cẽsetur. Id fortè ex opinione populari: vel, quod magis crediderim, quia natura comparatum sit, vt quam ipsi mercem affectamus, vix ita sanè possimus æstimare, atq; ij qui nullo aut paruo eius desiderio tanguntur. Sic enim iudicium aurium certius esse creditur quàm oculorum, & contra. Arist. de sensu, & iis quæ sensibus percipiũtur: πρὸς μὲν τὰ ἀναγκαῖα κρείσσων ὄψις, πρὸς δὲ νοῦν, κατὰ συμβεβηκὸς ἀκοὴ, hoc est, Ad ea quæ necessaria sunt, visus præstat: ad mẽtem verò, & disciplinas, & animi ornamenta comparanda, auditus excellentior est per accidens. Dicit autem κατὰ συμβεβηκὸς ἐξ ὀνομάτων, καὶ σύγκειται per accidens, quia ex nominibus constat, & ab oratione pendet.

Qua ratione Tull. ad Curium in 7. Familia. Quamquam hæc auditu acerba, tamen audire tolerabilius est quàm videre. At oculi, si res interuallo aliquo remota sit, fallũtur, vt ipsemet Arist. docet 3. de Cœlo, exemplo stellarum, quæ videntur quidem scintillare, non scintillant tamen, ex quo animam non facit oculo similem 2. de Anima, sed corpus, animam videndi virtuti quæ inest oculis.

AD EPISTOLAM 22.

Aristonis, sapientissimi hominis virtutes maximas impensissimè commendat, grauitatem, doctrinam admirabilẽ tum iuris publici, tum priuati, multarum & maximarum rerũ vsum, aliáque plura quæ diligenter hac epistola persequitur. Quæ profectò, vt paucis multa, videtur ideam emẽdatissimi & seriò docti hominis tanquã in tabula expressisse.

Iam *quanta sermonibus*) Nam quanta sermon. vt vet.

Ad *hoc*) Ad hæc. in vet.

Habitu *corporis præferunt*) Al. præ se ferunt: & ij eos referunt, de quibus Musonius apud Gellium, Barbam & pallium video, philosophum non video.

Nihil *ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert*) Sapientis & emendati hominis factum, quod subinde ad Lucilium Seneca crebris quasi aculeis augere solet, & Cicero nonnunquam.

Non *quidem gymnasia sectatur, sed in toga*

negotiisque versatur) Quam maximã, eámque præcipuam Philosophiæ partem alio loco dixit.

SPONTE *exiret è vita*) Quæ fuerit ea de re veterũ opinio, seu quod delirium potius, commodiore, ni fallor, loco docui.

SIN *tantùm difficilis*) Si tamen difficilis, in veter. leg.

ID *ego*] Vet. id ergo.

IMPETV *quodam ad mortem procurrere cõmune cũ multis: deliberare verò & causas expēdere, vt quæ suaserit ratio, vitæ mortisque consiliũ suscipere vel ponere; ingentis est animi*] Impetus enim vel mortem optandi, aut ad eam currēdi consilium nõ habet: ad eam verò sese cõponendi, siquidem vel naturalis, vel etiam necessaria est, nõnisi verè sapientibus datũ. Impetus.

SED *latioribus*] Al. lætioribus.

AD EPISTOLAM 23.

ROGABATVR Plinius an cùm Tribunus esset, causas egisset: ait se tum abstinuisse ab aduocatione, & eius quidem facti causam aperit.

INANEM *vmbram, & sine honore nomen*] Temporibus Imperatorũ fuisse potius vmbras magistratuum, vt Tribunàtus, Præturæ, aliorũ quàm veros magistratus, ex hoc loco Pliniano cognoscere est. Sic Lucanus dixit de Pompeio emortuo; Inanis vmbra magistratuum.

--- stat magni nominis vmbra,
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuuias veteres populi, sacratáque gestans

Dona ducum,&c.

QVI *me esse aliquid*] Esse, abest à vet.

VT *perferatur*] Præferatur, vt cod. vet.

AD EPISTOLAM 24.

PETIT pro Suetonio Trãquillo agellũ emi ita iusto precio, ne eum emptionis pœniteat.

ROGO *cures, quanti æquum est, emat*] τὸ emat, non est in membr. certè elegantius, & ex more emptionũ, in quibus verborũ formulæ non ita strictè obseruantur, vt hac nimirum voce, quanti, vel tanti, & similibus.

Mala emptio arguit stultitiam domini.

MALA *emptio semper ingrata est, eo quòd exprobrare stultitiam domino videtur*] Γνώμη sanè lepida, & quæ emaces admonere debeat, ne dum cupidiùs obsecũdant adamatæ rei, suæ facilitatis, aut etiam temeritatis pœnas dẽt.

SCHOLASTICIS *porrò studiosis*] Illud, studiosis, abest à vet. in aliis est, dominis. Sanè scholasticos dominos, pro iis qui versantur in ocio, an noster hîc intelligat, viderint alij. Alio loco monuimus scholasticum opponi ei qui res ciuiles administret.

SVFFICIT *abundè tantùm soli*] Dotes agri varias enumerat, festiuè quidem & vrbanè, sed sollicitè tamen & curiosè, vt attentiorem emptorem faciat.

VNAMQVE *semitam terere, omnésque viticulas suas nosse*] Vet. sic, vna semita terras, omnésque viticulas suas nosse.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. II. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

CELEBRATVR funus Virginij Rufi, multis honoribus, & laudationũ titulis cumulatĩ: hinc de genere mortis quædam.

TRIGINTA *annis gloriæ suæ superuixit, posteritati suæ interfuit*] Sic Mart. ad Licinium lib. 7. Posteritatẽ sua frui.

Doctorum Licini celeberrime, summe virorum,
Cuius pisca graues lingua reduxit auos, &c.
Scis igitur quantas hominum mors falsa querelas
Mouerit, & frueris posteritate tua.

RELIQVIT *incolumem*] Reliquit se incolumen: vt in vet.

LAVDATVS *à Cõsule Corn. Tacito, nã huic supremus fœlicitati etiam cumulus accessit laudator eloquentissimus*] Vt non vltima laus laudatum fuisse à laudato viro. Plato Lachete: ὄντως μέντοι ὁ ἔπαινος δοκεῖ καλὸς, ὃν ἐπαινεῖ ὑπ' ἀνδροῦ ἀξίου πιστεύεσθαι. Meminit sententiæ huius notissimæ Symmach. 9. epist. 101. Et Cicero dicebat se aliorum facilè passurum Laudari à laudato viro.

reprehensiones, dum à Catone suo laudaretur. Huc conferre placet quæ postea Plin. 7. epist. 31. Item 9. epist. 25.

ILLVM *non solùm sed & priuatim diligebam*) Amoris in Virginium sui causas certè honestas enumerat, vt suæ pietatis edat aperta testimonia.

Mortui non defiendi.

SI *tamen fas est aut flere, aut omnino mortẽ vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita est, quàm vita*) Philosophica hæc παρένθεσις, quam sæpè variéq; tractat Seneca, Tullius, Plutarch. alij: vt in re adeò trita, verbis addere verba superuacaneũ videri possit. Vix tamen trãsilierim huius præconij lõgè suauissimi tanquam characterem in aliis etiam vetustis expressum scriptoribus. Sic Cic. pro Cornel. Balbo, discrimen constituit inter ciues gratiosos, & fortes: Viuos enim illos frui suis operibus, horum etiam mortuorũ si quisquam impertiri defensor non potest, viuere immortalem apud omnes auctoritatem. Pro Plancio idem: Qui pro Republ. vitam reddiderunt, nunquam eos potius mortem quàm immortalitatem putat assecutos. Idem apud cõsultos Iuris, Qui pro Republ. ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur. Facilè prætereo Aristotelis, Thucydidis, & aliorum locos similes, ex quibus constare potest quanti virtus etiam mortuorum hominum apud veteres fuerit.

VOLVI *tibi multa*) Al. volo tibi.

VANIS *imaginibus*) Quidam libri, variis; vnus in quem nuper incidi, manuscr. veris, perspicuè habet.

ALIQVOS] Alios, nonnulli legunt. In

iis emẽdatiunculis nollem ita diligens esse, nisi vererer ne quis ex nostris philologis mihi diẽ diceret, quasi qui varias lectiones non ita magni faciam. Vt enim semel id statuam, amplexor eorum ingenia, qui libros veteres quàm emendatissimos euulgant, sed aliorum quorũdam, & nimis adeò multorum σμικρολογίαν, & curiosiùs studiũ in singulis penè verbis, nedum sententiis ad examen reuocandis, non ita magni pendo, quamquam id videam placere multis, quibus non tam philosophia, quàm ipsa philologia placeat: vitium grauiter & copiosè à Seneca reprehensum, epist. 107. & 109.

AD EPISTOLAM 2.

AMICA est castigatio, qua cessatoris Paulini requirit epistolarum officium tamdiu desuetum.

SCIS *quàm sit amor iniquus interdũ, impotẽs sæpe, μικραίτιος semper*] Venustè id quidem & argutè, ne grauior sit expostulatio, & alienor ab amicitiæ suauibus alloquiis. Certè, vti iam alio loco, amor modum nescit, vel vt lepidè Epigrammatistes, Amor μικραίτιος.

Δεινὸς ἔρως, δεινὸς καὶ τυφλός, &c.

Cic. ad Attic. 2. Non ignoro quàm sit amor omnis sollicitus, atque anxius.

AD EPISTOLAM 3.

NEpotem monet Isæum Rhetorem disertissimum hominem audiat, ex cuius viua voce sit eruditior euasurus.

Saepe *etiam partes*) Cod. manuscrip. sępe etiam paratus. quæ lectio multò est emendatior, nisi me animus fallit.

Enthymema. Ἐνθυμήματα, καὶ νοήματα] Verbum νοήματα, non est in manuscr. Enthymema, ab ἐνθυμεῖσθαι, mente aliquid concipere: significat omnem ab oratore quæsitam materiã; quod videtur in Topic. sensisse Tull. Idem Quintilia. lib. 5. Itẽ lib. 8. cap. 5. & 2. de arte dicẽdi Aristo. Sed hæc communis significatio enthymematis. Propriè verò, argumẽtatio est, quæ sic ab exemplo secernitur, vt in Dialectica syllogismus ab inductione. Dialecticorum enim sunt syllogismi & inductiones: quibus in Rhetorica exemplum & enthymema respondet. Verùm si maximè propriè sit ea vox accipienda, est argumentatio, quæ ex contentione contrariorũm & pugnãtiũ fieri solet, qualia dicũtur Aristoteli ἐλεγκτικά. Noemata. Noema verò, νόημα à νοεῖν qua voce omnis intellectus accipi potest, ait Fab. lib. 8. Sed hoc nomine donarunt ea quę non dicunt, verùm intelligi volũt; vt in eũ quem sæpius à ludo soror redemerat, agentem cum ea talionis, quòd ei pollicem dormienti recidisset, Eras dignus vt haberes integram manum. Sic enim auditur vt depugnares. Multa sunt eiusmodi apud Secundũ nostrũ Noemata. De his & apud Sophistas Hermogenem & Theonem.

Scholasticus. Scholasticus *tantùm est*) Vox hæc

vſurpatur haud dubiè pro eo qui ſibi in vita priuata philoſophatur, feréque opponitur politico,& in ciuili adminiſtratione verſāti:in malignum tamen accipi ſenſum video apud quoſdā, vt Arrianum lib.1. σχολάστικον σε δεῖ γίνεσθαι τοῦτο τὸ ζῶον, οὗ πάντες καταγελῶσιν.i.*Scholaſticum ait animal eiuſmodi eſſe, quod rideatur ab omnibus.*

N O S *enim qui in foro veris litibus quotidie terimur, multū malitiæ, quamquā nolētes addiſcimus*] Pulcher hic locus in vitam moréſque rabularum,quæ hominum conditio piraticæ ſimilis,vel certè piratica deterior. Qua ratione Plut comment.de vſura vitanda,forū dicit, hoc eſt ἀγορὰν, eſſe ἀσεβῶν χώραν,impiorū regionem,ex quo Cato dicebat;forū eſſe muricibus ſternēdū,vt Plin. retulit lib. 9.hiſtor.nat. cap. 1.vt hoc ſaltē impedimēto improbi homines à litigando deterrerētur.Sed & ſuo tēpore conqueſtus eſt Columella.quo loci ait,ſine cauſidicis olim ſatis felices fuiſſe homines;ſed magno quodam malo,morē neglectū maiorū,& conceſſum in ipſo foro latrocinium.Iudices, velut canes acerrimi,ait Seneca, non niſi oblato cibo māſueſcunt.D. Hieron. iūridicos lyncibus & leonibus crudeliores dicit,etſi deuorent ore rabido, tamdiu tamen deprædandi memoriam non perdere,quandiu venter eſt vacuus. Sed quid Apuleius? Rabulas certè nominat viliſſima capita,forēſia pecora, & togatos vultures.Quin & Accurſ.ad l.ab Anaſtaſio.C.mādati.ſcribit cauſidicos omnia mala noſſe, & rabulas deprædatoribus eſſe

In fori rabulas.

persimiles,qui plus iusto exigant. Quos & Bart.dicit esse canes curiarum, & voratores, ad l.omnes populi. D.de iust. & iur.sicuti & Plato,populi accipitres. Sed de his iam satis, vereor ne plus satis.

QVAMVIS *nolimus*] Vet.quãuis nolẽtes.

LEGENDI *semper est occasio,audiendi nõ semper,viua vox magis afficit*] Cic.2.ad Att.12.vbi sunt qui aiunt, ζώσης φωνῆς μεῖζω ἐνέργειαν ἔχειν.Senec.epist.6.Plus tibi viua vox, & conuictus quàm oratio proderit. In rem præsentem venias oportet:quia amplius homines oculis quàm auribus credunt : deinde quia longum iter est per præcepta,breue & efficax per exempla Vide Fab.lib.2.cap.2.

ILLVD *AEschinis qui cùm legisset*] Val. Max.lib.8.cap.10 de pronuntiat. Meminit Cicer. de claris Oratorib. & de Orator. 3. Fab.11.cap.3.

AD EPISTOLAM 4.

HORTATVR Caluinam hereditatem patris adeat, postquam iam tandem æs omne alienum persolutum sit.

Bona defuncti væniisse. probro fuit.

CVIVS *fiducia debes famã defuncti,pudorémque suscipere*] Olim non carebat opprobrio is cuius bona publicè vænirẽt. Cic.pro Quinctio: Hercule, inquit, cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama & æstimatio cum bonis simul possideatur. Huc spectat quæ Caius l.curator,D.de curat. furios. sed maximè l.23 quæ in fraud. credit. Vbi Scæuola scribit, famam defuncti aditione heredi-

reditatis conseruari.

SVNT *quidem nobis modicæ facultates, sed quod cessat ex reditu: frugalitate suppletur*) Venustè hoc & sapienter: ex quo duo elicimus; primum opum mediocritatem non esse vitio vertendam, aut non minoris existimandum qui in tenui re sit, pauper enim non est cui alioqui rerum suppetit vsus, vel quod ait Theognis, ζῆν ἀπὸ τῶν ὀλίγων: alterum verò id complectitur vetus; magnum vectigal, parcimoniam: quod ex Hesiodi libris ἔργων memini sumptum, quo loco ait; Opum mediocritas. Parcimonia, vectigal magnum.

Ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος κορέσασθαι,
Μεσῷ τι φείδεσθαι δειλὴ δ' ἐπὶ πυθμένι φειδὼ

significat; dolio pleno, liberè eo vtendum; at in medio, parcendum.

AD EPISTOLAM 5.

COMMITTIT Luperco emendationem orationis quam scripserat in dedicatione bibliothecæ de suorum laudibus, solique natalis apud municipes.

IVDICIO *tuo tradi: hus tu, rogo, intentionem*) Vetus sic, iudicio tuo traditum iri. rogo intentionem scribentis adcommodes.

AVSTERITATEM *exigo*] Hoc est, seueritatem, ducta à saporibus metaphora, ad mores. quo verbo vsus non rarò Ausonius, vt in Parental. Lenia seueris mista.

Tu grauis & comis cum iustitiáque remissus
Austeris doctus iungere temperiem.

Idem in professoribus, Tiberio victore,

Nullo felle tibi mens liuida, tum sale multo
Lingua dicax blandis & sine lite iocis.

Noster Plin.3.epist.16. Austeris illis seueris-que dulcia hęc blandáque vt iusta possessio decedunt. Idem Panegyrico ad Traianum: Quanta principi nostro concordia, quantus concentus omnium laudum, omnísque gloriæ, & nihil seueritati eius hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahitur. Huc confer quæ idem lib. 8. epist. 21. initio. item lib.7. epist.3. & lib. 4. epist.3.

Emendatio nimia. VT *in plerisque frontem remittas; sunt enim quædam adolescentium auribus danda*) Non vult ita seuerè in suam orationem animaduerti. quod enim alibi dicit, nimirum, emendationis studium atterit ingenium potiùs & debilitat, vt in seq. lib. ait idem Plin. & lib. 4. epist. 10.

EXORARE] Exonerare, vt in aliis,

AD EPISTOLAM 6.

PROPOSITO cuiusdam sordidi & inepti hominis exemplo cõuiuas inæqualiter excipientis, monet Auitum fugiat lautitiam immodicam, & nimias sordes.

VT *sibi videbatur*] Vet. vt sibi videtur.

GRADATIM *amicos habet*] Habebat vt in vet.

Gradatim amicos habere. NAM *gradatim amicos habet*) Quasi in amicitia probetur inæqualitas; qua vna nihil ab amicitiæ legibus magis alienum. Acris sanè & amarulenta hominis sordidi, & infa-

ceti reprehensio, qui inter apertas sordes munificentiam ostentaret: & in amicorum conuictu principatum nescio quem affectaret. Eodem, nisi fallor, sensu reprehenditur quidam Marcus, apud Martialem lib. 6. ad Marcum,

Tu Lucrina voras, me pascit aquosa Peloris,
Non minus ingenua est & mihi, Marce, gula.
Te calmaea Tyros, me pinguis Gallia vestit:
Vis te purpureum Marce, sagatus amem?

NIHIL *magis esse vitādum quàm istam luxuriae & sordium nouam societatem*) Grauiter id & acutae. quid enim luxuriae cum auaritia cōmune esse potest? haec enim perpetuò inter se pugnant, vt nullum cum iis esse commercium posse videatur. Eam ob rem Persius Satyra 5. Luxuriae & auaritiae dissidium magnum.

Mane piger stertis, surge, inquit auaritia, eia
Surge. negas? instat, surge, inquit; nō queo: surge,
An quid agas, rogitas?

Cic. in Verrem 5. Occupatus rebus venereis à praedando cessabat, furtáque sua intermittebat.

AD EPISTOLAM. 7.

OB RES praeclarè gestas, ab Imperatore statuam decretam Spurinnae, filióque eius Cottio, scribit.

HERE) Heri, vt scribitur in vetust. cod.

OSTENTATOQVE *bello, ferocissimam gētem, quod est pulcherrimū victoriae genus terrore perdomuit*) Praeclarum id elogium boni Imperatoris, qui terrore potiùs, quàm strage

hoſtes domuerit. ex quo celebratur victoria incruenta, tacitéque preferrur ei quæ multo cruore fuſo parta ſit : qua de re exempla multa apud Plutarch. alióſque.

HAC *veluti immortalitate proferri*) Non proferri, ſed perfrui, legitur in manuſc. Fauieriano; ſed, vt opinor, mendum id obrepſit, ſcribæ imperitia.

NON *modò defuncti memoriæ, dolori patris, ſed & exemplo proſpectum eſt*] Id etiam ſcitè & grauiter. Pro nihilo enim habenda non ſunt ſepulcrorum aut monumentorum, vel columnarum extructiones, ſed quæ maximè in honorem virorum de ſua Rep. bene meritorum poſitæ ſunt. Præterquàm quod enim ſolatia viuorum ſunt, adhæc etiam proſunt exemplo.

PRAETER *hanc comm.*] Malim propter hoc, iuxta vel apud: quo ſenſu vocula hæc ſumitur paſſim apud auctores veteres.

ETENIM *ſi defunctorum imagines domi poſitæ*] Morem hunc Romanis olim ſolemnem aſſeruandarum domi imaginum, & ſtẽmatum gentilitiorum, Polybius diſertè retulit lib. 6. quo loco ait, Romanos feſtis diebus imagines maiorum apertis armariis ornaſſe; cùm verò ex domeſticis quiſpiam mortuus eſſet, eas in funere extuliſſe, addito reliquo corporis trunco, vt magnitudine quàm ſimillimæ apparerent. Idem penè Plinius hiſtoriæ mundi lib. 35. ex quibus ſanè intelligimus nobiles ab ignobilibus diſcretos fuiſſe. Illuſtris eſt Salluſtianus in Iugurthino locus: Sępe audiui Q. Maximum, Pub. Scipionem, pręterea ciuitatis no-

ſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere cum maiorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi ad virtutem animum inflammatum: ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſe habere, ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere. Meminit Seneca epiſtol. 64.

AD EPISTOLAM 8.

POLLICETVR ad Larium venturum ſi ſe à negotiis vrbanis poſſit exſoluere.

STVDIA, *altiſsimus iſte ſeceſſus affatim ſuggerunt*) In manuſc. iſte ſeceſſus ſuggerit, vbi verbum affatim deeſt.

SOLVERE *negatur*) Non datur, vt in vet.

VETERIBVS *negotiis noua accreſcũt, nec tamẽ priora peragũtur, tot nexibus, tot quaſi catenis*) Expreſſa eſt εἰκὼν negotioſi hominis, & Reipub. quaſi fluctibus immerſi, qui cùm huic Occeano ſe primùm credidit, non poteſt cum maximè vult ſeſe expedire, vt quaſi colluctetur cum nouis ſubinde, ſanéque moleſtis negotiorum fluctibus.

EXTENDITVR) Oſtenditur, vt aliis.

AD EPISTOLAM 9.

PETIT ab Apollinari iuuet Erutium in petitione tribunatus.

QVASI *pro me altero patior*) Id pro amicitię iure, cum amicus ſit quaſi alter ipſe, vt

iam alio loco monuimus.

Latum *clauum*) Constat ex veteribus tunicam laticlaui senatorem ab equite distinxisse, vt Plin. lib. 33. annuli distinxere alterum ordinem à plebe, vt simul cœperant esse celebres, sicut tunica ab annulis senatum tantùm. meminit Sueton. in Augusto. Martialis ita in Gelliam iocatur,

Dum te posse negas nisi lato Gellia clauo
Nubere, nupsisti Gellia cistifero.

Meminit Fab. lib. 11. cap. 3. de pronunciatione.

Reddam *vicem si reposces, reddam etsi non reposces*) Vt gratia gratiam pariat: ad quam reddendam vel referendam alioqui sumus obnoxij iure naturæ, quanquam beneficiis amic' pro suo pudore nihil à nobis exigat.

Ostende *modò velle te, & non deerunt qui quod tu velis cupiant*) Vehemens hæc & arguta adhortatio, cum laude coniuncta eius qui cum multum possit, velle etiam debere suadetur.

AD EPISTOLAM 10.

Hortatur Octauium ad editionem suorum versuum.

Neminem *te patientem*) Hominem, alij leg. fortè emendatiùs.

Durum, *ac penè crudelem*) Dirum, qui librorum tanquam liberorum famæ non prospiciat: penè crudelem, qui quasi fœtum iam editum non curet.

Tibi *maximam laudem, nobis voluptatem*) In

manusc. tibi maxima laude, nobis voluptate

IIS *denique*] Vet. iisdémque, leui facta mutatione.

LINGVA *Romana*] Signa, lego in aliis.

HABE *ante oculos mortalitatem, &c. Nã cetera fragilia & caduca non minùs quàm ipsi homines desinunt, occidúntque*) Crebra est apud nostrum adhortatio similis, cum qua eam confero, quæ apud Sallustium præfatione coniurationis Catilinariæ.

DICES, *vt soles, amici mei viderint*) Eo fermè sensu Sosibianum Martialis increpat, qui tandiu differret librorum à se scriptorum editionem, lib. 4.

Plena laboratis habeas cùm scrinia libris,
Emittis quare Sosibiane, nihil?
Edent heredes, inquis, mea carmina; quando
Tempus erat iam te, Sosibiane legi.

Idem ad Faustinum, libro priore,

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos
Et cultum docto pectore profer opus.
Ante fores stantem dubitas admittere famam,
Téque piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, per te quoque viuere chartæ
Incipiant, cineri gloria sera venit.

Huc etiam quę noster habet lib. 3. epist. 7. ad finem, & lib. 4. epist. 16.

AD EPISTOLAM II.

MARIVS Priscus accusatus ab Afris, quibus proconsul pręfectus erat, damnatus repetundarum, postulantibus Plinio Secundo & Corn. Tacito: Martianus in

quinquennium relegatus.

SI *quid actum*) Si quid acti, vt vet.

CVM *ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset.*) Quam speciem esse falsi notāt Iuris auctores, qui enim iudicem quoquomodo corruperunt, aut corrumpendum curarunt: itémque iudex, qui in rationibus, tabulis, cerásve, aut alia consignatione falsum quid admiserit, aut etiam amouerit, & alia multa, de quibus tit. Dig. ad l. Corn. de fals.

PATESCIT *enim cum separaris à turba, contemplatio rerum quæ turba teguntur*). Hoc ad iudiciū rerum pertinet, quod vel perturbatū, vel impeditum esse in turba solet, propter varia obiecta, quæ etiam prudentibus solent imponere.

AD *hoc Ianuarius mensis cum propter cæteras, tum precipuè senatorum frequentia celeberrimus*) Ianuario mense ineunte consulatum inibāt; túncque maior senatus vniuersi frequentia, vt Ouid. in Fastis. Eo & consules solebant clauum figere in parietibus sacrarū ædium ad annum designādum, vt ait Festus. Sic Liuius in 7. repetitum ex seniorum memoria pestilentiam quandam clauo ab dictatore fixo sedatam: eáque religione adductū senatum, claui figendi causa dici iussisse dictatorem. Is autem clauus æneus, nonnunquam & ferreus in postico templi pariete, quod Mineruę dicatum erat, in Capitolio visebatur. figebat eum Consul sacro solemni, & aliquando dictator solius claui figendi causa creatus. Scio & alterum fuisse clauum, qui Septembris idibus figebatur in sa-

erarum ædium parietibus, de quo nihil amplius. De priore Plin. noster Panegyrico: Contigit ergo priuatis aperire annum, fastósque reserare. Ita Symmachus lib 1. epist. 7. primores Calendas Ianus aperibat, & 38. epist. seq. Calendæ tunc erant, quibus annus aperitur. Idem Sidon. Apollin. lib 8. epist 6. Consul Asterius anni sui fores votiuum trabeatus aperuerat.

INSITVM *mortalibus studium magna & inusitata noscendi*) Poëma hoc seu communem sententiam etiam Rhetores tractant.

NAM *decem clepsidris*) Quidam habent duodecim: alij viginti.

ERAT *enim fascibus*) Vet. fustibus.

STRANGVLATVM *in carceres*) In carcere, vt manusc.

NAM *decem eclepsidris, quas spaciosissimas acceperam*) In meo vet. quas spaciosissimè, rectè. Et hîc obseruo morem clepsidrarũ. Primus clepsidrarum vsus in vrbem illatus (inuentore Ctesibio, Alexandrino homine, testis est 9. lib. Victruu.) à Nasica Scipione, quod & hydrologium, seu aquaticum horologium; phiala, è qua furtim aqua flueret, & vbi reliquisset inanem phialam, tempus exactum esse designabat, quæ in alterũ spatium rursus per ministrum replebatur. Eius apud Oratores Græcos crebra mentio, & Ciceronem de Orat. 3. vbi de Pericle: at hunc non clamator aliquis ad clepsidram latrare docuerat. Sed vno verbo, constat olim felicis Romæ temporibus oratores & patronos fori, ne rem verborum tendiculis implicarent, angustiis temporum in po- Clepsidrarum vius.

ſtulando fuiſſe coërcitos, & iis certum clepſidrarum numerum præſtitutum, quibus dicerent. Sic Martial. lib. 6.

Septem clepſidras magna tibi voce petenti,
Arbiter inuitus, Cæciliane, dedit.

Idem in Cinnam, lib. 8.

Hoc agere eſt cauſas, hoc dicere cauſa diſertè,
Horis Cinna decem dicere, verba nouem.
Sed modò clepſidras ingenti voce petiſti
Quatuor, ô quantum, Cinna, tacere potes?

Loco clepſidrarum nos vtimur vtplurimum arenariis vitreis duplicibus, quas abuſiuè clepſidras appellamus. Meminit vſus clepſidrarum Fab. cap. 6. lib. vltimi, & noſter Plin. lib. 6. ſeq. ad Arrianum.

NISI *vt noctis*) Niſi noctis, ſic vet.

SENATVM *nocte dirimi*) In manuſc. dimitti.

EST *alioqui Regulò tam mobile ingenium, vt plurimum audeat, plurimum timeat*) Duo hæc ex aduerſo pugnant audere ac timere; ſed. cum improborũ animus ſibi ipſe diſſideat, vt ait Plato in Lyſide, non mirum ſi contrariis ſæpe affectibus torquentur. quanquam tamen audacia iſthæc, temeritas ſit improborum aſſidua comes: metus verò ſit ex ſcelerum conſcientia.

Λιτούργιον non leue] Λειτόργον, alij habent per ει λειτούργιον, res eſt ſeu negotium populare aut ad populum pertinens, hinc λιτουργοὶ pro miniſtris publicis accipi volunt. Notum verbum λειτουργεῖν, pro eo quod eſt publicum obire munus huc, λειτουργεία, καὶ λειτούργημα, adminiſtratio ſeu

famulatus.

STIPVLATVS est de *Marciano quinquaginta millia probabatur: ipse praeterea accepisse sestertiûm decem millia*) Sic in vet. cod. stipulatúsque de Martiano quinquaginta millia denariorum. probabatur ipse praeterea: accepisse sestertia decem millia; ita vetus in quo nihil diuersum, praeter distinctionum varietatem.

AD EPISTOLAM 12.

ARRIANO indicat quis finis fuerit de Firmino cognitionis.

ARRIANO) Vet. Arrinio.

QVID *miserius quàm exactum, & exēptum honoribus senatoriis labore & molestia nō carere?*) Quam exsectum, & exemptum: lego in vet. Variae nimirum de accusato sententiae: quidam statuebant, ordine mouendum, vt Cornutus Tertullus: contrà alij in sortitione prouinciae rationem eius non habendam, vt Nerua: quam duriorem fuisse sententiam Plin. ait.

IN *hac altißima specula se conspiciendum*) Πάθος vehemens, quo allusum putem, ad illud, Nihil miserius quàm ex beato miser: cuius Cic. meminit in partitionibus. Caeterum hîc speculam pro curia posuit, vt idem Tull. 1. in Antonium: manendum mihi statuebam, quasi in vigilia quadam consulari ac senatoria. vt Symmach. speculam honorum dixit lib. 1. epist. 20.

A senatu in senatum sedere.) Sic in vet. cod.

De sessione iudicum, dictum alio loco à nobis est.

HOC *pluribus visum, numerantur sententiæ, non ponderantur*) Hoc etiam iudiciorum penè omnium cacoëthes, vt rarum demum habeatur non quòd pondus habeat, sed quòd pluribus placet.

AD EPISTOLAM 13.

MIRIFICE commendat Voconium à maioribus, & virtutibus suis, maximéque doctrinæ laude.

INGENIVM excelsum) Excussum, in al. sed non ita rectè.

VT *Musas ipsas Latinè loqui credas*) Eo dicendi schemate, Xenophon, apis Attica, nominatus: & Iouem si disputare vellet, non alia quàm Carneadis logica vsurum esse.

Ius trium liberorũ. TRIVM *liberorum ius impetraui*) Ius liberorum impetrabant, qui quamquam vxorati essent, tamen cùm liberos nõ haberent, coniugibus succedere non poterant, nisi decima deducta ex lege Papia. Itaque post constitutiones Theodosij, Nouella Valentiniani de testamentis, qua refertur Leontinum & Iucundam vxorem tanta charitate inter se concertasse, vt ius liberorum poscerent fusis simul precibus, & propter incertum sortis humanæ superstitem coniugem precarentur hæredem.

MIHI *tamen, tanquam eligeret*] Liceret, in membran.

HAEC *beneficia meq; tueri nullo modo, quàm vt*

augeam, possim) Huc confer quæ Seneca disputat lib. de benef. 2. cap. 11.

ROGAT *enim & quidem efficacißimè, qui reddit causas rogandi*) Γνώμη, cum qua lubens contulerim epist 9. lib. 1. Horat. vt in Iure, preces quæ veritate & ratione nituntur, ex se sunt efficaces, neque alio ferè vel suffragio vel patrocinio indigent, adeò vt ipsa pro se res loquatur; habet enim honestas & æquitas semper sibi adiunctam suadelam, vt intelligamus ab officio boni viri alienum esse, si inuitus concesserit, quod iustè recusare non debeat.

AD EPISTOLAM 14.

PERSTRINGIT actores centumuiralium causarum, vt qui veterem agendi formam non obseruent.

SVNT *enim pleræque paruæ & ciuiles*) Quales etiam supremi nostri Senatus cōtentiones longè multæ frigidę & leuiculæ, indignæ prorsus quæ in iis subselliis proponantur, & quas interdum pedanei iudices à suis auditoriis consulto ablegant. Causę multæ frigidæ in foro

ADOLESCENTVLI *obscuri ad declamandum huc transeunt, &c.*) Totus hic locus in nouitios aduocatos non iniuria tortus, videtur conferēdus esse cum illo Satyrici Petronij, cuius initio fragmenti hæc legūtur. Neoterici aduocati.
« Illi tumore, & sentētiarum strepitu vanissimo hoc tantùm proficiūt, vt cùm in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos; & ideò ego adolescentulos

» existimo in scholis studiosissimos fieri,
» quia nihil ex iis quæ in vsu habemus, aut
» audiunt, aut vident, sed piratas cum catenis
» in littore stantes, & tyrãnos edicta scriben-
» tes, quibus imperent filiis, vt patrũ suorum
» capita precîdant, sed responsa in pestilentiã
» data: vt virgines tres, aut plures immolen-
» tur, sed mellitis verborũ globulis & omnia
» dicta factáque quasi papauere vel sesamo
» sparso, qui inter hæc nutriuntur non magis
» sapere possunt quàm bene olere qui in culi-
» na habitant: pace vestra liceat dixisse, primi,
» omnem eloquentiam perdidistis.

MAIORES *natu ita solebant dicere*) In manuscr. ita maiores natu solent dicere.

ADOLESCENTIBUS) Vet. adolescentulis.

NE *quidem locus erat adolescẽtibus nobilissimis, nisi aliquo consulari producente*) Quem morem noster Secundus attigit, quo loci ait, Cupio bonos adolescentes ostendere foro.

PULCHERRIMUM *opus celebrabatur*) In vet. colebatur.

ACTORIBUS *similes*) Al. auctoribus.

CONDUCTI *& redempti mancipes conueniunt in media basilica*) Sic vet. conducti & redempti mancipes: conuenitur à conductis & redemptis in media basilica.

VBI *tam palàm*] Vbi abest à membr.

σοφο-κλεῖς laudiceni. Σοφοκλεῖς) παρὰ τὸ σοφοὺς καλεῖσθαι, quasi dixeris laudicenos (quãquam nomen Sophoclis deflectatur à σοφὸς καὶ κλέος) in eos torqueri solitum qui quid ad ostentationem faciunt, quales Sophistæ.

Μεσόχορος) Vox ex quibuſdam doctis negotium faceſſit, videtúrque fiſtulatorem citchariſten, modulatorémve ſignificare, qui in medio eſt chorearum, vt accepiſſe videtur lib.1. Sidon. Apollin. Μεσόχορος.

SCITO *eum peßimè dicere, qui laudabitur maximè*) Idque ex deprauato iudicio populari, quod ſapientibus ſuſpectum ferè eſſe ſoleat: nempe vulgus ex veritate, pauca: ex opinione, multa exiſtimat, Cic. pro Comœd. Idem: In imperita multitudine eſt varietas, inconſtantia, cæteráque vt tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio. pro Muræn. Vide Senec epiſt. 7. 29. & ad Gallionem, initio de vita beata. 78. noſter idem epiſt. ſeq. 19. Populi iudicium.

PESSIME *dicere, qui laudabitur maximè*) In vet. qui præ cæteris laudab. max.

LARGVS *Licinius*) Lartius, in al. leg. al. Titus. Is Licinius, vir Prætorius, Plinij maioris libros quadringētis millibus comparare voluit. Apud Plin. 19. legitur, Lartius Licini', & 31. Paul. Iuriſc. Latini Largij meminit de orig. iur. mēminerūt Iuue. & Fab.

EX *Quintiliano præceptore meo*) Is rhetor celebris ciuitati Romanæ inſertus, ſeu Latij iure, ſeu liberalitate principum, qui & tandem conſularia ornamenta eſt adeptus. teſte Auſonio. Iuuenalis id non tacuit, cuius hæc verba de Quintiliano, Sat. 7. Fab. Quintilianus.

Si fortuna volet, fies de rhetore conſul,

Verùm id obiter: ait expreſſiùs hoc,

——— unde igitur tot
Quintilianus habet ſaltus, &c.
Fœlix, & ſapiens, & nobilis & generoſus
Appoſitum nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Martialis item de eodem rhetore;

Quintiliane vage moderator summe iuuentæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

AD EPISTOLAM 15

ROGAT Valerianum quàm agris nuper sibi comparatis oblectetur.

NIHIL *tamen æquè gratum est adeptis, quàm concupiscentibus*) Alij, sic nihil tamẽ vsque ad me ademptis: nescio quo sensu; in vet. sic.

NIHIL *æquè gratum acceptis, quàm concupiscentibus*] Te tua delectant, me mea, inquit ille, 5. Tuscul. feréque fit vt ea impensiùs placeant, quæ auidè sunt expetita, ex cóque fiunt duplo gratiora. quod nostrates suo idiotismo efferunt; rem quæ placeat, ferè iam habere pro empta.

Assiduæ querelæ quidfaciant.

HABENT *hunc finem assiduæ querelæ quod queri pudet*) Ob steriles & infœcundos agros queri perpetuò sapientis non est, quãquam id hominem maximè vrat. Quæ γνώμη vt arguta, sic & lepida, facilè potest ad alios torqueri vsus, vt litium molesta tædia, rei familiaris lacunas, discordias principum, vicinorum strepitus, & alia multa.

AD EPISTOLAM 16.

QVIA codicilli quidam Aciliani non essent testamento confirmati, Annianus, putabat pro nullis habẽdos. Cõtra Pli. vltimam hominis volũtatem pluris esse fa-

ciendam, quàm ius ipsum asseuerat.

QVOD *ius ne mihi quidem ignotum est, cùm sit ius etiam notum qui nihil aliud sciunt*) De iure codicillorum, & quàm frequens vsus fuerit, ex Augusti lege, docet Cod. tit. cod. de codicil. tum de iure codicil. lib. 29. Ius codicillorum

ERGO *proprium*) Proximum, vet hab.

QVOD *ius ne mihi quidem ignotum*) Ita rectè vulgati libri. At in Fauierij cod. quod ius mihi quidem cognitum.

IVRE *deficerentur*) Vet. deficerent.

DEFVNCTORVM *voluntates etiamsi iure destituerentur, quasi perfectas tuerer*) Confer huc quæ de iure testamentorũ noster hic lib. 4. epist 10. tum 5. epist. 7. Certè & iura docent nihil magis hominibus deberi, quàm vt suprema voluntas rata habeatur. Sicuti & morientium donationes ratas esse Solon voluit, ait Plut. δόσεις κυρίας τῶν τελευτώντων. Quin & in dubio, vt Iuris aiunt periti, satius est actum valere, quàm vt pereat, vt potiùs vincat æquitas, quàm summum ius. Testaméti ius.

AD EPISTOLAM 17.

GRAPHICE & erudito verborum cõtextu laudat agrum suum Laurentinũ ex variis tum causis, tũ subiectis, adiũctísque: monétque Gallum villam tot naturæ & artis subornatam dotibus suo contubernio dignari velit.

LAVRENTINVM *meum*) Laurentum, seu Laurens, Italiæ vrbs Stephano de vrbib. de qua etiam Plin. & Strabo. Laurẽtum vi- Laurentinus ager Plinij.

detur appellari Liuio.

Ostia. OSTIA) Oppidum in Latio, ad ostiæ Tiberis, vt apud Ptolom.

VILLA *vsibus capax, non sumptuosa tutela*) Ad vsus domesticos sufficiés, & ad cuius custodiam non sit opus multo sumptu. Sic enim tutelæ verbum hîc interpretor, vt apud Florent. l. 3. de iust. & iur. quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur: itē l. 1. C unde vi. modò cum moderamine inculpatæ tutelæ id fiat.

ATRIVM *frugi non tamen sordidum*) Moderatum, non sumptuosum, in quo tamen nullę sordes, aut tenacitas nimia œconomi, Atrium. vel etiam domini reprehédi possit. Atrium, primus in ædes aditus, vt apud Varr. ex quo ductum nomē plerique censent. Seruius tamen ab atrore potiùs, quia veteres in atrio culinā habuisse dicit. Verùm in ædibus quæ porticum ante atrium haberent, dicebatur μεσαύλιον καὶ πτδιαρῶον.

Mesauliō. PORTICVS *in Δ literæ similitudinem*] Vt triangularis esset. In quibusdam tamen libris, in O litteræ similitudinem quasi orbicularis, aut certè ad oui formam accedens.

Specularia. NAM *specularibus, ac multò magis imminentibus tectis muniuntur*] Specularibus vtebantur olim, vt nos hodie vitreis fenestris.

Mesaulę. EST *contra medias*) In al. lego mesaulas, aliquanto rectiùs. Mesaula verò quid sit, Vitruuius explicat lib. 6. cap. 10. ait enim, Inter peristylia & hospitalia itinera sunt, quę mesaulæ dicuntur, quòd inter duas aulas media sunt interposita: nostri andronas appellant.

Eſt ergo inceſſus peruius inter andronam & gynæceum.

CAVAEDIVM) Locus eſt ſubdio vacuus, quaſi cauum ædium, ex Varro. aream in liminibus ædium quidam eſſe putant. Cauędiũ.

TRICLINIVM] Conclaue Cic. vocat, locus in quo accumbebant tribus lectis diſcubitoriis menſam cingentibus, ita vt ſtatori, & à poculis per quartũ menſæ latus eſſet reliquum, Vitr. 6. cap. 5. Triclinium.

VALVAS, *aut feneſtras*) Valuæ, aut feneſtræ plicabiles, bipatentes, ſeu bifores: nam & Suidæ dicuntur θύραι συνδρομάδες. Valuæ.

MOX *alium ſiluas, & longinquos reſpicit montes*) Horat.

Laudaturq; domus longos quæ proſpicit agros.

GYMNASIVM) Quo ſenſu vulgò accipiatur vox hæc, nemo neſcit, quídque διδασκαλεῖον, quid pædagogium; hîc verò ſumitur pro diſcreto quodam loco domus exercẽdis corporibus apparato: quale olim fuit athletarum, ſeu luctatorum qui nudi exercebantur. Gymnaſium.

ADNECTITVR *angulo cubiculum in apſida curuatum*) Vet. aſpida curuatum.

ARMARIVM *inſertum*) Locus quo vtenſilia, ſeu etiam cibaria reconduntur. Armariũ.

DORMITORIVM *membrum*] Membrũ pro parte domus, vt Columel. & Iuriſc. accipit. Membrũ.

QVI *ſuſpenſus & tabulatus*] Alij, ſuſpen. & ſublatus.

CVBICVLVM *cum procœtone*) Al. leg. proceſtrio: al. aliud proceriori. Ego cum erudi- Procœtõ.

tis aliquot legendum puto, procœtion, non procestrion; quod aditum notat quo in murum proceditur, ait Pompon. Festus. Est antithalamus προτοίτιον, vel προτοιτὼν συνθάλαμος, cubiculum minus thalamo, vbi ancillæ aut ministri dormiunt.

Baptisteria. Dvo *baptisteria*) παρὰ τὸ βαπτίζειν, lauacra; Sidon. Apol. 2. epist. 2. Baptisterium ab Oriente connectitur, quod viginti circiter modiorum millia capit.

Hypocaustum. Hypocavstvm) Vaporarium, quod alij sudatorium nominant: imperitè quidã pro thermis accipiunt.

Propnigei. Adiacet *propnigeum*) Hoc est caminus seu furnũ, propriéque locus in quo carbones accenduntur, quod Latinè Profurnium dici potest. Vitru. lib. 5. cap. 11. nostri pro furno simpliciter accipiunt, vbi præclusus ignis accéditur ad calorẽ cõciliandũ. Quo loci adnotare liceat olim Romanis temporibus non fuisse spiracula, siue gulas vnde fumus exiret, quos vulgò Caminos appellamus, Latinè Infumibula dici nõ malè possunt. Quamquam enim camini verbum reperiatur apud Cicer. 7. epist. ad Famil. Horat. 1. epist. Sallust. in Vitellio, aliósq;, tamẽ non eo omnino sensu. Nam veteres ligna amurca macerasse legimus, vt sine fumi tędio arderent, quod & Cato indicat de re rustic. cap. 130. ea ligna ξυλὰ ἄκαπνα dicebantur, quod doctus vir Philander meminit ad Vitruuij lib. 7. cap. 3.

Olim nõ fuisse fumibula, seu caminos.

Sphæristerium. Sphæristerivm) Vbi pila corpus exercetur, ἀπὸ τῆς σφαίρας, volubili orbi-

culo.

SVB *qua diætæ duæ*) In al. leg. Zetæ, eodem sensu, nam διαιτᾶν, viuere est, sicuti & ζῆν, locus in quo conuiuabantur, & cœnabant, sicuti à Colum. sumitur, & Vlpian. de variis & extraord cogn. vt & in l. 13. §. sed si. de vsu. fruct. Est & habitatio ad voluptatem comparata, vt in l. 43. §. 1. de leg. 1.

HORTVS *pinguis & rusticus*) Vet. pinguior & rusticus.

CRYPTOPORTICVS] Subterranea porticus seu concameratus sub terra locus, quales multæ in vetustis monasteriis visuntur hodie, à verbo κρύπτειν; nam & cryptarum mētio fit aliquoties in martyrologiis. quæ loca subterranea fuêre, in quibus religionis nostræ homines, tyrannorum metu, res sacras faciebant. Cripto- porticus.

XYSTVS) Vt porticus, vel tectum hibernis exercitiis destinatum, vt apud Vitru. lib. 5. cap. 11. vel pensile ambulacrum, quod nostri Galeriam dicunt opertam; Græci τὸ ξυσὸν καὶ ὁ ξυσὸς eodem sensu accipiunt: Latini non item; apud quos Xystus, porticus est, in quo athletæ hiberno tempore exercerentur: Xysta, subdiales ambulationes, vbi cœlo sudo suas palæstras agitabant, quas παραδρομίδας Græci. Xystus.

AFRICVM *sistit*) Quem ventum pestilentem Horat. dicit 3 Carm. 23.

POST *meridiem gestationes*) Loca in quibus gestari se veteres iubebant, vel valetudinis, aut etiam voluptatis causa. Idem noster ad Gallum, Gestatur buxo, ait: & Iuuen. Gestatio.

7.Satyr.

Balnea sexcentis, & pluris porticus, in qua
Gestatur dominus, quoties pluit. ---

Gestationum multos fuisse modos, vt esseda, lectica, carruca, & alii; ex veteribus colligere est, sicuti & nostris paulò delicatioribus moris est.

FAVONIO *accipit*) Lenem ventum, quē Zephyrum Græci.

Heliocaminus. HELIOCAMINVS) Solis euaporatio seu ęstuariū, quod vi verbi intelligitur. Meminit verbi huius Vlpian. in l. arborem. de seruit. vrban. præd.

VTRAQVE *solem*) Vet. soles.

HYPOCAVSTVM) Vaporarium, vt suprà.

Saturnalia. PRAECIPVE *Saturnalibus*) Quibus maximè festis genio veteres indulgebant, cœnas & conuiuia liberaliùs agitabāt, vt aliàs monuimus.

MAGNAMQVE *eius voluptatem præcipuè Saturnalibus capio*) Vet. sic: Magnámque eius voluptatem ecce Saturnalibus præcipuè capio.

HAEC *amœnitas deficitur aqua salienti*) Vet. deficit aqua salienti.

MARIS *vicinitate salsius*] Alij, corruptus.

Balinea meritoria. BALINEA *meritoria tria*) Balineum Plinio, quod aliis balneum. Sūt & qui balneas efferant. Meritoria verò quę locari possint; & in quę lauaturi excipiantur aliqua pacta mercede.

MERITORIA *tria*) Vet, habet, interiora tria.

QVOD *nonnunquam longa tranquillitas mel-*

lit) Vet Fauierij, quod nunquam.

SQVILLAS *suggerit*) Alij, egerit.

ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ ad 17. Epiſtolam.

CVM hac epiſtola confero illam ſequẽtem lib. 5. ſextam, qua nõ minore verborum apparatu celebrat Tuſculanũ ſuum; ad quarum characterem Sidonius Apollinaris efformauit epiſtolam ſecundam lib. 2. qui videtur non vno ſanè loco Plinianam grauitatem & copiam æmulatus.

Et has equidem luculentas deſcriptiones tuas, Secunde, quoties lego, vt ſæpiſſimè facio, qui ingenij tui beata vena, & animi candore afficior, ſic tuas virtutes omnes admiratione perſequor, vt ſingulas exoſculer: ſicque tuorum verborum illicio capior, vt mihi vnà tecum vixiſſe videar. Quid enim tuis epiſtolis lènius, quid eruditius, quid grauius eſſe, fingíve poteſt? At cùm erudito iſto penicillo tuos fundos, hortos, prædia, ita epiſtolis duabus effinxeris, vt videare aut cũ pictoribus qui res, vt in natura ſunt, ad viuum conantur efformare; quaſi qui cum ipſa natura certare nituntur; aut cum villæ tuæ pulcritudine varietatéque contendere, vt ea tot commodis cumulata, quæ funduntur naturæ benignitate; tot aucta manupreciis, tot adumbrata lenociniis artificioſæ induſtriæ ad honeſtam animi capiendam oblectationem comparatis, nihil iam habeat quo ſe

efferat, vel etiam tuis laudatiſſimis tabellis anteponat. In quo tamen ne te fortaſſe præter modum oſtentes, Plini doctiſſime, memineris quæſo triti omnium ſermone prouerbij, quo dicitur, Suum cuique pulcrum: Et, Quiſque ſuum laudat. cætera noſti: immò facile fuiſſe diſerto benéque docto homini, qualem te eſſe fatemur ingenuè, augere verbis, quod tuo & aliorũ fortaſſe iudicio pulcrum cenſeretur. Verùm Plini, hoc tibi do non inuitus, vt prædium tuum chartis nunquam morituris expreſſum, ideóque ſolo ipſo beatius, cuius neſcio an iam facies vlla ſuperſit; nobis commendes, dum patiare nos Cantilupum prædium, pomœrium Gallicanum tuo non æquare modo, ſed & meritò iure anteferre. Ea eſt amœniſſima villa, & fundo & arte felix, ſita haud procul ab opido Caſtrico, in ipſis Mõris-lerij cõfiniis; quam villam, ſuis ornatam dotibus, ſi videre aliquando tibi contigiſſet, puto, aut nihil, vt opinor, vel Laurẽtino tuo, vel Tuſculo tribueres. Quid enim in eo Cantilupi ſepto priùs mirer, neſcio: an ſaltum, nemúſve? an ambulacra ſpacioſa ſuo virore perpetuo exuberantia ſpiſſarum arborum, frondium opacitatem, auram tenuiſſimam, ſaluberrimam, iucundiſſimam, puriſſimos fontium riuos, plãtarum, florúmque multiplicem ſanéque beatam copiam, in qua paſſim & naturæ genius & artis imitatio ita certãt, vt neſcias omnino cui primas partes tribuere debeas. Quid enim tapetes, & ſtromata hederacea buxeáve perpetuo natiuóque virore, lõgo ſpatiorũ ordine conſpicua; quid

Xyſtos,

Xystos, & exhedrarum innumeras imagines, quid lõgos viarũ ductus, & inde Musarum & Apollinis ædem, quid Veneris, & aliorum Deorum exstructa delubra mirer? Neque verò assequi stilo possum adeo pulcerrimi artificij ordinem, & æquè admirabilem œconomiam: quin satis habeo vnde aliquo penicillo: summa sequi fastigia rerum. Has ergo videas Nympharum quasi inerrantium effigies, fonticulorum murmura, tubulis & canalibus vitreas vndas euomentium; multa vetustatis, tum historicæ, tum poëticæ adumbrata locis quampluri mis monumenta; quibus & docti non sine aliqua iucunda oblectatione memoriam eorum quę legerunt, vltrò replicent: & illiterati tam exacta rerum venustate capiantur. Nihil dico de cœlestium orbium imaginibus ipsísque quatuor elementis in media horti planicie sic ingeniosè & solerti studio effigiatis; vt in iis non terræ modò ambitus, quod non adeò difficile fuit, sed & sui distinctíque orbes igni, aëri, marísque ipsi quod circunfluum est & perenne, assignati: vt qui videant, & mirentur, & impẽse laudent, quod in tenui, & non ita longa area totius vniuersitatis effigiem possint vno aspectu intueri.

Laudarit hîc aliquis lucum, & opacam syluam, ambulacris in quincunces distinctam, alius secretas pergulas, alius atque alius gymnasticæ loca varia, variis ornata ad corpus, animúmque reficiendum exercendúmque instrumentis: sunt quibus irrigui fontes, & horti plantis frugiferis, aliísque pro-

ceris arboribus mira opacitate, ac virore luxuriantibus arriserint: sunt & qui nuper expressum commendarint, arte singulari amphitheatrum, multa solertia, studióque magno ad formam Romani amphitheatri in medio luco sic adumbratum, vt siue hoc, siue alia, & quocunque me pedes ferant, intuear, malim vniuersa, vno complecti fasce, quam singula non ita bene, disertéque percensere, & in ea tenui mea prædicatione inopiam ingenij profiteri, quàm non satis laudando insantiam meam prodere.

Quæ quidem certè vt laudem, mirerque, non vno argumēto moueor, vt qui opinionis, seu potius iudicij habeā mei assertores longè multos, aduersarium neminem. Verùm vt Cantilupum laudatione persequar, facit prędij amœnitas, cœli, solíque salubritas, tum denique naturæ & artis opera aliis fortè omnibus, quotquot in orbe visuntur Gallico citra controuersiam, exceptionémque omnem præstantia: sed vt mirer Cantilupum, facit ipsius Domini, ornati viri Io. NEOVILAEI excellens animus, præclarum ingenium, rara doctrina maiorū etiam auita nobilitas: qui in beata rerum copia, benéq; fundato patrimonio, vir multiscius, longóque rerum doctus vsu, cum ad maximos Reip. honores sua vnius virtute posset ascendere; se vno contentus, expers ambitionis omnis, qua bona pars hominum miserè deluditur, & sæpe contabescit, sibi suísque viuit, optima fama, illæsa conscientia, proindéque charus bonis omnibus, honestissimum vitæ innocentis præbet exemplū

Ioan. Neouillæus.

in ſuo illo fundo magnam æui partem ducens non in ocio perpetuo, ſed in litterato, & digno hominibus liberis negocio. Ille enim quanquam ſolus, nunquam tamen ea ſolitudo ſine fructu abit: nec in altiſſimo pinguíque ſeceſſu poteſt ocioſus deſidere. ille igitur & beatus mihi meritò cenſeri debet, vt qui procul à negociis, turbáque importuna concurſantium aulicorum, & vrbani ſtrepitus, in quibus tot viris ingenuis deuorādæ moleſtiæ, ſed hoc maximè tempore, quo vt in Mileſiorum vrbe, nemini ferè bono eſſe liceat; ipſe, inquam, certo animi iudicio beatus, qui iam olim magnis Reip. muniis defunctus, quod æui ſupereſt, ſibi quamoptimè conſcius, honeſtè, planéque iucundè traducat.

Sed non iam plura: præterquàm quòd enim Cantilupum lepido, benéque polito carmine nuper eſt perſecutus, V. C. I. Buchardus, libellorum ſupplicum in Regia primùm magiſter, poſt euectus ad præſidis ſummum munus in Pariſienſi curia, vt aliis omnibus, nedum mihi, eam laudem præripuiſſe videatur, & ad meritum, dignúmque hominis, qualis eſt ille Cantilupi ornatiſſimus herus, prædicationem ſit opus eo tubicine: qui multas, magnáſque virtutes, quæ in eo eluceſcunt, pro dignitate, perſonet, iam deſino, méque ex amœniſſimo Cantilupo ad Plinium meum recipio.

AD EPISTOLAM 18.

MAVRICVS à Plinio petierat, vt rhetorem aliquem filiis fratris quæreret. Id se facturum pollicetur, cum omnes vel singulos audiuerit.

LOQVEBANTVR] Iocabantur, vet. hab.

SVPER *tanta re. nam quid magis vestra interest quàm liberi, &c.*] Institutionem iuuentutis rem esse maximam, non vno loco Plato indicauit, hoc est ὀρθὴν παιδείαν τὸ τῆς πόλεως προοίμιον: & hanc consultationem, vt rem sacran ipsemet initio Theagis grauiter docuit sub persona Socratis: ἀλλὰ μὲν δὴ, ὦ Δημόδοκε, καὶ λέγεταί γε συμβουλὴ ἱερὸν χρῆμα εἶναι. εἴπερ οὖν καὶ ἄλλη ἡτισοῦν ἐστὶν ἱερὰ, καὶ αὕτη ἂν εἴη περὶ ἧς σὺ νῦν συμβουλεύῃ, οὐ γὰρ ἔστι περὶ ὅτου θειότερον ἂν ἄνθρωπος βουλεύσαιτο ἢ περὶ παιδείας καὶ αὑτοῦ, καὶ τῶν αὑτοῦ οἰκείων. Certè, quidem dicitur consilium sacra res. si igitur & aliud vllum est sacrum, etiam hoc erit de quo nunc consultas. nihil enim diuinius de quo possit homo consilium capere, quàm de institutione sui ipsius, & suorum.

AD EPISTOLAM 19.

QVAM recitationem Orationis Plinianæ Cerealis poscebat, aliquod certè probabilibus rationibus deprecatur.

Vanæ orationis δίνωσις. ACTIONES *quæ recitantur, impetum omnẽ, calorémque, ac prope nomen suum perdere*) Longè maior & acrior in dicendo multis audienti-

bus, inque iudicum consessu ἀγῶνας, in qua vires omnes ingenij replicantur, imò & augescunt, quia sint cum aduersario quasi manus conserendæ, inter spémque, metúmque, timores inter & iras, cum recitatur etiã viuida vt plurimùm languescat & debilitetur: quod & alio loco Plinius admonet.

TAMEN *quod sedent; debilitantur*) Sedendo quidem fit prudentior animus, inquit philosophus: qui verò stando dicit, quod solẽne fuit oratoribus, maiores impetus habet. Animus sedendo fit prudẽtior.

ISTI *libro nouitas lenocinetur*) Bellè Ouid. 3. Eleg. de Ponto,

Est & cunctarum nouitas gratissima rerum.

Seneca lib. natural. quæstionum vlt. Quod naturale est, magis noua, quàm magna mirari. Idẽ declam. Ad noua homines concurrunt, ad noua conueniunt. hæc illi. cuius rei rationẽ quidã fuere qui nimis anxiè peruestigarint, certè Firmicus Iulius 7. Matheseos ait eos qui sidere capræ oriantur, esse rerum omnium curiosos; vt semper noua quæque desiderij cupiditate sectẽtur. Sed hæc obiter.

AD EPISTOLAM 20.

RVRSVM hæc in Regulum, impudentẽ Rabulam quį Caluisij animum delectat propositis tribus fabellis.

HVIVS *dico Pisonis, quem Galba adoptauit*) De quo fusè perspicuéque Tacitus lib. histor. 1. & Plutarch. in Galba.

HABES *climactericum tempus, sed euades*) De

anno climacterico libro superiore aliquid adnotasse me memini, ad epistolam 12.

HAC *aruspicem consulem*) Liber manusc. habet, auruspicem.

Captare. CAPTARE *eum cœperat*] Captandi verbum desiderij est, & ἐνδρητικὸν, quomodo in Iure dicimus captatorias artes, & hereditatem captare, Vlpiã. pro eo quod dicimus, arte niti, structisque technis vt eam corradamus, l. 1. D. siquis aliq. test. & votum captandæ mortis, l. de fideicommisso, C. de transact. Eo sensu sæpe vtuntur Horat. Martial. Iuu. alij.

BONAM *mortem*) Bona mortis, vt alij.

AC *sibi tunicas quas erat induta, legare: obseruauit scribentem*) Sic in vulgat. at cod. vet. sic, ac sibi tunicas quas induta legare obscurauit, scribentem inspexit.

Legata benemeritis. HIC *hereditates, hic legata quasi mereatur, accipiat*] Quæ tamen non nisi benemeritis obtingere debere iura volunt, ex quo quæstiones de iniusto rupto testamento, quærelæ inofficiosi, & similes.

Ἀλλὰ τί διατείνομαι;] Quid extendo sermonem? quid pluribus verbis opus est? Correctio hęc familiaris oratoribus ad elegantiorem transitum.

Contempta virtus. IN *ea ciuitate in qua pridem non minora premia, immò maiora nequitia & improbitas, quàm pudor & virtus habent*] Belle Iuuenalis.

————*pietas laudatur & alget*: Immò
Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior alga est.

Idem 3. Satyr.

Quid faciam Romæ, mentiri nescio.

Martialis lib. 4. ad Fabian. epigr. 5. idem lib.

3.28.& in 6.50.& lib 11.67. Persius in 5. Sat.

Vare, regustatum digito, terebrare salinum, &c.

Ex paupere ad tantas opes per flagitia processit) Rectè Iuuenalis.

——————diues qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quæ custodia legum
Quis metus, aut pudor est vnquam properantis auari.

Nemo enim vel maximè industrius potest ita statim ditescere, nisi qui sit improbus aut improbo proximus. Fatemur quidem vel ex legum auctoritate, pauperibus interdictum non esse augmentum patrimonij, neque cuiquam inuidendum si fortunas augeat, l. si defunctus, C. arbit. tit. eædémque leges nobis permittunt, quandiu viuimus, sperare iustis rationibus obuentionem, in l. si creditores, D. de separationibus, nec enim si quis ditescat, continuò turpis quęstus suspicionẽ recipit, ex l. Q. Mutius, D. de donat. int. vir. & vxor. Quia, vt Cicero 1. de Offic. rei familiaris amplificatio nemini nocens, vituperanda non est, sed tamen fugienda semper iniuria. quod minimè fit ab eo qui pauperiem veritus, vt magnum aliquod vitium, compẽdiariam sibi viam sternit ad ingentes opes per facinora fraudéisq; captatorias, nimirum, quod Menander ait, οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν. Occurrit Aristotelica distributio ex 2. de arte dicendi, qua ostendit permultùm eos differre qui nuper diuites euaserunt, ab iis qui pridem sunt, & à suis maioribus opes acceperunt: sunt enim illi maioribus vitiis cumulati, & fiunt impotentiores, certéque contumeliosiores. Ad eam

In citò di rescentes.

Iis qui facultates augẽt nõ est succendendum.

Nuper diuites.

rem obuius est Ciceronis præclarus in Rullum locus, actione secūda, his omnino verbis: singularis homo priuatus, nisi magna sapientia præditus, vix facilè sese regionibus officij maximis in fortunis & copiis continet, nedum isti à Rullo, & Rulli similibus conquisiti atque electi coloni Capuç, in dominatu superbiæ, atque in sedibus luxuriæ collocati, non statim conquisituri sunt aliquid sceleris & flagitij: immò verò etiam vt magis, quàm illi veteres germaníque Campani, quod veteres fortuna illos natos & educatos, nimiæ tamen rerum omnium copiæ deprauarunt: ij ex summa egestate, in eandem rerum abundantiam traducti, non solùm copia, verùm etiam insolentia commouebuntur. Hęc ille quid verò in re minimè dubia testibus non necessariis? Iactanti olim Syllę suas opes; quidam dixit? Qua ratione vir esse bonus potes, in tot tantísque fortunis, cùm tibi nihil à patre relictum sit? Et M. Anton. vitio vertere conatus est M. Tull. quod ita diues esset, cum nihil ferè à maioribus accepisset. quod disertus orator ita diluit, vt calumniosè id dictum in conuiciatorem regerat.

Sed non plura. non enim modò Reguli, aut similium Regulo rabularum, sed & virorum alioqui bonorum, si boni sunt, hic morbus est, qui cogendarum opum nullas rationes non conquirant, & si possint rectè, si non quocunque modo: vel etiam cum famæ, vitæque iactura, Theognidis versu, tanquam oraculo edocti,

Τῷ δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον

Ῥίπτειν ϗ, πετρῶν Κύρνε κατ' ἠλιβάτων.

Sexta *duplicata*) Sestertia duplicia, alij leg. nonnulli nescio quo sensu, se exta. sed iudicent quibus est otij plus, aut iudicij, vel lectionis.

Si *modò aliena testamenta, quod est improbissimum falsi genus, ipsis quorum sint, illa dictauerit*) Quæ ars captatoria summè flagitiosa, quæque falsi speciebus enumeratur, tum vel maximè quod testamenti condendi ratio ab alieno arbitrio pendere non debeat. Ars captatoria.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. III. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

SPVRINNAE Vesticij vitam moresque strictim narrat: ad cuius exemplum se cum senex erit, vitam compositurum significat.

SIDERVM *cursus*) Dierum, in vet. cod.

VITA *hominum disposita delectat, senũ præsertim*) Nescio an grauius quid, an lepidius dictum, vel ab iis qui sapientiã profitentur. In quacunque hominis ætate, sed maximè senili, certa constánsque ratio vitę placet. Senum & iuuenum propria.

NAM *iuuenis adhuc confusa quædam & quasi turbata non indecent*) Huc facit paroëmia vetus, Odi puerulos præcoci sapientia: nimirum videtur esse monstri simile, si quod ait Persius,

Prudentia velox ante pilos veniat.

Quò spectat ille è Mimis.

Odiosa iuuenta quæ parilis senectæ.

Vt contrà,

Grata senecta quæ parilis iuuentæ.

QVINETIAM *parua hæc*) In membr. quin etiam.

NEC *minus animum, quàm corpus exercet*) Ita Sallusti⁹ in Catilinario, vbi de moribus veterum Romanorum agit: prudentissimus quisque negotiosus maximè erat, ingeniũ sine corpore nemo exercebat, optim⁹ quisque facere, quàm dicere sua: ab aliis benefacta laudari, quàm ipse aliorum narrare malebat. Seneca verò epistola 89. qua disputat an disciplinæ ad virtutem conducunt, ait veteres Romanos exercuisse virtutem docendo, hastilia iaciendo, sudem torquendo, equum agitando, arma tractãdo: nihil suos liberos docuisse quod discendum esset iacentibus, hoc est segnibus & remissis.

SERMONES *explicantur*) Conferuntur, al. vt in membr.

QVAMVIS *ille hoc temperamentum modestiæ suæ induxerit, ne præcipere videatur*) Qui præcipit aliquid, & suam ipsius conditionem, & eorum mores, geniúmque quibus præcipere vult, spectare debet. Animus enim benè à natura institutus non ferè parere vult, nisi rectè docenti, aut placidè monenti, aut vtilitatis causa iustè ac legitimè imperanti; ait Tullius 1. Officiorum. Homo liber non facilè sib imperari sustinet.

LYRICA *doctißimè*) Vet. Lyrica doctissima.

CVIVS *gratiam cumulat sanctitas scribentis*) Vt auctoritas in homine rerum gerendarum grauissimum telum est: sic morum sanctimonia magnas habet ad fidem faciendam vires. Auctoritas.

VT *voluptates studiis condiantur*) Rectè Ausonius; *Sunt etiam musis sua ludicra.*

Sic Cupido apud Lucianum, Musas dicit:

σεμνὰς quidem θεὰς καὶ ἀεί τι φροντίζειν, κ, περὶ ᾠδὴν ἔχουσιν, graues quidem Deas esse, sed cantu delectari.

Senilis prudentia. SOLAQVE *ex senectute prudentia*) Plautus Trinum. Sapientiæ ætas condimentum. D. Hieronym. ad Nepotia. Omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia decrescunt cæteræ virtutes. Sed & præclarus in conuiuio Platonico locus, sub Alcibiadis persona; τοι τῆς διανοίας ὄψις ἄρχεται ὀξὺ βλέπειν, ὅταν ἡ τῶν ὀμμάτων τὰ ἀκμῆς λήγειν ἐπιχειρῇ: al. λήγει ἐπιχειρεῖν. Tum vel maximè oculus mentis acutè cernere incipit, cùm primum deflorescit corporis oculus.

ILLE *quod honestum fuit, obiit officia, gessit magistratus*) Spurinna, cùm vegeta esset ætate, Reipubl. munera sustinuit, senex iam septuagenario maior sibi cœpit viuere, eam enim vel moribus expressit εὔλογον ἐξαγωγὴν, quam probarunt sapientes, de qua Aphrodiseus 3. lib. in Stoicos.

AD EPISTOLAM 2.

ARRIANO Maturo equiti vt aliquid vel inopinanti conferatur, dignitates per Maximum, petit: quem dignum laudis accessione, dignum amicitia dicit.

ARRIANVS *Maturius*) In vet. cod. Maturus, constanter legitur.

NON *de facultatibus loquor*) Ne de moribus vltima fiat quæstio: & quidem princi-

patum in opibus nunquam ſapientes poſuerunt. Rectè Horat. non ſine Satyrico ſale.

Roſcia dic ſodes, melior lex, an puerorum
Nænia.

QVAE *illi largè ſuperſunt*) Fortè, ſuppetunt, niſi quis, ſuperſtant, legi mulit, quod magis placet.

CONSILIO *in negociis, iudicio in ſtudiis*) Arguta hæc γνώμη, & qua paucis multa. in negotiis, ſi non ſit prudentia & conſilium, hoc eſt, in vita tum publica, tum priuata, ludimus operam: in ſtudiis niſi ordo certáque diſpoſitio ſit, quæ certè iudicij eſt, labor omnis quamquam multus magnúſque, aut ſit irritus aut ſuperuacaneus. Conſiliũ in negotiis, ordo in ſtudiis

AMAT *me vt tu, non poſſum ardentius dicere*) Ἐμφατικώτερον id, & vehementis impetus ad expediundum aut impetrandum amici hominis officium: qui perſuadendi locus non ſemel à Plinio vſurpatus conſtat, viro ad amicos vnicè complectendos & conciliandos quaſi à natura efformato.

INOPINANTIS, *neſcientis*) Vet. inſcientis, leui facta mutatione.

ABSTRVERE *quod ſit ſplendidum, nec moleſtum*) Vt ne quidem cogitanti ac ne ſuſpicanti amico, miniméque ambitioſo, nouus honos vltrò deferatur, quod ei laudi futurum ſit, non oneri. Si enim grauaretur officioſa amicorum ſedulitate, meritò illud poſſet pro ſuo iure vſurpare,

Quid morer officium quod me grauat,
Sedulitas autem ſtultè quem diligit vrget?

AD EPISTOLAM 3.

MONET Corelliam Hispulam, filium quem priuatim domi instituebat, Iulio Genitori rhetori tradat excolendum.

CORELLIAE) In vet. Corneliæ, sed non ita rectè, vt opinor: nam Corellia legitur passim, & apud Historicos.

QVIBVS *ita demùm similis adolescet*) Vt non sit satis egregiam esse naturam, & indolem, clarum parentum & auorum genus, nisi educatio accesserit.

QVAS *plurimùm refert à quo potissimùm accipiat*) Fab. Quintilian. id perspicuè docuit lib. Instit. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 2.

PRAECEPTORES *domi habuit*) Quæstionem hanc iam olim Rhetorum tritam scholis, in vtramque partem tractauit Quintil. orat. Instit. 1. cap. 2.

SCHOLAE *seueritas, pudor imprimis*) Spectat huc quod est apud Comicum, Dum pudor, metus, magister prohibebant, Missa facio quæ ad eam rem copiosè Fab. lib. 1. tractat, & Plut. de Instit. liber.

CVI *in hoc lubrico ætatis, non præceptor modò, sed custos etiam, rectórque quærendus est*) Cordatum hoc consilium, huic omnino simile, quod Socrates in Theage, de adolescente liberaliter instituendo, disputat, sicuti & eruditè Plut. περὶ παίδων ἀγωγῆς, prætérquàm quod ab eodem Fabio disputatur, eo quem proximè dixi libro.

AMATVR *à me; iudicio tamen meo non obstat*

charitas hominis quæ ex iudicio nata est] Occupat quod diceret aliquis, eum qui amat, in re amata excutire, fereque amorem sanò carere iudicio. Ait enim non temerè, sed ex iudicio amorem eum cœptum esse, occasione virtutum, quę solę veri & absoluti amoris causę; & quidem ἀρετὴν vocē deflectunt ἐκ τοῦ ἐρᾶν, ab amando: quamquam sint qui ab ὁρᾶν malint.

VIR *est emendatus & grauis*) Verbum emendatus: energiam habet, sicuti apud Horatium; Emendatus

Cùm pateris sapiens, emendatúsque videris.

De quo nos non nihil alio loco.

CREDERE *potest*] Potes, vt in vet.

VITA *hominum altos recessus, magnásque latebras habet*] Ita Tull. ad Fra. Quin. Multis simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vniuscuiusque natura, frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio verò sæpissimè.

QVIBVS *imaginibus oneretur*) De imaginibus nonnihil ex Polybio, & aliis in medium collaturus sum alio loco.

TRADE *eum præceptori à quo mores primùm, mox eloquentiam discat, quæ malè sine moribus discitur*) Rectè Quint. optimus iuuētutis moderator lib. I. cap. 8. Imprimis teneræ mentes, tracturæque altiùs quicquid rudibus, & omnium ignaris insederit, non modò quæ diserta, sed vel magis quæ honesta sunt, discant. Auson de puerili studio; Morum cura prior, dein doctrinę.

Mox pueros molli monitu, & formidine leni
Pellexi, vt mites peterent per acerba profectus.

Ad mores, artésque bonas.

AD EPISTOLAM 4.

QVIBVS maximè rationibus Bęticorum patrocinium aduersus Classicum susceperit, exponit, quod imprimis Macrino comprobari optat.

MAGNI *tamen æstimo*) Vet. existimo.

ALII *quidam minoris, sed tamen muneri*) Vet. sic: minores; sed tamen innumeri. Al. minores numeri.

Ius hospitale. DEFORMIVS *arbitrabar publici hospitij iura negligere*) Hospitij ius apud veteres vsurpatum, cultúmque sanctissimè auctores multi tradunt: occurrit Tullian. locus de violato eo iure in Orat. pro Deiot. & Poëtæ illud 1. Æneidos:

Iuppiter hospitibus, nam te dare iura loquuntur,
Adsis.

Hinc Δία ξένιον dictum Hospitalem, cuius & moris meminit Scipio apud Tull. initio fragmenti 6. de Repub.

Beneficia beneficiis communicanda. EST *enim ita comparatum vt antiquiora beneficia subuertas, nisi illa posterioribus cumules*) Eãdem omnino sententiam suprà contuli cum iis quæ à Seneca disputantur lib. de Beneficiis 2. cap. 11.

Iudicium sER dati. SVPEREST *iudicium tuum, in quo mihi æquè iucunda erit simplicitas dissentientis, quàm cõprobantis auctoritas*) Eleganter id quidem & candidè, vt candidũ hominem decuit, qui amico quem consultat integrum iudicium permittat: nec enim falli vult, aut imponi sibi

per se, quod turpissimum esse meritò iudicat Plato 5. de legib.

AD EPISTOLAM 5.

ENVMERAT hîc libros omnes Plinij auunculi, cuius & diligentiam in studiis admirabilem ob oculos ponit.

FVNGAR *indicis partibus*) Iudicis partib. in vet. sed perperam.

FVNGAR *indicis partibus*) Hoc est, nomenclatoris. Hos verò omnes quos hîc percenset libros iniuria temporum amisimus, solæ supersunt historiæ mundi seu naturales, vt nominantur, qui à doctis hactenus mirificè probati, temerè nescio quomodo venerint in quorũdam nasutorũ reprehensionem. Sed illud præsto, μωμίζειν μιμήσεται ῥᾷον ἐστί. Index seu nomenclator.

DVBII *sermonis libris sub Nerone, cùm omne studiorum genus paulo liberius & erectius periculosum seruitus fecisset*) Quàm sint suspecta tyrãnis liberaliora studia, sicuti & ipsæ virtutes omnes, grauiter & acutè Arist. 5. Polit. cap. 10. & 11. Historiam verò Neronianæ tyrãnidis luculentam habet Tacit. lib. Annal. 14. & seq. præter Dionem & Tranquil. Studia liberalia tyrannis suspecta.

SOMNI *parcissimi*) Somni paratissimi, vet. legunt, quod probarim magis; paulò post enim, dormiebátque minimum.

INDE *ad delegatum sibi officium*) Ad legatũ sibi offic. vt in vet.

NVLLVM *esse librum tam malum, vt nõ aliqua parte prodesset*) Tritum pridẽ vulgò quod Liber nullus adeò

malus, ex quo vtilitas non capiatur.

à Virgilio reſponſum verſus Ennianos ſubinde lectitante. Reuera qui ſapiunt, & viuidiore ſunt ingenio, ex impolitis alioqui aut indoctis, improbíſque libris fructum percipiunt, dum per ſe ipſi rectiora vident, & facere meliora poſſunt. Quin qui facilè offēduntur verborum ſalacitate, & interdū nequitia: vel qui nonnunquam reperiunt quæ minùs faciunt ad ſtomachum, audiāt Martialem ita lib. 1.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis: hic aliter non fit, Auite, liber.

Et lib. 7.

Triginta toto mala ſunt epigrammata libro:
Si totidem bona ſunt, Lauſe, liber bonus eſt.

Auſonius ad finem centonis: Cui meus ludus non placet, ne legerit; aut cùm legerit, obliuiſcatur; aut non oblitus, ignoſcat: etenim fabula de nuptiis eſt, & velit, nolit, hęc ſacra aliter non conſtant.

L V C E S *hyeme*) Vet. luce.

N A M *dum diſtringitur*) Cod. vet. nam diu diſtringitur, malè.

Libri pugillares.

C V M *libro & pugillaribus*) Pugillaribus & cereis tabellis vſos eſſe veteres iam antè monui, & paulò poſt.

R E P E T O *me correptum*) Vet. reperto me: ſed id mendoſè.

Plinij maioris ſcitè dictum.

P E R I R E *omne tempus arbitrabatur quòd ſtudiis non impertiretur*) Velim hoc tandem perſuaderi aliquando poſſet iis qui ocio immerſi, ſummáq; rerum omnium copia diffluentes, & queis pulchrum fiet in medios dormire dies, & ad ſtrepitum citharæ ceſſa-

eum ducere curam. Quid enim vita sine studiis, nisi viui hominis sepultura? quod ille sapienter olim. Qua de re multi multa: nos præclaro monito pareamus.

OPISTOGRAPHOS] Libri qui vtrinque scriberentur, ὀπισθόγραφοι dicti, nam veteres dũtaxat ab aduersa tantùm facie chartæ scribebãt, quo liceret è regione adiicere si quid placeret postea; aut etiam id faciebãt ob tabularum vitia: hos plerique qui sibi & aliis docti videri volunt, ineptè confundũt cũ pugillaribus, & palimpsestis. Pugillares enim biualles erant, & cõplicatiles, vt ferè solemus chartam papyraceam aut pergamenam: at palimpsesti sola lamina, mẽbrana, aut corio asinino, vel gypsato constabãt: quale est pictacium apud Lamprid. ad quorum similitudinem eæ tabulæ nostris temporibus in vsum receptæ, quibus politi & elegantes homines vtuntur. Opistographi. Pugillares.

QVAMVIS *hoc solum*) Cùm hoc solum. vt alij.

AD EPISTOLAM 6.

SIGNIFICAT se signum æreum, hoc est statuam Iouis templo compositurum.

NON *vt haberem domi*] Aduerte hîc frugalitatem, continentiámque Plinij, qualem fuisse Romanorum veterum testis est M. Cic. pro Muræna: Odit pop Rom priuatam luxuriem, publicam magnificentiam diligit. Idem 2. de Offic. sub finem penè: Laudat Africanum Panætius, quòd fuerit abstinẽs, Frugalitas Plinij. Romanorum

veterum ostinētia. quidni laudetur? sed in illo alia maiora; laus enim abstinentiæ non solùm hominis est, sed tēporum illorum. Sallust. Catil. In suppliciis (hoc est supplicationibus) Deorum magnifici, domi parci. Idem oratione Catonis: alia illis fuêre ingenia quæ nobis: domi, industria; foris iustū imperium, &c. pro his habemus luxuriam atque auaritiam, publicè egestatem, priuatam opulentiam. Horat. 2. Carmin.

Priuatis illis census erat breuis, cōmune magnū.

Sed lege Valer. Max. lib. 4. cap. 4. exemplo 9. Idem lib. 7. cap. 1 initio.

CVM *adiecero*) Vet. cùm adicero.

AD EPISTOLAM 7.

SILII Italici mortem deflet, & arrepta occasione digrediendi in vitæ breuitatē, amicum hortatur vt aliquo studiorum specimine, scriptóque opere à mortalitate seipsum asserat.

Inconstātia Silij Italici. LAESERAT *famam suam sub Nerone*) Vt alij plerique, de quibus Tranquillus & Tacitus passim, qui sub tyrannicis temporibus seruientes, vt fœdè, ita nequiter, aut bonos incessebant, aut assentabantur, aut virtutem quam viderent esse suspectam, inuisámque, præsentibus commodis posthaberent.

PLVRES *villas possidebat, adamatisque nouis priores negligebat*) Inconstantiæ argumētum: atqui bonū patremfamil. non emacem, sed vendacem esse debere, Cato senior dicebat.

EXCESSIT) Vet. decessit.

Q V I D *tam circumcisum, tam breue quàm hominis vita longissima?*) Γνώμη, cui similis illa Tulliana, ex dialogo de Senect. O Dij boni! quid est in hominum vita diu? Mihi nihil diuturnũ videtur in quo est aliquid extremum; cùm enim id aduenit, tunc illud quod præteriit, effluxit: tatum manet quod virtute & rectè factis sis consecutus. Vita fugax.

Q V I *gesserunt*) Vet. qui gessêre.

F V I T *inter principes ciuitatis sine potentia, sine inuidia*) Non parua hæc laus, principem esse, priuatímque viuere, vt sine potẽtia, ita sine inuidia: honores enim & magistratus comitem habent inuidiam. Ex quo bellè Plutarchus regionem aliquam esse quę veneno careat, vti de Creta ferunt. Idque Plin. hist. natur. lib. 8. cap. 58. confirmat. In Creta non sunt lupi, vulpes, vrsi, aut omnino vllũ animal maleficum præter phalangium. At nullam adhuc Rempubl. aut ciuitatem repertam esse quæ non aluerit inuidiam, æmulationem, rixas, &c. Verba enim Plutarchi sunt, disputatione, Vt sit ab inimicis capiẽda vtilitas; ἐπεὶ δὲ χώραν μὲν ἄθηρον ὥσπερ ἱστοροῦσι, τὴν Κρήτην εὑρεῖν ἔστι. πολιτεία σὲ μήτε φθόνον ἐ. λωοχῦια, μήτε ζῆλον, ἢ φιλονεικίαν ἔχθρας γονιμώτατα πάθη, μέχρι νῦν οὐ γέγονεν. Sine potentia, sine iuidia. Nulla Respubl. sine simultatibus.

S C R I B E B A T *carmina maiore cura quàm ingenio*) Deerat ei natura, non deerat ingenium: Carmina Silij Italici.

At quis inuita dicat, scribátve Minerua?
Inuitis nil Musa canit.

Φιλόκαλος) Malim vt in vetustis, καινό- φιλόκαλος.

φιλὸς ob sequentia, propter emacitatis reprehensionem.

Xerxes. NAM *ferunt Xerxem*) In Herodot. lib. 7. Val. Max. lib. 9. cap. 13.

Studium famæ & nominis. QVATENVS *nobis denegatur viuere, relinquimus aliquid quo nos vixisse testemur.*] Idem Sallust. in præfat. Catil. Is demùm viuere, & frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit.

VT *currentem quoque instigem*) Vt in Prouerb. Currenti addere calcaria. Ouid.

Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Duplex contentio, seu æmulatio. Ἀγαθὴ δ' ἔρις] Id ex Hesiodo initio Ἔργων, vbi duo facit æmulationum genera;

Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος, ἀλλὰ ἐπὶ γαῖαν
Εἰσὶ δύω, τὴν μέν κεν ἐπαινέσειε νοήσας,
Ἡ δ' ἐπιμωμητὴ, διὰ δ' ἄνδιχα θυμὸν ἔχουσιν,
Ἥ μὲν γὰρ πόλεμόν τε κακὸν, καὶ δῆριν ὀφέλλει
Σχετλίη, οὔτις τήν γε φιλεῖ βροτὸς ἀλλὰ ὑπ' ἀνάγκης
Ἀθανάτων βουλῇσιν ἔριν τιμῶσι βαρεῖαν.

Non fuisse ait, vnum inter homines contentionum genus, sed duo: illud quidẽ probauit sapiens, alterum verò improbandum, in diuersa animum trahere: hanc enim contẽtionem bellum exitiosum & discordiam augere, quam nullus mortalis approbet, vt necessario, ex Deorum volũtate, litem molestã inde proficisci. Videtur huc respexisse, 4. Tuscul. Cic. Æmulatio dupliciter dici-

tur, vt & in laude & in vitio nomen hoc sit; nam & imitatio, virtutis æmulatio dicitur: & est æmulatio vt ægritudo, si eo quod cupias alius potiatur, ipse careas.

AD EPISTOLAM 8.

IMPETRAVERAT Tranquillus, interuentu Plinij nostri, sibi à Marcello Neratio tribunatum militum, postea rogarat vt idem transferretur in Cesennium Siluanũ, quod se facturum pollicetur, subindéque factum laudat.

NEQVE *esse congruens arbitror quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulos inuidere*) Honores enim & dignitates vtplurimùm pendẽt à fortuna & ab arbitrio popularis auræ, quod ait Flac. Sed pietas, beneficentia, gratitudo, charitas, proprium hominis bonum est, in quo nihil quidquam sibi fortuna tribuere potest. Pietas dignitati præstat seu honoribus.

EGREGIVM *mereri beneficia & dare*) Non enim dari iure possunt nisi bene meritis, quibus quasi sua virtus præmio aliquo afficitur: dare verò nõ potest, nisi qui de virtute egregiè sentiat. Primum illud honoris est, qui sæpe fugit alioqui meritos, & à casu pendet vtplurimùm: alterum verò iudicij & consilij est, quod prudentiæ ferè est, adeò vt qui spõte benefacit alicui, vel digno homini maiorem gloriam referat, quam is in quem confertur beneficium. qua de re satis multa Seneca de beneficiis. Beneficiũ dare, & accipere.

AD EPISTOLAM 9.

ACCVSATIONIS in Classicũ susceptæ actus omnes sigillatim exponit, & quis euentus iudicij, quó que labores in hac contentione sit perpessus.

Fœdus, & apertè malus.

LVCEIVS *Albinus*] Vet. Lucius Albinus.

HOMO *fœdus & apertè malus*] Fœdus ob ipsam peccati turpitudinem, qua nulla res odiosior: apertè malus ob impudẽtiam, hoc est ἀδιατρεψίαν, quam vnam in se probare dicebat Caligula, vt ait Sueton.

Vis & sordes in magistratu.

NON *minùs violenter quàm sordidè procõsulatum gesserat*) Arguebatur violentiæ & sordium, quæ si sint in magistratu, nullus prædo, aut grassator ita metuendus, nullus bestiæ occursus ita vitandus.

Dedi malum, & accepi.

DEDI *malum & accepi*] Prouerb. quo par pari relatum significatur. ei simile, quod adfertur à Suida, αἴκε πάθει τακ' ἔρεξε, δίκη κ' οἱ θεῖα γένοιτο iusta pœna, si quis patiatur quod ipse cõmiserat, & apud Pindari scholiastem 4 Pythiorum,

Οἷα τ' ἀνὴρ ἔρξοι τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκανές.

Mors spõtanea Classici.

ITA (*mirum*) *pudorem damnationis morte fugisse, quem non puduisset damnãda committere*] Acutè id, ad arguendam flagitiosi hominis mortem volũtariam, qui vt in se productus testis, sibi iustus iudex se ipsum sibi tortorẽ exhibuit.

MINVTIO) Vet. habet, Cornelio Minutiano.

QVAN-

QVANTVM *in publica*] Cod. manusc. quantum in Republica.

CVM *diligerem, amare cœpi*) Ex hoc notant philologi inter diligere, & amare, discrimẽ. Patet latiùs amandi verbum. neque enim si quis amet, continuò illud sequitur vt etiam bene velit, cum tamen bene velle nisi qui amet, non queat: sic enim sæpe ob turpem voluptatem corporis aliquis intemperans amare meretriculam potest, cui tamen an bene sit, an malè, parum laboret. Id expressum à Catullo, epigrammate, cuius initium; Amare, diligere.

Dicebas quondam solum te nosse Catullum,

Lesbia, &c. Fuisse aliquod tempus ait quo ipse non tantùm amaret Lesbiam, vt vulgus amicam voluptatis causa soleat: sed vt patres liberos adamant, qui neque delectationis aut emolumenti gratia eos prosequantur amore, sed postea vbi fallacias eius agnouerit, ab eo amore tam ingenuè destitisse. Cicero ad Attic. Tãtùm accessit vt mihi nunc denique amare videar, anteà dilexisse. Et ad Brutum: Lucius Tribunus pleb. designatus, valdè me diligit, vel, vt ἐμφατικώτερον dicam, valdè me amat.

HABET *gloria in studiis præsertim quiddam ἀκοινόνητον*) Ouidius, Gloria ἀκοινώνητος.

*Aurum & opes, & rara frequens donabit amic*ᵒ,
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

VILISSIMO *quoque quasi piaculari dato*] Hoc est infimæ conditionis quocunque reo quasi ad piaculum aut purgationem cęterorum exhibito, alij elaberentur. is enim huius loci sensus. & respexit ad veterem morem qui ad cõmune aliquod flagitium ex- Mos veterum.

piandum & quasi eluendum, solerent edere piaculum vno aliquo pro omnibus morti addicto & mactando, quod tum sacri doctores, tum etiam alij memorant.

TVM *maximè fauor & ambitio dominatur, cum aliqua specie seueritatis delitescere potest*) cùm sub aliqua specie seueritas delit. poss. rectiùs

Iudices versuti. aliquantò. Id obseruare est in nostris iudicibus qui sub opinione seueritatis & iustitiæ, qua vna vel maximè probari volunt, eos auctoritate sua tegunt quos condemnatos habent: à qua tamen suspicione alieni videri volunt.

Sertor. facinus. SERTORIANVM *exemplum*] De quo Plutarch. in Sertorio. meminit Horat. 2. epistol. 1. ad August.

ROBVSTISSIMVM *& infirmißimum*] Lego, firmissimum, vt in vet. & ita iusseram excudi, sed mendum obrepsit sententiæ prorsus contrarium.

IO, *io, libet ad te venio*) Tò io, io, abest à vet.

CLAVIVM *fuscum*) Vet. Claudium Fuscum.

STILONIVM) Vet. Tilonium.

NEQVE *enim vt initio*) Vt vitio, leg. in cod. vet.

IN *fine verendum erat*) Vet. ferendum, non ita bene.

Classici filia. HONESTISSIMVM *credidi non premere immerentem*] Hoc dictum de Classici filia quæ inter reos erat; quanquam aliena esset à crimine obiecto, vel iudicio Secundi. Est alioqui satius, æquiúsque merentem dimitti; quàm innocentem condemnari, cum sit scelestum vitio nocentis innocē-

Aequius est, dimitti criminosum.

ciam perdere, ait vnus ex veteribus. quàm in sentem damnari.

QVOD *reprobari*] Alij, ream probari.

FIDES *in præsentia eos quibus resistit, offēdit, deinde ab illis ipsis suspicitur, laudaturque*) Γνώμη sanè grauis. solēt interdum viri fidi & minimè assentantes cùm monent aliquid aut statuunt; Amicitiæ libertas.

---*teneras mordaci radere vero Auriculas,*

Sed postmodum tamen fides & integritas, quæ nescio quod odium pepererat, magis magísque adprobatur. Nō minùs rectè Phocion, cum diceret se simul semélque fungi nō posse officio amici & assentatoris: Quamobrem & alio loco noster Secundus. Non modò mihi cogitandū quid in præsentia velis, sed quid semper sis in posterum probaturus.

NON *fuit tanti*] Vet. fui tanti.

REVS *ante peragetur quàm de prævaricatore queratur*) Ex Vlpiano, de publicis, qui reus factus est, de obiecto crimine purgare se priùs debet, quàm ad accusandum admittatur. Nec enim cùm iudicium aliquod de crimine instituitur, permitti recriminatio debet, quam Græci ἀντικατηγορίαν nominant. Siquidem ea nihil tam alienum à iudiciorum ordine: quod si liceret, nullus vnquam litium & contentionum exitus reperiretur. Recriminatio.

NON *legati*) Vet. non legi.

HOMO *alioqui flagitiosus & Domitiani temporibus vsus*) Diximus alio loco ex Plutarch. Improbis ad flagitia nihil præter occasionem sufficere: quod maximè temporibus tyrannicis obseruare est, quibus quia vixit impunitas scelerum, regnat impietas, iniu- Occasio ad flagitia sufficit.

ſtitia, & proditionum omne genus.

VEHEMENS *& disertus*) Δεινὸς καὶ εἰπῶν δυνάμενος, vt Græci authores loquũtur. parum enim vehementes non laudantur, quanquam diserti; vt apud M. Tull. ſępè, quod & in Rhetoricis præceptum non ſemel inculcauit, vt non modò fides fiat argumentis, ſed & motus animis adhibeatur, ad ſpem, ad metum, ad voluptatem, dolorémque.

Fides. & motus in Rhetoricis.

HIC *erit epiſtolæ finis, reuera finis*) Abeſt à vet. reuera finis: & puto id temerè adiectum à ſciolo quodam, cuius vt aliorum ſtultitia nimiùm diligenti nihil inamabilius.

AD EPISTOLAM 10.

LAVDATIONEM quandam funebrem Plinius adornarat in Cottiũ adoleſcentem raræ indolis præmaturo fato ereptum, ſtatua triumphali ab Imperatore donatum, tanquam victoriæ præmio deuictis Bructeris: petit igitur an ea luce digna cenſenda ſit.

Dies feſti ad hilaritatem.

NE *vos feſtis diebus confunderem, ſi in memoriam grauiſſimi luctus reduxiſſem*) Id ex ritu vetere: putabant enim nefas eſſe, diebus feſtis & hilaritati conſecratis lugubre aliquid edere.

Impetũ ingenij dolor impedit.

MIHI *difficile eſt hucuſque intendere animum in dolore.*) Quia dolor vt πάθος grauiſſimum ingenij, quo liberrimum in ſcribendo eſſe vt maximè debet, impetum vel remoratur, vel impedit. Id ſæpe Tullius ad Atticum, quibus maximè locis ſe occaſione motuum ciuilium à ſcribendo aduocari arguit.

AD EPISTOLAM II.

ARTEMIDORVM Philoſophum Plinius Secundus beneficiis cumulauerat; quæ cùm verbis augeret ſumma cum Plinij laude; ea tamen candidè, vt ſolet, accipit, & officium id magis, quam beneficiũ fuiſſe collatum, nempe in virum meritiſſimum, ſatis apertè oſtendit.

HAEC *feci, cùm ſeptem meis amicis, aut occiſis, aut relegatis, occiſis Senecione, Ruſtico, Heluidio*) Senecio is eſt ad quem Plutarchi ſcripta quædam & cuius iam miminit noſter epiſt. 5. lib. Bætica oriundus fuit, ibíque Quæſtor: accuſatore Mætio Caro in vitæ diſcrimen adductus, à Domitiano interfectus eſt, non alia cauſa quàm quod integer vitæ eſſet, & poſt Quæſturã nullum alium magiſtratum petiiſſet: aut quod Heluidij vitam ſcriptis mandaſſet, acceptis ab vxore Fannia commentariis. Senecio.

RVSTICO) Iulius Arulenus Ruſticus ſub eodem Domitiano accuſatus, quòd philoſophiæ operam daret, & Thraſeam, magnum & inculpatum virum laudaſſet, virúmque ſanctum dixiſſet. in eum ergo tyrannus, cui omnis virtus ſuſpecta erat, euomuit virus acerbitatis, inque eius ſcripta ſæuiit, quaſi in memoriam omnem hominis ſæuiturus. Ruſticus Arulenus

HELVIDIO) Fuit hic Heluidius, vir ſeuerus & grauis, qui quòd exordia quædam ſcenica ſcripſiſſet in Domitianum, ſub fictis Heluidius.

nominiubs Paridis & Oenones, quibus Imperatorem, eiúsque vxorem incesserat, ab eodem occidi iussus est. Patre Heluidio Prisco natus, egregio homine, & philosophiæ præceptis non segniter imbuto: quem Thrasea Pætus, vir emendatus, innocens, rectus, generum sibi assumpsit, doctrinam, moré sque hominis admiratus, fuit postea soceri ruina relegatus: reuersus aliquantò post, Præturam sanctissimè administrauit, & tum collapsa Capitolij fundamenta excitauit. eùm summo in honore Vespasianus habuit, cui tamen non destitit Heluidius obstrepere, vt quasi eũ cogere in ordinem videretur: itaque ab Imperatore iussus est relegari. quod tamẽ cùm eum pœnituisset, missis etiam qui lictores reuocarent, falsóque renuntiatum esset illum iam periisse; constitit, & fati acerbitatem doluit. Alia quædam ex Dione, Tacito, Trãquillo petas, licet.

Iunius Mauricus — RELEGATIS *Maurico, Gratilla, Arria, Fannia*) Iunius Mauricus in exsilium pulsus, iisdem fermè temporibus: cuius & meminit Plinius hîc lib. primo, ad quem etiam

Gratilla Põponia. — epist. 14. lib. 6. Pomponia verò Gratilla, vxor Aruleni Rustici, ea est quę legatum reliquit

Arria. — Plinio, exheredato filio Curiano.

Arria, non Cęcinnæ Pæti vxor, hic intelligitur, nisi me fallit animus, quæ marito & solatium mortis & exemplum fuit; sed eiusdem filia, Thraseæ vxor, quæ audito aduersus maritum senatusconsulto, mortis exemplum sequuta est, quanquam Fanniæ filiæ vnicum subsidium esset, rediit tamen ab ex-

filio, vnà cũ filia, interfecto Domitiano, vt Secundus teſtatur 8. ſeq. libri.

ARRIA) Pro Arria, in aliis leg. Ariano: pro Fannia verò, Phania. manuſcripti tamẽ quibus vſus ſum, nihil varium habent.

TOT *circa me iactis fulminibus quaſi ambuſtus, mihi quoque impendere idem exitiũ augurarer*) Ita Flaccus,

——*tua res agitur, paries cum proximus ardet.*

NON *ideo tamen eximiam gloriam meruiſſe me, ſed tantum effugiſſe flagitium*) Simile illud Horatij, Vitaui culpam, nõ laudẽ merui.

——*vitaui denique culpam,*

Non laudem merui.

Et id detur candori Plinii, qui quia ex officio ſe munificum ac liberalem prꝺſtitit Artemidoro, putat non eſſe ſibi laudis quæſitos titulos, ſed culpam vitauiſſe, quædam enim in quaſdam perſonas officia collocanda ſunt, quæ ſine piaculo prætermitti non poſſe videntur.

Ex omnibus qui ſe philoſophos vocant, vix vnũ aut alterum inuenies tanta ſinceritate, tãta veritate) Scilicet qui αὔω τ̃ πρᾶττειν, μέχρι τ̃ λέγειν, factis procul, verbis tenus, vt apud Gell. 17. cap. 19. dicebat ex Epicteto, & quorum cum vita mirabiliter pugnat oratio, vt Tullius ait. Philoſophorum vitæ diſſoluta.

TANTA *veritate*) Al. tanta virtute, vt in vet. membr. quod mendum irrepſit ex vocum affinitate.

AD EPISTOLAM 12.

nominiubs Paridis & Oenones,quibus Imperatorem, eiúſque vxorem inceſſerat, ab eodem occidi iuſſus eſt. Patre Heluidio Priſco natus, egregio homine, & philoſophiæ præceptis non ſegniter imbuto: quem Thraſea Pætus, vir emendatus, innocens, rectus, generum ſibi aſſumpſit, doctrinam, moréſque hominis admiratus, fuit poſtea ſoceri ruina relegatus: reuerſus aliquantò poſt, Præturam ſanctiſſimè adminiſtrauit, & tum collapſa Capitolij fundamenta excitauit. eùm ſummo in honore Veſpaſianus habuit,cui tamen non deſtitit Heluidius obſtrepere, vt quaſi eũ cogere in ordinem videretur: itaque ab Imperatore iuſſus eſt relegarĩ.quod tamẽ cùm eum pœnituiſſet, miſſis etiam qui lictores reuocarent, falſóque renuntiatum eſſet illum iam periiſſe; conſtitit, & fati acerbitatem doluit. Alia quædam ex Dione, Tacito,Trãquillo petas, licet.

Iunius Mauricus RELEGATIS *Maurico, Gratilla, Arria, Fannia*) Iunius Mauricus in exſilium pulſus,iiſdem fermè temporibus: cuius & meminit Plinius hîc lib. primo,ad quem etiam

Gratilla Pōponia. epiſt.14.lib.6.Pomponia verò Gratilla,vxor Aruleni Ruſtici,ea eſt quę legatum reliquit

Arria. Plinio,exheredato filio Curiano.

Arria,non Cęcinnæ Pæti vxor,hic intelligitur, niſi me fallit animus, quæ marito & ſolatium mortis & exemplum fuit;ſed eiuſdem filia,Thraſeæ vxor, quæ audito aduerſus maritum ſenatuſconſulto,mortis exemplum ſequuta eſt, quanquam Fanniæ filiæ vnicum ſubſidium eſſet, rediit tamen ab ex-

filio,vnà cũ filia, interfectoDomitiano, vt Secundus testatur 8.seq.libri.

ARRIA) Pro Arria,in aliis leg. Ariano: pro Fannia verò, Phania.manuscripti tamẽ quibus vsus sum, nihil varium habent.

TOT *circa me iactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitiũ augurarer*) Ita Flaccus,

——tua res agitur, paries cum proximus ardet.

NON *ideo tamen eximiam gloriam meruisse me, sed tantum effugisse flagitium*) Simile illud Horatij, Vitaui culpam, nõ laudẽ merui.

————vitaui denique culpam,
Non laudem merui.

Et id detur candori Plinii, qui quia ex officio se munificum ac liberalem præstitit Artemidoro, putat non esse sibi laudis quæsitos titulos, sed culpam vitauisse, quædam enim in quasdam personas officia collocanda sunt, quæ sine piaculo prætermitti non posse videntur.

Ex omnibus qui se philosophos vocant, vix vnũ aut alterum inuenies tanta sinceritate, tãta veritate) Scilicet qui ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν, factis procul, verbis tenus, vt apud Gell.17.cap.19.dicebat ex Epicteto,& quorum cum vita mirabiliter pugnat oratio, vt Tullius ait. Philosophorum vita dissoluta.

TANTA *veritate*) Al.tanta virtute, vt in vet. membr. quod mendum irrepsit ex vocum affinitate.

AD EPISTOLAM 12.

AD condictam à Catilio cœnam se venturum, profitetur, dum sit illi frugi, breuisque nec in scenicis sermonibus excedat modum.

CATILIO): Vet. Seuero.

Socratici. sermones

SOCRATICIS *tantùm sermonibus*) Grauibus nempe & seriis, quales fuisse Socraticas disputationes ferunt.

OFFICIA *antelucana*) Quæ ante lucem fiunt, vel Solis ortum. Sicuti postea dicet hymnos quosdam antelucanos cani solitos à Christianis.

Cæsaris Anticatones.

QVEM *Caius Cæsar ita reprehendit vt laudet*) In duobus his libris quos Anticatones nominat, aduersus laudationem à Cicerone descriptam, editámque susceptos: at verò Anticatones scripti sunt in Vticensem, quæ verò sequuntur, de Censorio intelligenda

Catones duo.

sunt. Certè Cato Censorius vir alioqui maximus, cùm totos dies Reip. operam daret, aliquando indulgentiùs vino sese exhilarabat. Horat.

Cato vino addictus.

Narratur & Prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Plutarch. de Catonis vinolentia nihil, sed de cœnis lautioribus quædam retulit.

Vituperari ab improbo, laudari est.

NEQVE *enim ij sumus quos vituperare ne inimici quidem possunt, nisi vt simul laudent*) Non sumus ita emendatis moribus, aut inculpata vita, vt in nos nulla reprehensio videatur posse cadere. Sanè in quibusdam vel acris reprehensio inimici, laudationis loco est: quia vt ab improbo laudari, probri loco est: sic ab eodem vituperari, honorificum. Id enim argumentum integri hominis opti-

méque morati, si facinorosis minimè adprobetur. Cic. 3. Philipp. nam me his edictis nescit lædat, an laudet. Idem pro Fonteio: Imò verò cum lædat nemo bonus, laudent omnes vestri ciues. Et in Vatinium postremò: Sed cùm Titum Annium tãtopere laudes, & clarissimo viro nonnullam laudatione tua labeculam aspersisti; in illorum enim numero mauult Titus Annius esse, qui à te vituperantur.

AD EPISTOLAM 13.

PANEGYRICVM suum de Traiani laudibus Voconio Romano emendandum committit.

ROMANO *suo*) Vet. hab. Voconio Romano.

ETSI *non exegisses*) Cod. manusc. egisses.

PVLCRITVDINEM *materiæ*) Quæ tota fuit in principe Traiano laudando, qui omnium iudicio laudatissimus habitus est. Plinij Panegyricus Traiano dictus.

OCIOSVS *securúsque lector tantùm elocutioni vacet*) Elocutionis non ita difficile iudicium, quia tropi, figurę́que, vt & alia orationis schemata palàm habentur: sed sunt aliæ certè magnæ, & arduæ virtutes, quas nisi eruditi videre possint. Elocutio oratoria.

IT A *magis credam cætera tibi placere, si quædam displicuisse cognouero*) Non modò auctoritatem & assensum, sed & exactum iudicium, castigationémque desiderat; nempe quia Panegyricum de Traiani laudibus cupiat, vt emendatissimum non præsentibus

modò placere, sed & posteris adprobari.

AD EPISTOLAM 14.

LARGIVM Macedonem dominum ferocem à seruis comprehensum, necatúmque ait: quo exemplo arguit quæ debeat esse dominorum in seruos placabilitas & moderatio.

SVPERBVS *alioqui dominus, & sæuus*) Vet. hab. seruus. non ita rectè.

Humiles euecti ad honores, tumescunt.

ET *qui patrem suum seruiisse parum, immo minimùm meminisset*) Nimirum.

Asperius nihil est humili cum surgit in altum,
Inquit ille. Confer huc lib. 7. epist. 29. & lib. 8. epist. 6. apud Stobæũ Polydicus, οἱ κακοὶ ἰόντες ἐς τὰς τιμὰς ὁκόσῳ ἂν μᾶλλον ἀνάξιοι ἔοντες ἴωσι τοσούτῳ μᾶλλον, αὖ ἀκηδέες γίγνοντες καὶ ἀφροσύνης καὶ θράσεως πίμπλανται. *id est, improbi ad honores prouecti, quia sunt indigniores, hoc & negligentiores fiunt, imprudẽtiáque magis & audacia feruntur.* Et Aurel. Victor. in Diocletiano: Compertum habeo humillimos quosque, maximè vbi alta conscenderunt, superbia atque ambitione immodicos esse.

Vindictæ solatium.

NON *sine vltionis solatio*) Sic in mimis Publij: Læso, doloris remediũ, inimici dolor. Sallust. extrem. Catil. verba hæc ducis coniuratorum ad socios: Quòd si virtuti vestræ fortuna inuiderit, cauete ne inulti animam amittatis. Cic. 5. in Verrem, vbi queritur archipiratam captum à Verre dimissum, quem

ad ſuppliciũ publicè trahi oportebat: Homines maritimi (ait) Syracuſis qui ſępe iſti' ducis nomen audiiſſent, cùm eum ſæpe timuiſſent, cùm eius cruciatu, atque ſupplicio paſcere oculos animũmque exſaturare vellent, poteſtas aſpiciẽdi nemini facta eſt: dein ſubiicit; Nullum eſt teſtimonium victoriç certius, quàm quos ſępe metueris, os te vinctos ad ſupplicium duci videre. Quintus Curt. de Tyro capta, lib. 4. Alij ſupplices in templa confugiunt, alij ruunt in hoſtem haud inultè tamen perituri. Iuuen. 13. Sat.

Vindicta bonum vita iucundius ipſa:

& l. 28. §. famoſos. D. de pœnis. Solatio ſit cognatis & affinibus interemptorum eodem loco reddita pœna. Et Quintil. Declamat. 381. Nihil dulcius vltione, læſis.

Nec *quiſquam poßit eſſe ſecurus, quia ſit remiſſus & mitis*) Quibuſdam malè cedit, quia ſunt ſuperbiores in eos quos ſub poteſtate habent: alij etiam mitiores domini & in contemptum veniunt, & nonnunquam malè habentur à ſuis.

AD EPISTOLAM 15.

Ait dignos eſſe Proculi verſus qui edantur, niſi ei ſuauis recitatio impoſuerit.

Adhibes *preces*) Adiicis, vt in vet.

M. Tvllivm *mira benignitate Poëtarum ingenia fouiſſe*] Al. ſtudia. M. Tulli' Poetarũ ſtudioſus

Si *mihi non impoſuit recitatio tua*) Etenim vt actio, ſæpe & recitatio rẽ multò venuſtio- Diſertatio; citatio;

rem facit, vt oratio quæuis humilis, & parum accuratè ſcripta, eleganti pronuntiatione ſplendeſcit. Contrà vileſcit oratio quamquam optima, ſiquidem indecora recitatione audiatur. De quo Martial.

Quem recitas meus eſt, ô Fidentine, libellus,
Sed malè cùm recitas, incipit eſſe tuus.

DELENIMENTIS *refringantur*) Vet. reſtringantur.

Vniuerſa ſingula.

DE *vniuerſitate pronuntio, de partibus experiar legendo*) Id ſæpe in emendationibus ſcriptorum exigit, vt lib. 2. epiſt. 5. & lib. 4. 14. & 20. Item 5. 13. denique 7. 12.

AD EPISTOLAM 16.

HISTORIAM perſequitur lectiſſimæ fœminæ Arriæ, Pæti mariti amantiſſimæ.

Athenienſium res geſtæ quales.

ALIA *clariora, alia maiora*) Clariora, vt famę præconio; maiora veritate, ex ipſáque rerum natura: Ita Salluſt. Athenienſium res geſtæ [illegible] exiſtimo, ſatis amplæ magnificæque fuerunt; verùm aliquanto minores quàm fama feruntur: ſed quia ibi prouenêre ſcriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Athenienſiũ facta pro maximis celebrãtur. Ita eorum qui ea fecêre virtus habetur tanta, quantum eam verbis potuêre extollere præclara ingenia, Hor. 1. epiſt. 11.

Smyrna quid, & Colophon? maiora, minoráne fama?

Arria Pęti

PAETE, *non dolet*] Hiſtoriam hanc ſanè nobilem retulit Dio lib. vlt. & Zonaras. Sic

Martial lib 1.

Casta suo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis;
Si qua fides vulnus quod feci non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, doles.

CONSILIVM *pulcherrimæ mortis*) Hoc est voluntariæ, quia nihil æquè pulcrum in viris maximè fortibus putarunt veteres; eam sæpe laudat, imò & suadet Seneca, sed in primis epist. 24. 59. 71. & locis aliis; quàm rectè, veréque, alij viderint. Eam tectè, falséque ridet Horatius in Empedocle, qui se in ardentem Ætnam coniecit, Mors spõtanea.

——— *Deus immortalis haberi*
Dum cupit affectans formose mortis honorem.

Ad eam certè improbam & fanaticam opinionem ex animis euellẽdam; si tamen non prorsus insaniant, locus est longè præclarus apud Hegesippum, lib. 3. cap. 17. de excidio Hierosolymæ; quo loco Iudæis obsidione pressis, penéque captis à Tito, sibi necem parantibus, Iosephus ne id facerent elegantissimè dissuasit. Arist. 5. de morib. ad Nicomach. *καί τις ἀτιμία πρόσεστι τῷ ἑαυτὸν διαφθείραντι, ὡς τὴν πόλιν ἀδικοῦντι*: id est, *Infamia afficitur qui sibi manus adfert, quia ciuitatem afficiat iniuria.*

AD EPISTOLAM 17.

EXPLORAT amicè causas cur tamdiu à scriptione literarum Seruianus destiterit.

NVNC IET *mihi modò*) Tò,mihi,abest à manuscr.

SI *valere est suspensum & anxium viuere*) Vt non est viuere,sed valere vita; sic ait Hor.

Qui metuens viuit,liber mihi non erit vnquam.

AD EPISTOLAM 18.

RVRSVM de sua oratione Panegyrica, Traiano dicta,qua ei,ob delatam Consulis dignitatem,gratias egit.

SEVERO)Manuscr.Curio Seuero.

OFFICIVM *consulatus iniunxit mihi*) Al. sic;officio Consulatus iniunxisti mihi.

Panegyricus Plinii ad quid scriptus.

PRIMVM *vt Imperatori nostro*) Duabus maximè rationibus orationem scriptam fuisse innuit,nempe vt meritissimo principi gratiæ agerentur : deinde vt ad similia virtutum exempla posteri principes celebri adeò prædicatione allicerentur ad similes virtutes,& similia facta.

AVT *valdè rarò*)Tò rarò,à vet.abest.

MIHI *hunc honorem habitum putem, an studiis? studiis malo*) Rectiùs in memb.putem, an studiis? malo.

EANDEM *nunc & qui recitare, &c.*) Vet. eadem.

IDEOQVE *etiam libentiùs scribitur*) Etiam, non est in cod.vet.

VT *olim theatra malè musicos canere docuerunt,&c.*) Temporibus maximè principum vitiosorum, qui cùm sibi vellent imprimis adulari,non modò in theatris musicam fractam & elumbem fecerunt; sic & declama-

tores ad licentiam omnem maledicēdi vocarunt. Ita sibi spondet Plinius sub imperio Traiani oratores exorturos qui & optimè dicant, & virtutum omni laude excellant.

V T *quando veniat dies, vtique namque iam venerit*] Similis apud Martial. παρεμβολὴ

Phosphore redde diē, quid gaudia nostra moraris?

Itémque alibi:

——— lux mihi grata veni.

AD EPISTOLAM 19.

De prædiis emendis sollicitus, Caluisium Rufum percontatur quid in ea re acturus sibi videatur.

C A L V I S I O) Clausio, vt in vet.

A T R I E N S I V M, *topiariorum, &c.*) Multas fuisse seruorum differentias, quatenus quidem ad officiorum varietatem pertinet, neminem qui Iuris elementa perceperit, ignorare arbitror. Sed ad rē. Atrienses erant qui atrium tuerentur, ait Varro 7. de lingua Latina. Quidam interpretantur Atriensem διαιτάριον καὶ διαιτάρχην. topiarij, qui & typiarij quibusdam dicti, edera gestationes circumuestiunt: formās ex plantis, fruticibus faciunt, variásque figuras effingunt: de his Firmicus 8. Mathes. cap. 10. Seruorū differentiæ olim.

H A B E T *multum iucunditatis, soli cœlíque mutatio*) Vt omnis ferè grata vicissitudo, sicuti olim placuit Comico seni, qui sic apud Terentium loquitur, Ruris & vrbis vicissitudo.

Ex rure meo proximo id capio commodi, neque

agri, neque vrbis odium me vnquam percipit, vbi satias cœpit fieri, commuto locum.

SVNT *instruendi complures frugi mancipes*) Sic al. eo plures quod frugi mancipiis colitur.

PERCIPERE *potuisses*) Vet. præcipere.

NAM *nec ipse vsquam*) Vet vnquam.

AD EPISTOLAM 20.

QVAERITVR immutatum fuisse morem creandorum magistratuum per tacita suffragia, non vt olim; apertè: ex eo enim metuit ne quid mali oriatur.

MAXIMO) Vet. Mexio Maximo.

Lex tabellaria. LEX *tabellaria*) Tabellarias leges quatuor fuisse reperio, vnam de mandandis magistratibus, Gabiniam; alteram Cassiam, de populi iudiciis, excepto perduellionis crimine: tertiam Papyriam Carbonis, de legibus iubendis & vitandis: quartam Cæciliam, perduellionis, ante Cæcilium voce ferebantur suffragia: hîc verò de Gabiana, quæ de suffragiis ferendis, quam attigit Cic 3. de legibus.

VLLA *dissensione hoc quidem*) Hoc idem, vet. hab.

EXCESSERAMVS *sanè manifestis illis apertísque suffragiis*) De ordine, modóque Comitiorum, multa doctè & diligenter Gruchius, de Rom. Comit. Comitia.

EXCESSERAMVS *sanè, &c.*] Al. habent, excess. sanè modum.

EX *parcis loqueb.*) Vet. parcè.

VEREOR *ne procedēte tempore ex ipso remedio vitia nascantur*) Cato apud Salluſt. oratione in Catilinarios deprehenſos: omnia mala exempla à bonis initiis orſa dicit. Mala exēpla à bonis initiis.

NAM *quotocuique eadem honestatis curæ secretò quæ palàm*) Proinde Horat. epiſt. 16. libro. 1.

Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.

MVLTI *famam, conscientiam pauci verentur*) Opponi ſæpe à noſtro famam conſcientiæ, alio etiam obſeruaui loco, vt 12. epiſt. lib. 1. Itémque lib. 5. & 14. lib. eiuſdem. Fama, conſcientia.

RECVPERATORIIS *iudiciis.*) Quæ per datos à Prætore iudices exercebantur, vulgus noſtratium Cōmiſſarios iudices appellat: quale fuit iudicium pro Cæcina, in quo Recuperatores ſæpe appellantur. Meminit 2. de Inuent. Tul. Recuperatores iudices.

HABENT *quoque nostræ litteræ aliquid non humile, nec sordidum, nec priuatis rebus inclusum*] Epiſtolæ ad amicos de rebus ferè vulgaribus & domeſticis ſcribi ſolitæ ſunt: viri tamen eruditi multa iis includunt grauiora; recondita magis & ſecretiora, quod ex epiſtolis Platonis, Iſocratis, Synesij. Tullianis multis, Sidonij Apollinaris, ſed & imprimis Hieronymi, Auguſtini, & aliorum ſanctiſſimorum hominum conſtat. Vide Senecam epiſtol. 76. Littere Plinianæ.

SVNT *quidem cuncta sub vnius arbitrio, qui pro vtilitate communi solus omnium curas, laborésque suscepit*] Id ad Traiani optimi principis laudationem: in quo videtur, ni fallor, reſpexiſſe ad illud Horatianum de Auguſto; Traiani laudatio.

Cùm tot sustineas, & tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, &c.

Qvidam *tamen salubri quodam temperamento*) Quodam, abest à vet.

AD EPISTOLAM 21.

LVGET obitũ Valerij Martialis Poëtę lepidi & faceti.

Prisco) Vet. Cornelio Prisco.

Boni prĩcipes doctos viros honoribus affecerunt.

Fvit *moris antiqui*) Al. mos antiquis. Is mos antiquus beneficio doctos viros afficiendi sub bonis principibus & beatiore sęculo, pridem exoleuit, vel teste Oui. 3. Artis,

Cura ducum fuerant olim regúmque Poëtæ,
Præmiáque antiqui magna tulêre chori.
Sanctáque maiestas, & erat venerabile nomen
Vatibus & largæ sæpe dabantur opes:
Nunc ederæ sine honore iacent, operatáque doctis
Cura viget Musis nomen inertis habet.

Et Martial. passim, vt lib. 1. 77. Item lib. 9. 75. & lib. 11. 4.

Ineptum laudari putamus, quia laudanda nõ facimus.

Postqvam *desiimus facere laudãda, laudari quoque ineptum putamus*) Et nescio an id magis grauiter, an lepidè dictum sit. Siquidem virtutis amplissimum pręmium in laude ponimus, nulla esse vera & ingenua laudatio potest, dùm virtus abest: immò tacitæ conscientię testimonio angimur & torquemur, cùm immerita laude afficimur, vt ineptum putemus, planéque ridiculum, prædicari. Eò pertinet quod de Tiberio, versuto & fallaci principe tradit Cornelius Taci-

tus: quem ait ægrè tulisse in Senatu laudari sese, non alia fortè ratione quàm quod sibi conscius; assentationis hoc genus minimè ferret. Et quis enim si sic laudetur;

Virtutem haud videat, intabescátque relicta?

Nempe mercis eius quæ in vsu non est, aut etiam quæ vilescit, nullum præconium.

CAETEROS *in libro requires*) Vet. libros.

QVANTVM *maximum potuit*) Quantum maximè, vt vet.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. IIII. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

SIGNIFICAT se breui ad prosocerum venturum, séque biduo in itinere moraturũ Tiphernij ad templi dedicationem.

ERIT *vna*) Vet. erit enim vna.

AD EPISTOLAM 2.

REGVLVS, de quo iam ante, filium amiserat, cui dum iusta faceret, modum excessit, & pleraque ridiculè edidit, quo nomine taxatur à Plinio.

Domesticum exemplũ. ACRIS *ingenij sed ambigui qui posset recta sectari, si tamen patrem non referret*) Nihil tam in puero metuendum, quàm domesticorum morum, certéq; paternorum labes, quæ facilè in tenellam ætatem transfunditur: qua de re Iuuen. Sat. 14.

EMANCIPATVM] Vet. Mancipatum.

MANNVLOS *multos*) Equulos seu equos pusillos, quibus olim delicatiores vterētur,

vt hodie noſtri mulis aut mulabus. Horat. I. Sermon. 7. *Impoſitus mannus, &c.* Auſonius ad Paulum;

Vel celerem mannum vel ruptum terga veredum Conſcendas.

E T *vinctos & ſolutos*) Vet. inuictos.

N E C *dolor erat ille, ſed oſtentatio doloris*) Vt Gelliæ apud Martialem quæ amiſſum patrẽ doleret cùm multi præſentes eſſent: ſi ſola eſſet; minimè. Non dolor, ſed oſtentatio doloris.

V T *eſt in ſumma auaritia ſumptuoſus, in sũma infamia glorioſus*] Id & ſimile monſtro, ad arguendam ſummam hominis vecordiam: vt vero verius ſit Platonis illud in Lyſide, τὴν τῶν κακῶν ἀνθρώπων ψυχὴν διαστάζειν. Animus Reguli varius.

A V D I E S *breui nuptias lugentis, nuptias ſenis: quorum alterum immaturum, alterum ſerum eſt*) Et id non ſine dente; quid enim magis intempeſtiuum quàm lugere nupturientem: vel quid ridiculum magis quàm ſenem verrucoſum & capularem de nuptiis cogitare? quid enim? Luctus nupturientis.

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor. Senex amori deditus.

AD EPISTOLAM 3.

COMMEMDAT impẽſiſſimè Antonini ſui mores, vt in magiſtratibus multa, omniũ adprobatione obitis facta egregia, ſic in ſcribendis Græcè carminibus ſolertiam.

A N T O N I N O] In al. Adriano.

N O N *ſinit me verecundia tua dicere, qualis nemo*) Qualis, non eſt in Fauieriano.

QVOD *auctoritate, ætate quoque princeps ciuitatis*] Tò ætate, abest à vet.

REMISSIONIBVS *miror*] Vet. habẽt, remissioribus.

Lenitas admista grauitati.

NAM *seueritatem istam pari iucunditate condire, summæque grauitati tantum comitatis adiungere, non minus difficile quàm magnum est*) Ita Cato apud Cicer. in Fab. Maximè grauitatem lenitate conditam celebrat, & qui in moribus nedum in scriptis,

Omne ferat punctum, si misceat vtile dulci.

Qua de re nos quædam ad epist. 5. lib. 2.

Nestoris mellea facundia.

LOQVENTI *tibi illa Homerici senis mella profluere, &c.*) De Nestore id, ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio: Cic. in Catone maiore, ex Hom. Iliad. α.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

ITA *certè sum refectus ipse*) Vet. affectus.

CVM *iambos proximè legerem*) Non proximè, sed maximè legitur in vet.

INVECTERE *videntur*] Al. nectare.

Callimachus.

CALLIMACHVM *vel Herodē*) De Callimacho Suidas; Is omnem rudentem Poëticę mouisse dicitur, qui omni metri genere seipsum exercuerit. Vide Lilium Gregoriũ 3. dialogo hist. Poëtarum. Herodes autẽ Atticus iambographus, cuius non semel Gell. meminit, vt & Philostratus, Martialis, Spartianus, Pausanias, Lucianus.

Herodes Atticus.

Atticæ Athenæ.

NON *Athenas ipsas tam Atticas*) Color est, quem Rhetores αὔξησιν dicũt: nisi fortè putet aliquis ad differentiam id dictum. ex Stephano enim didicimus vrbes sex Athe-

narum nomine olim fuisse nuncupatas: qua ratione dixit Plautus Epidico; Fateor me omnium hominũ esse Athenis Atticis minimi precij. Apollinaris epist. 3. lib 4. Arbitror me nec Athenæ sic Atticæ videbantur. Opinionẽ hanc confirmat 7. cap. 1. Macrob. Si sic apud Athenas Atticas Areopagitæ tacentes iudicant; ita inter epulas silere oportet. Eodem sensu dixisse memineram Symmachum, Athenas Atticas, lib. 5. epist. 33.

AD EPISTOLAM 4.

VT cõferatur tribunatus semestris Calvisio, Sossium rogat.

OBLIGABIS *ipsum*) In vet. obligabis eum.

NON *minus idoneum debitorem*) Tò debitorem, abest à vetere. Plinij studium in amicos.

AVSIM *contendere nullum te melius, æquè bene, vix vnum aut alterum collocasse*) Elata hæc vel obtestatio, vel pollicitatio: ex qua constare potest quãtum Plinij fuerit in amicos propensum studium, quos quia valdè amaret, impensè etiam verbis augeret.

ÆQVE *bene*) Atque benè, vt in manusc.

AD EPISTOLAM 5.

SCRIBIT orationem quandam suam se per biduum recitasse, magno applausu & adprobatione auditorum.

ÆSCHINEM *aiũt petentibus Rhodiis*) Retulit in Bruto Cic. & 3. de Orat. itémq; Valer. Max. cap. de pronunciatione lib. 8. Perti- Vis actionis.

net hoc ad viuę vocis δείνωσιν, adeo vt rectè dictum sit, magnam partem Demosthenicę orationis cũ ipso Demosthene vnà emortuam; quia legatur potiùs, quàm audiatur.

Svmmis *vtramque clamoribus esse probatam*) Istud, esse probatam, non est in cod. vet.

AD EPISTOLAM 6.

Narrat agros suos turbine concussos; vt nihil ferè præter solum sibi relictum sit, nihilque supersit præter Laurentinum illud Musæum, tantopere in superioribus laudatum.

Svmma *abundantia, sed par vilitas*) Al. parum vtilitatis.

Statimqve *arenas*) Siccásque, leg. alij.

Solatium in litteris vera in rebus aduersis vltio.

Solvm *tamẽ mihi in redditu; ibi enim plurimum scribo*] Ostentat suum studium, séque in litteris elaborare, quo se ab agrorum calamitatibus vindicet. Et nobis itidem faciendũ hoc maximè tumultu planè funesto ac barbaro, quo res Gallica periclitatur, & in id planè miserum coniecta discrimen, non ab exteris profectò, sed domesticis hostibus, vt neque quos tutò sequamur, aut apertè fugiamus, nõ omninò lateat. Quid ergo tandem

——————*præter plorare relictum?*

Vel si quid nos, qui togati sumus, & alienos ab omni furore Martis animos gerimus: si quid nos, inquam, sapimus supra ineptũ ac delirum vulgus, qua ratione alia nos de-

tot iam acceptis plagis vindicemus, quàm si scribimus commentamur, & honesta studia recolimus?

AD EPISTOLAM 7.

RVRSVM agit in Regulum, qui præter alias ridiculas in filij funere pompas editas, libellum etiam de filio scripsisset; & ita ineptè, vt à puero scriptus putaretur.

LEPIDO) Al. Luperco.

MIRVM *est quàm efficiat in quod incubuit*) Obstinati animi motu eam vim, seu intentionem quicquid velis obtinendi nominat. Laudauit ita M. Brutum Tull. sed contrario sensu: Quicquid vult, valdè vult. Obstinatus animus.

DE *vita pueri recitauit, cùm eundem librum, &c.*) Veteres sic: de vita eius recitauit, de vita pueri recitauit, tamen eundem librum, in quo putem mendum esse in sententia iterata: nisi quis velit gloriosulum Regulum de se primùm, dein de filio dixisse.

QVANQVAM *minor vis b[...]s quàm malis inest*) Sic ferè comparatum à natura vt virorum bonorum in rebus seriis lãguescat impetus: improborum augescat audacia & industria. Improborũ audacia, bonorum debilitas.

Ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δ' ὄκνον φέρει) Audacia & temeritas ferè sunt indiuiduæ comites ignorantiæ: at eruditio omnis ingenua & solida cunctationem habet, neque quid committere audet temerè, vt quæ vsu longo edocta multa videat, pluribus etiam prouideat. Imperitia & temeritas, ferè comites.

NVNC ET *mihi modò*) Tò, mihi, abest à manuscr.

SI *valere est suspensum & anxium viuere*) Vt non est viuere, sed valere vita; sic ait Hor.

Qui metuens viuit, liber mihi non erit vnquam.

AD EPISTOLAM 18.

RVRSVM de sua oratione Panegyrica, Traiano dicta, qua ei, ob delatam Consulis dignitatem, gratias egit.

SEVERO) Manuscr. Curio Seuero.

OFFICIVM *consulatus iniunxit mihi*) Al. sic, officio Consulatus iniunxisti mihi.

Panegyricus Plinii ad quid scriptus.

PRIMVM *vt Imperatori nostro*) Duabus maximè rationibus orationem scriptam fuisse innuit, nempe vt meritissimo principi gratiæ agerentur : deinde vt ad similia virtutum exempla posteri principes celebri adeò prædicatione allicerentur ad similes virtutes, & similia facta.

AVT *valdè rarò*) Tò rarò, à vet. abest.

MIHI *hunc honorem habitum putem, an studiis? studiis malo*) Rectiùs in memb. putem, an studiis? malo.

EANDEM *nunc & qui recitare, &c.*) Vet. eadem.

IDEOQVE *etiam libentiùs scribitur*) Etiam, non est in cod. vet.

VT *olim theatra malè musicos canere docuerunt, &c.*) Temporibus maximè principum vitiosorum, qui cùm sibi vellent imprimis adulari, non modò in theatris musicam fractam & elumbem fecerunt; sic & declama-

tores ad licentiam omnem maledicẽdi vocarunt. Ita sibi spondet Plinius sub imperio Traiani oratores exorturos qui & optimè dicant, & virtutum omni laude excellant.

V T *quando veniat dies, vtique namque iam venerit*] Similis apud Martial. παρεμβολὴ

Phosphore redde diẽ, quid gaudia nostra moraris?

Itémque alibi:

——— lux mihi grata veni.

AD EPISTOLAM 19.

DE prædiis emendis sollicitus, Caluisium Rufum percontatur quid in ea re acturus sibi videatur.

CALVISIO) Clausio, vt in vet.

ATRIENSIVM, *topiariorum, &c.*) Multas fuisse seruorum differentias, quatenus quidem ad officiorum varietatem pertinet, neminem qui Iuris elementa perceperit, ignorare arbitror. Sed ad rẽ. Atrienses erant qui atrium tuerentur, ait Varro 7. de lingua Latina. Quidam interpretantur Atriensem διαιτάριον καὶ διαιτάρχην. topiarij, qui & typiarij quibusdam dicti, edera gestationes circumuestiunt: formas ex plantis, fruticibus faciunt, variásque figuras effingunt: de his Firmicus 8. Mathes. cap. 10. Seruorũ differentiæ olim.

HABET *multum iucunditatis, soli cœlíque mutatio*) Vt omnis ferè grata vicissitudo, sicuti olim placuit Comico seni, qui sic apud Terentium loquitur, Ruris & vrbis vicissitudo.

Ex rure meo proximo id capio commodi, neque

ægri, neque vrbis odium me vnquam percipit, vbi satias cœpit fieri, commuto locum.

SVNT *instruendi complures frugi mancipes*) Sic al. eo plures quod frugi mancipiis colitur.

PERCIPERE *potuisses*) Vet. præcipere.

NAM *nec ipse vsquam*) Vet vnquam.

AD EPISTOLAM 20.

QVAERITVR immutatum fuisse morem creandorum magistratuum per tacita suffragia, non vt olim; apertè: ex eo enim metuit ne quid mali oriatur.

MAXIMO) Vet. Mexio Maximo.

Lex tabellaria. LEX *tabellaria*) Tabellarias leges quatuor fuisse reperio, vnam de mandandis magistratibus, Gabiniam; alteram Cassiam, de populi iudiciis, excepto perduellionis crimine: tertiam Papyriam Carbonis, de legibus iubendis & vitandis: quartam Cæciliam, perduellionis, ante Cæcilium voce ferebantur suffragia: hîc verò de Gabiana, quæ de suffragiis ferendis, quam attigit Cic 3. de legibus.

VLLA *dissensione hoc quidem*) Hoc idem, vet. hab.

EXCESSERAMVS *sanè manifestis illis apertísque suffragiis*) De ordine, modóque Comitiorum, multa doctè & diligenter Gruchius, de Rom. Comit.

Comitia. EXCESSERAMVS *sanè, &c.*] Al. habent, excess. sanè modum.

EX *parcis loqueb.*) Vet. parcè.

VEREOR *ne procedēte tempore ex ipso remedio vitia nascantur*) Cato apud Sallust. oratione in Catilinarios deprehensos: omnia mala exempla à bonis initiis orsa dicit. Mala exēpla à bonis initiis.

NAM *quotocuique eadem honestatis cura secretò quæ palàm*) Proinde Horat. epist. 16. libro. 1.

Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.

MVLTI *famam, conscientiam pauci verentur*) Opponi sæpe à nostro famam conscientiæ, alio etiam obseruaui loco, vt 12. epist. lib. 1. Itémque lib. 5. & 14. lib. eiúsdem. Fama, conscientia.

RECVPERATORIIS *iudiciis.*) Quæ per datos à Prætore iudices exercebantur, vulgus nostratium Cōmissarios iudices appellat: quale fuit iudicium pro Cæcina, in quo Recuperatores sæpe appellantur. Meminit 2. de Inuent. Tul. Recuperatores iudices.

HABENT *quoque nostræ litteræ aliquid non humile, nec sordidum, nec priuatis rebus inclusum*] Epistolæ ad amicos de rebus ferè vulgaribus & domesticis scribi solitæ sunt: viri tamen eruditi multa iis includunt grauiora; recondita magis & secretiora, quod ex epistolis Platonis, Isocratis, Synesij, Tullianis multis, Sidonij Apollinaris, sed & imprimis Hieronymi, Augustini, & aliorum sanctissimorum hominum constat. Vide Senecam epistol. 76. Litteræ Plinianæ.

SVNT *quidem cuncta sub vnius arbitrio, qui pro vtilitate communi solus omnium curas, laborésque suscepit*] Id ad Traiani optimi principis laudationem: in quo videtur, ni fallor, respexisse ad illud Horatianum de Augusto; Traiani laudatio.

Cùm tot ſuſtineas, & tanta negotia ſolus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, &c.

QVIDAM *tamen ſalubri quodam temperamento*) Quodam, abeſt à vet.

AD EPISTOLAM 21.

LVGET obitũ Valerij Martialis Poëtę lepidi & faceti.

PRISCO) Vet. Cornelio Priſco.

Boni príncipes doctos viros honoribus affecerunt.

FVIT *moris antiqui*) Al. mos antiquis. Is mos antiquus beneficio doctos viros afficiendi ſub bonis principibus & beatiore ſęculo, pridem exoleuit, vel teſte Oui. 3. Artis,

Cura ducum fuerant olim regúmque Poëtæ,
Præmiáque antiqui magna tulêre chori.
Sanctáque maieſtas, & erat venerabile nomen
Vatibus & largæ ſæpe dabantur opes:
Nunc ederæ ſine honore iacent, operatáque doctis
Cura viget Muſis nomen inertis habet.

Et Martial. paſſim, vt lib. 1. 77. Item lib. 9. 75. & lib. 11. 4.

Ineptum laudari putamus, quia laudanda nõ facimus.

POSTQVAM *deſiimus facere laudãda, laudari quoque ineptum putamus*) Et neſcio an id magis grauiter, an lepidè dictum ſit. Siquidem virtutis ampliſſimum prœmium in laude ponimus, nulla eſſe vera & ingenua laudatio poteſt, dùm virtus abeſt: immò tacitæ conſcientię teſtimonio angimur & torquemur, cùm immerita laude afficimur, vt ineptum putemus, planéque ridiculum, prædicari. Eò pertinet quod de Tiberio, verſuto & fallaci principe tradit Cornelius Taci-

tus: quem ait ægrè tuliſſe in Senatu laudari ſeſe, non alia fortè ratione quàm quod ſibi conſcius, aſſentationis hoc genus minimè ferret. Et quis enim ſi ſic laudetur;

Virtutem haud videat, intabeſcátque relicta?

Nempe mercis eius quæ in vſu non eſt, aut etiam quæ vileſcit, nullum præconium.

CAETEROS *in libro requires*) Vet. libros.

QVANTVM *maximum potuit*) Quantum maximè, vt vet.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. IIII. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

SIGNIFICAT se breui ad proſocerum venturum, ſéque biduo in itinere moraturũ Tiphernij ad templi dedicationem.

ERIT *vna)* Vet. erit enim vna.

AD EPISTOLAM 2.

REGVLVS, de quo iam ante, filium amiſerat, cui dum iuſta faceret, modum exceſſit, & pleraque ridiculè edidit, quo nomine taxatur à Plinio.

Domeſticum exemplũ. ACRIS *ingenij ſed ambigui qui poſſet recta ſectari, ſi tamen patrem non referret)* Nihil tam in puero metuendum, quàm domeſticorum morum, certéq; paternorum labes, quæ facilè in tenellam ætatem transfunditur: qua de re Iuuen. Sat. 14.

EMANCIPATVM] Vet. Mancipatum.

MANNVLOS *multos)* Equulos ſeu equos puſillos, quibus olim delicatiores vterẽtur,

vt hodie nostri mulis aut mulabus. Horat. 1. Sermon. 7. *Impositus mannus, &c.* Ausonius ad Paulum;

Vel celerem mannum vel ruptum terga veredum
Conscendas.

ET *vinctos & solutos*) Vet. inuictos.

NEC *dolor erat ille, sed ostentatio doloris*) Vt Gelliæ apud Martialem quæ amissum patrē doleret cùm multi præsentes essent: si sola esset, minimè. Non dolor, sed ostentatio doloris.

VT *est in summa auaritia sumptuosus, in sūma infamia gloriosus*] Id & simile monstro, ad arguendam summam hominis vecordiam: vt vero verius sit Platonis illud in Lyside, τὴν τῶν κακῶν ἀνθρώπων ψυχὴν διασάζειν. Animus Reguli varius.

AVDIES *breui nuptias lugentis, nuptias senis: quorum alterum immaturum, alterum serum est*) Et id non sine dente; quid enim magis intempestiuum quàm lugere nupturientem: vel quid ridiculum magis quàm senem verrucosum & capularem de nuptiis cogitare? quid enim? Luctus nupturientis.

Turpe senex miles, turpe senilis amor. Senex amori deditus.

AD EPISTOLAM 3.

COMMEMDAT impēsissimè Antonini sui mores, vt in magistratibus multa, omniū adprobatione obitis facta egregia, sic in scribendis Græcè carminibus solertiam.

ANTONINO] In al. Adriano.

NON *sinit me verecundia tua dicere, qualis nemo*) Qualis, non est in Fauieriano.

Qvod *auctoritate, ætate quoque princeps ciuitatis*] Tò ætate, abest à vet.

Remissionibus *miror*] Vet. habẽt, remissioribus.

Nam *seueritatem istam pari iucunditate condîre, summaeque grauitati tantum comitatis adiungere, non minus difficile quàm magnum est*) Ita Cato apud Cicer. in Fab. Maximè grauitatem lenitate conditam celebrat, & qui in moribus nedum in scriptis,

Lenitas admista grauitati.

Omne ferat punctum, si misceat vtile dulci.

Qua de re nos quædam ad epist. 5. lib. 2.

Loqventi *tibi illa Homerici senis mella profluere, &c.*) De Nestore id, ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio: Cic. in Catone maiore, ex Hom. Iliad. α.

Nestoris mellea facundia.

Τῦ κ, ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδὴ.

Ita *certè sum refectus ipse*) Vet. affectus.

Cvm *iambos proximè legerem*) Non proximè, sed maximè legitur in vet.

Invectere *videntur*] Al. nectare.

Callimachvm *vel Herodē*) De Callimacho Suidas; Is omnem rudentem Poëticę mouisse dicitur, qui omni metri genere seipsum exercuerit. Vide Lilium Gregoriũ 3. dialogo hist. Poëtarum. Herodes autẽ Atticus iambographus, cuius non semel Gell. meminit, vt & Philostratus, Martialis, Spartianus, Pausanias, Lucianus.

Callimachus.

Herodes Atticus.

Non *Athenas ipsas tam Atticas*) Color est, quem Rhetores αὔξησιν dicũt: nisi fortè putet aliquis ad differentiam id dictum. ex Stephano enim didicimus vrbes sex Athe-

Atticæ Athenæ.

natum nomine olim fuisse nuncupatas: qua ratione dixit Plautus Epidico; Fateor me omnium hominũ esse Athenis Atticis minimi precij. Apollinaris epist. 3. lib 4. Arbitror me nec Athenæ sic Atticæ videbantur. Opinionẽ hanc confirmat 7. cap. 1. Macrob. Si sic apud Athenas Atticas Areopagitæ tacentes iudicant; ita inter epulas silere oportet. Eodem sensu dixisse memineram Symmachum, Athenas Atticas, lib. 5. epist. 33.

AD EPISTOLAM 4.

VT cõferatur tribunatus semestris Calvisio, Sossium rogat.

OBLIGABIS *ipsum*) In vet. obligabis eum.

NON *minus idoneum debitorem*) Tò debitorem, abest à vetere. Plinij studium in amicos.

AVSIM *contendere nullum te melius, æquè bene, vix vnum aut alterum collocasse*) Elata hæc vel obtestatio, vel pollicitatio: ex qua constare potest quãtum Plinij fuerit in amicos propensum studium, quos quia valdè amaret, impensè etiam verbis augeret.

ÆQVE *bene*) Atque benè, vt in manusc.

AD EPISTOLAM 5.

SCRIBIT orationem quandam suam se per biduum recitasse, magno applausu & adprobatione auditorum.

ÆSCHINEM *aiũt petentibus Rhodiis*) Retulit in Bruto Cic. & 3. de Orat. itémq; Valer. Max. cap. de pronunciatione lib. 8. Perti- Vis actionis.

net hoc ad viuę vocis δείνωσιν, adeo vt rectè dictum sit, magnam partem Demosthenicę orationis cū ipso Demosthene vnà emortuam; quia legatur potiùs, quàm audiatur.

SVMMIS *vtramque clamoribus esse probatam*) Istud, esse probatam, non est in cod. vet.

AD EPISTOLAM 6.

NARRAT agros suos turbine concussos; vt nihil ferè præter solum sibi relictum sit, nihilque supersit præter Laurentinum illud Musæum; tantopere in superioribus laudatum.

SVMMA *abundantia, sed par vilitas*) Al. parum vtilitatis.

STATIMQVE *arenas*) Siccásque, leg. alij.

Solatium in litteris vera in rebus aduersis vltio.

SOLVM *tamē mihi in reddituę; ibi enim plurimūm scribo*] Ostentat suum studium, séque in litteris elaborare, quo se ab agrorum calamitatibus vindicet. Et nóbis itidem faciendū hoc maximè tumultu planè funesto ac barbaro, quo res Gallica periclitatur, & in id planè miserum coniecta discrimen, non ab exteris profectò, sed domesticis hostibus, vt neque quos tutò sequamur, aut apertè fugiamus, nō omninò lateat. Quid ergo tandem

——— *præter plorare relictum?*

Vel si quid nos, qui togati sumus, & alienos ab omni furore Martis animos gerimus: si quid nos, inquam, sapimus supra ineptū ac delirum vulgus, qua ratione alia nos de-

tot

tot iam acceptis plagis vindicemus, quàm si scribimus commentamur, & honesta studia recolimus?

AD EPISTOLAM 7.

RVRSVM agit in Regulum, qui præter alias ridiculas in filij funere pompas editas, libellum etiam de filio scripsisset; & ita ineptè, vt à puero scriptus putaretur.

LEPIDO) Al. Luperco.

MIRVM *est quàm efficiat in quod incubuit*) Obstinati animi motu eam vim, seu intentionem quicquid velis obtinendi nominat. Laudauit ita M. Brutum Tull. sed contrario sensu: Quicquid vult, valdè vult. Obstinatus animus.

DE *vita pueri recitauit, cùm eundem librum, &c.*) Veteres sic: de vita eius recitauit, de vita pueri recitauit, tamen eundem librum, in quo putem mendum esse in sententia iterata: nisi quis velit gloriosulum Regulum de se primùm, dein de filio dixisse.

QVANQVAM *minor vis bonis quàm malis inest*) Sic ferè comparatum à natura vt virorum bonorum in rebus seriis lãguescat impetus: improborum augescat audacia & industria. Improborũ audacia, bonorum debilitas.

Ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δ' ὄκνον φέρει) Audacia & temeritas ferè sunt indiuiduæ comites ignorantiæ: at eruditio omnis ingenua & solida cunctationem habet, neque quid committere audet temerè, vt quæ vsu longo edocta multa videat, pluribus etiam prouideat. Imperitia & temeritas, ferè comites.

Eruditi verecundi. RECTA *ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat audacia*) Affinis superiori & hęc sẽtentia, ad commendationem eruditionis solidæ: quæ si rectè fundata sit, adiunctam semper habet vnà secum verecundiam & modestiam, quæ custos virtutum omnium alio loco dicitur.

Reguli vitia. EXEMPLO *est Regulus, imbecillum latus, os confusum, &c.*) Imbecillum latus arguit nullam fuisse homini actionem, quanquam se pro Oratore seu patrono causarum venditaret: os confusum, significat memoriæ defectum, & insignem impudentiam. Nam & eo certè turpi vitio perstringitur Regulus: & duri oris hominem, pro impudenti (Duri oris homo.) vsurpari ex auctoribus Latini sermonis liquet.

VT *à pluribus orator habeatur*] Veteres ita: vt plurimis orator habeatur.

Orator vir malus dicendi imperit'. ORATOR *vir malus, dicendi imperitus*) Secus quàm bonus orator definitur à Fabio: etenim vt vir bonus, ad morum probitatem, quæ dicenti præstat, & dicendi peritus ad illam ἑρμηνευτικὴν δύναμιν referunt: sic contrà improbus, & infans, hoc est probrosus & linguæ tumultuantis homo incessitur, dignus qui in Morboniam potius ablegetur, quam patrociniis admittatur. Martialis, festiuus scriptor, Regulo tribuere videtur (loquens Regulus.) eloquentiam lib. 5 epigrammate 29. in Mamercum.

Vt bene loquatur, sentiátque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres Curios licet vincas,
Quiete Neruas, comitate Rufones,

Probitate Marcos, aequitate Mauricos,
Oratione Regulos, iocis Paulos
Rubiginosis cuncta dentibus rodit,
Hominem malignum forsan esse tu credas?
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Sed artifex ille popularis ad vulgarem opinionem multa, seriò interdum, nonnunquam εἰρωνικῶς & falsè iactat, aut asseuerat, vt hoc maximè scazonte, quo quidem Regulo huic orationem tribuit; quam tamen loquentiam potiùs, quàm eloquẽtiam possimus interpretari. Est enim id Martiali familiare, vt arguta dicacitate pungat, & quẽ laudet, etiam seriò mordeat, & saepe blandè iugulet.

HABESNE *quo tali epistolae parem gratiam referas? habes si rescripseris*) Vet. omnes si rescripseris.

VT *ait Demosthen.* ἐπαίρεις τὴν φωνήν, *&c.*) Attollens vocem, aut voce vel gutture sermonem attollens: quod fieri ab eo solet, qui vt grauitatem verbis suis addat, si elata voce, & quasi gutture verba faciat.

EST *enim tam ineptus, vt risum magis possit exprimere, quam gemitum*) Argutũ hoc, nec sinè morsu cauillũ. vt enim risu inepto nihil ineptius: ita inepto, & simulato, & importuno & eloquentiae ostentatore nihil magis ridiculum esse potest. Ineptus.

AD EPISTOLAM 8.

QVOD multi ex amicis, sed Arrianus in primis, auguratum Plinio gratularen-

tur, tum quòd id grauissimo Principis iudicio consecutus esset dignitatis: tum quòd sacrum & insigne haberetur: sed & quòd socero successerit: quòd denique Cicero augur fuerit.

NAM *cætera*) Vet. nam alia.

OB *hoc maximè*) Vet. hoc maximè.

Eloquentem esse, quàm magistratũ, præstat.

QVAE *sunt in manu hominũ & mihi & multis contigerunt: illud vt adipisci arduum, sic etiã sperare iniurium est*) Dignitates & honores Reip. consequi magnum est, quódque à principis liberalitate manare possit: at eloquentia diuinum donum, & quod non nisi naturæ cuidam meliori tribuitur. Nec enim virtus hæc, oratoria nempe, quam rectè in perpetuo esse magistratu quidam statuerunt, non sumit, aut ponit secures arbitrio popularis auræ.

AD EPISTOLAM. 9.

SIGNIFICAT Bassum Iulium sæpe in iudiciis accusatum, periclitatúmque, hinc Bithiniam sortitum, rediisse reum, quòd quædam à prouincialibus accepisset, accusatum à Theophane qui vnus erat ex legatis, defensum à Plinio & Albino, tandem absolutum. huc confer 20. epi. lib. proximè seq.

HOMO *laboriosus*) Vir magnus, vt al. leg.

Aduersis sui: clari.

ET *aduersis suis clarus*) Vt plerique inglorij & ignoti essent, nisi aduersis fortunæ casibus patientiæ exemplum præbuissent. Ouid. 4. Trist.

Quæ latet ínque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguitúrque malis.

VIR *paratus & vehemens*) Peritus, tantùm, in vetustis.

FAX *accusationis & origo*) Quasi instigator, vt vulgus appellat, in iure delator. à bello sumpta translatione: & apud Fabium cum ait lib. I. dicendi subdidisse facem: & Seneca, poëtarum carmina nostris animis faces subiicere. Fax accusationis.

DE *conspiratione*) Consensu, vt vetus: sed non video quàm hæc sequentibus cohęreāt.

HOC *illum onerabat quòd homo simplex & incautus quædam à prouincialibus vt amicis acceperat*) Accusatio ea, repetundarum in Iure dicitur, de quo l. fin. ad leg. Iul. repetund. cod. Actio repetundarum.

LEX *munera accipi vetat*) Lex in totum munera vetuit accipi iudicibus, imò etiam quid emi, nisi victus quotidiani causa. hoc tamen addito temperamento, οὔτι πάντα, οὔτι πάντοτε, οὔτι παρὰ πάντων, nam valdè inhumanum à nemine accipere: sed passim, vilissimum; & per omnia, auarissimū. Philo Iudęus de Off. Iudi. Spartian. in Pescennino Nigro tradit eum constituisse salaria iudicibus è publico, ne cui essent oneri, adiecisséque, iudicem nec dare debere, nec accipere. Ea lex Cincia fuit, quam & muneralem quidam appellant; ea qua cauebatur de donis & muneribus, ne quis vltra modū acciperet, exceptis cognatis personis, vt apud Vlp. lib. regu. tit. I. malè eum nonnulli colligunt modum fuisse, aureorum ducentorum, ex l. sancimus, C. de donat. quod referre malim ad Theodosij & Valentiniani constitu- Munera non capiunda caudicis. Lex Cincia.

tionem,l.vlt.C.Theod.de ſponſalib.Eadem lege etiam vetabantur patroni cauſarum aliquid pro patrocinio à clientibus accipere; vt Tacitus lib.11.annal.retulit. Quam legem pridem deſuetam Auguſtus reſtituit, addita quadrupli pœna; Dione teſte,lib.54. ex l.Iulia repetund.Tandem latum ſenatuſconſultum & Traiani temporibus, de quo Plin.hîc quo in litis ingreſſu litigatores iurare cogerētur, nihil ſe quicquam ob aduocationem dediſſe,vel promiſiſſe,interpoſito ſtipulationis nexu aut cauſę, datis fideiuſſoribus.Tamen lite deciſa,permiſſum erat aduocatis honoraria dare & accipere; dum tamen licitam quantitatem non excederent, hoc eſt, dena ſeſtertia, ſeu aureos centum: quæ ſumma dicitur honorarium licitum,licitus modus, & licita quantitas,l.1.de variis & extr.cogn.

Inficianda non ſunt aperte vera.

REM *manifeſtam inficiari augentis erat crimē, non diluentis*] Verè id quidem & grauiter, quis enim ſuſtineat rem vel luce meridiana clariorem,vt infectam negari?contrà,ingenuè & verecundè fateri crimen, interdum prodeſt,ſi non ad abſoluendum, at certè ad pœnam leniēdam.quod & video inter præcepta Rhetorum: & id ſeruaſſe Tullium orationibus aliquot, vt Sullana; Cœliana aliis memini.

Veniam petere, fateri crimen eſt.

VENIAM *peterem? iugularem reum*) Qui veniam petit, quoquo petat modo, crimen fatetur.quod vnum inter oratoria præcepta numerant,quibus id curæ.

NAM *cùm è lege*) Vet. ex lege.

Facilius

VEREBAR *ne me* (*ne mox, vt in manuſ*)

corporis vires iterato labore desererent : quem difficilius est repetere quàm iungere] Idem penè Cicero de legib. 1. Ego animi pẽdere soleo, cùm semel quod orsus traducor alio; neque tam facile interrupta contexo, quàm absoluo instituta. instituta persequi, quàm interrupta resumere.

DESERERENT] Vet. deficerent.

VARIETATEM *duarum*) Alij, varietatum duarum.

ATQVE *etiam nocte illatis lucernis*) Nocte, in vet. non habetur.

PRO *Basso Titius Homulus*) Titius, in cod. vet. abest.

CVM *tam diuersa censuerint*) Vet. qui tam diuersa.

NON *sine ratione veniam dedit facto, vetito quidem*) Video aliter in codic. manusc. interpunctum: non sine ratione veniam dedit, facto vetito quidem.

QVO *potes æstimare*) Vet. existimare.

BASSVS *magna frequentia*) Mira, vt vet.)

EPISTOLAM προόδρομον) Ea est πρόδρομος: epistola, quæ libro præfigitur, & quæ vel auctoris consilium, vel argumentum quasi citato cursu aperit, cuiusmodi fortè prima lib. primi. Epistola πρόδρομος.

AD EPISTOLAM 10.

SABINA Modesto seruo & libertatem & legatum reliquerat, quod tamen quià scriptum non esset, quidã ex heredibus non deberi asseuerabat. Contra Plinius defunctę voluntatem esse religiosè seruãdam suadet.

Prudẽtes, pro Iuriſconſultis. IDEM *tamen*) Eidem tamen, vet.

CVM *prudentibus*) Cum peritis. vtrumque rectè. nam prudentes vel periti pro Iureconſultis accipi non rarò video.

RELIGIOSISSIME *ſoleas cuſtodire defunctorum voluntatem*] Quod ex viri boni officio eſt, & Iura pręcipiunt. vide 2.16. & 5.7.

Honeſtas, neceſſitas. NEQVE *enim minùs apud nos honeſtas, quàm apud alias neceſſitas valet*) Honeſtas prima virtutum omnium, vel officij omnis honeſti fons, vt Ciceroni in Officiis. Quæ honeſtas tantumdem apud ſapientes virium habet, qui ſponte virtutem colunt, vitia oderunt, ob ſolam eorum turpitudinem; quàm apud ſtultos neceſſitas, qui metu legum agunt omnia: qua de re bellè Cic. 1. Legum, & Horat. 1. epiſt. 16 ibi.

Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterque
Suſpectos laqueos, &c.

AD EPISTOLAM II.

EXSILIVM Liciniani, qui ſub Domitiano reus inceſtus cum Veſtali virgine factus erat, exponit.

MINVTIANO], Vet. Cornelio.

EXSVL *de Senatore, Rhetor de Oratore fieret*) Simile illud Iuuenalis.

Exſul de Senatore, Rhetor de Oratore. *Si fortuna volet, fies de Conſule Rhetor*
Si volet hæc eadem, fies de Rhetore Conſul.

CARENT *togæ iure quibus aqua & igni interdictum eſt*) Vſum togæ non fuiſſe conceſſum peregrinis, ſicuti neque iis quibus igni & aqua fuiſſet interdictum, vel deportatis, l.

ſed ſi hac lege, D. de in ius voc. l. 1. de hered. inſtit.

DIGNVM *tamen illum*) Legitur indignum, in membranis.

QVI *hæc ipſa ſtudia inceſti ſcelere maculauerat*) Vir qui alienus eſſe ab omni ſcelerę debuit, eóque pudore in tractandis honeſtis ſtudiis quę literatos decent, quaſi caſta Muſarum contubernia videtur flagitiosè inceſtaſſe.

INGENTI *inuidia deſtitutus*) Verbum deſtituẽdi, energiticũ eſt, vt illud Maronis,

Et freta deſtituent nudos in littore piſces.

Sueton. in Auguſto cap. 56. de Aſprenate, cunctari ſe, ne ſi ſupereſſet, eriperet legibus reum: ſin deeſſet, deſtituere, ac prædamnare amicum viderętur; ibidem 65. fortuna deſtituit in Claudio. 45. quem honorem à Nerone deſtitutum. In Nerone 2. repente deſtituit. ibidem 40. vt quàm deſtitueretur. & paſſim. idem in Galba 11. deſtituto ſimilis; in Domitiano, 14. quod poſt deſtitutionem. Seneca epiſt. 9. Qualis vita futura ſapientis, ſi ſine amicis relinquatur in cuſtodiam coniectus, vel in aliqua gente aliena deſtitutus? quibus ex locis intelligimus, deſtituere, non eſſe ſimpliciter deſerere, ſed de ſtatu deiicere, quanquam & is deſtituere dicatur, qui quod promiſit, non præſtat. Cic. in Quinctiana: deſtitutione illa perculſus à Scapulis dies aufert, &c. & patruum ab Antonio deſtitutum dicit alio loco. Deſtituere.

CORNELLIAM *Veſtalium maximam*) Manuſc. noſtri, Corneliam Maximilla Veſtalem.

Damnatio incestarum virginũ.

CORNELIAM *defodere viuam*) Quod moris olim fuisse Dionys. Halycarn. lib.8. & 9.& Iuuenalis Satyra. 4.referunt,

Nemo malus fœlix minimè corruptor & idem
Incestus cum quo nuper vittata iacebat,
Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos.

Vide Liuium lib.2.4.8.& locis aliis Iul.Obseq.de prodig.Oros.2.

C V M *moti exemplo*] Vet.exemplis.

Absẽtem damnari nefas.

A B S E N T E M, *inauditámque damnauit incesti*) Absentem tamen & inauditum condemnari iura vetant,l.5. D.de pœn.

Incestus & parricidium.

C V M *ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verumetiam occidisset*) Duo grauissima crimina,incestus & parricidium, de quibus tit. ad l. Iuliam, de adult. item ad l. Pompeiam,de parricid.

Rerum iudicatarũ auctoritas

N E S C I O *an innocens,certè tanquam nocens ducta est*) De rei veritate non liquebat, de iudicato cõstabat. Modestè id & sobriè dictum ab homine verecũdo qui nihil temerè pronunciet,ne quid rumoribus vulgi dare videatur, aut detrahere auctoritati rei iudicatæ,quæ aliàs pro veritate habeatur.

Carnifici nõ licuisse in vrbe morari.

R E S I L V I T)Resiliit,vt vet.

F O E D V M Q V E *contagium* (*scilicet tortoris*), *quasi planè à casto,puróque corpore nouissima sãctitate reiecit*] Fœdum cõtactum, vet.habent. Proditum ex veterum monumentis, funestũ & impurũ fuisse habitũ tortoris contactum,cui & ne quidem in vrbis continentibus locis morari ius esset : & legibus etiam vetitum ne virgo innupta,castáque,capitali pœnæ subiiceretur. Cui tamen legi (obiter

dixerim) fucum fecerunt, qui Seiani filiam, puellam immaturam, tortori ſtuprandam permiſerunt, vt citra legis præiudicium interficeretur. Ita enim Dion in Tyberio, τῆς κόρης προδιαφθαρείσης ὑπὸ τοῦ δημίου. Perperā enim legitur in vulgatis δήμου: quòd non aſſequutus Græcus interpres, quaſi à populo vitiata eſſet (quod ridiculum, planéque fœdum dictu) impegit in erratum turpe, à quo ſe facilè vindicaſſet, ſi eandem apud Suetonium hiſtoriam euoluiſſet: verùm hæc παρέργως.

Nefas olim virginem dānare capitis.

OMNIBVS *numeris pudoris.* Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν) Euripidis hęc verba de Polyxena, ni fallor: quę & apud Ouid. ſollicitta fuit dum morti proxima caderet, aliquid non honeſtè detegeretur, quod imprimis natura eſſe tectum voluit. Sic enim & ille:

Quibus curæ fuit in morte honneſte cadere.

Tunc quoque cura fuit partes velare pudendas,
Dum caderet, caſtique decus ſeruare pudoris.

Cura verecundię.

Idem 2. Faſt. de Lucretia: vt Plut. Micia Ariſtodemi lib. de claris mulieribus. Iuſtinus de Olympiade Alexandri matre, lib. 14. Sed & Cæſar in Senatu dum confoditur, toga caput obuoluit, ſimul ſiniſtra manu ad ima crura deduxit, quò honeſtiùs caderet, etiam inferiore corporis parte velata, Suet. in Cęſare 82. cap.

CELER *eques Romanus, cui Cornelia obiiciebatur cùm in comitio virgis cęderetur, &c.*) Id fuiſſe iudiciū extraordinariū ex eo liquet, quòd ſeruos tantùm virgis flagriſque cædi

Flagriones serui dicti, cur. consuetum esset: vnde & flagriones & lorarij dicti, sicuti & flagritribę Comicis: ac liberos homines fustibus: Apud Terent. sic alloquitur quendam lenonem adolescens:

Pœna seruilis. *Vsque ad necem operiere loris.*

Leno respondet: *lorus liber.*

Quasi diceret, nefas esse liberum hominem loris seu virgis cædi. At Cic. 3. Antonia Fustuarium meruerunt legiones, &c. Hunc veterem morem tyranni sequuti non sunt, vt pœnarum nouitate suam cupidinem explerent. Refert enim Sueton Domitianum stupratores virginum in comitio ad cædem iussisse verberari, excepto viro Prætorio: cui dubia etiam tunc causa. Pœnam legis Paulus, D. de incend. & rui. memorat.

LOQVVTVS *est pro absente Herennius Senecio tale quiddam,* κεῖται Πάτροκλος) Hom. Iliad. ς. id est, *Iacet Patroclus.*

VT *gaudio proderetur*) Al. prodiret.

Fama narrat summá rerũ nõ ordinem. SVMMAM *rerum nunciat fama, non ordinẽ*) Vt tumultuarium ferè quicquid recens fama enunciat, ordinem non potest assequi, quia ferè iudicio caret, & quasi ima summis, leuia grauibus miscet.

AD EPISTOLAM 12.

SALARIVM Scribæ ante tempus Marcellinus Quæstor receperat, quod cùm apud se residere nollet, Cæsarem consuluit & postea Senatum, quid de salario agendum esset: id factum laudat Plinius.

QVI *fortè obtigerat*) Vet. forte.

ITAQVE *reuersus*) Al. rursus.

CAECILIVS *Strabo*) In vet. Cæcilius.

OMNES *qui gloria famáque ducuntur, mirè in modum assensio, & laus à minoribus etiam profecta delectat*] Exẽplũ Demosthenis, qui sibi valdè placuit quod ab anu obuia laudatus esset, cũ hoc elogio: οὗτος ὁ Δημοσθένης: quod Plin. etiam lib. 9. epist. 23. retulit, & nos ex Cicer. adnotabimus.

Laudis affectator Demosthenes.

ITA *reueretur*] Vet. veretur.

VT *iudicio tuo plurimùm tribuat*) Al. multum.

ETENIM *nescio quo pacto vel magis homines iuuat gloria lata quàm magna*) Quotquot enim sunt animo generoso, suas laudes percupiũt ad quamplurimos peruagari, nec eas paucorum hominum quasi cancellis contineri.

Gloria lata magis quàm magna iuuat

AD EPISTOLAM 13.

QVIA nullus esset Comi litterarũ professor, ideóque sui municipes Mediolanum peterent ad ingenij cultum capiendum, parentes hortatus est vt doctorem conquirerent, cui tertiam pacti honorarij partem se daturum pollicitus. Ea de re ad Tacitum Cornelium hæc epistola.

VEREOR *ne si hanc intentionẽ iam in finem intermisero, ægrè resumam*) Pro intermisero, al. hab. laxauero. Locum hũc cũ superiore illo cõfero, qui est ep. 9. proximè superiore: cui & adiũxi. Cic. illud, è. 1. de Leg. Nõ tã facilè interrupta cõtexo, quàm absoluo instituta.

Faciliùs absoluere instituta, quàm interrupta persequi.

INTERMISERO] Al. hab. relaxauero.

HAC *præcursoria epistola*) Προδρόμῳ. In aliis est præceptoria, quod verbum puto à quodam nimium diligente substitutum detracto verbo Græco, quod ei minus ad stomachum faceret.

PRIVS *accipe causas rogandi, deinde ipsum quod peto*) Honesta est causa rogandi, qua agitur de educatione liberali, qua cõsultatione nulla alia maior aut grauior haberi debet vt Socrates in Theage Platonis admonet. Sic & alio loco Secundus 2. epist. 13. nempe, eum rogare efficacissimè qui rogandi causas reddat.

Educatio liberorũ.

VBI *aut iucũdius morarentur quàm in patria, aut pudicius continerentur quàm sub oculis parentum aut minore sumptu quàm domi?*) Al pro pudiciùs legunt, pudicitiùs. Argumẽtum hoc illustrauit eruditè Fab. Quint. Orat. Instit. lib. 1. cap. 2.

Vbi educãdi liberi.

OMNIA *autem peregrè emuntur*) Hæc absunt à cod. Fauierij.

CONFERRE *vobis placebit*) Al. nobis.

TOTVM *pollicerer, nisi timerem ne hoc munus meum quandoque etiam ambitu corrũperetur*) Res enim vel optimis institutæ legibus facillimè deprauantur, nisi ambitionis aditus quibusdam bonis conditionibus præcludantur.

Mediocris liberalitas.

NAM *qui fortasse de alieno negligentes, de suo diligentes erunt*) Cautio hæc cordati & sapientis viri, qui occurrit hominum oscitantiæ, vt eorumdem præclaro commento excitet industriam.

EDOCEANTVR *hîc*) Educentur, in vet. manuscr.

VT *ex copia studiorum quæ à te ex admiratione*

ingenij tui conuenit) Laudatio Taciti, qui suo æuo inter præcipuos oratores fuit, cui Annales ab excessu Augusti ad Neronis mortem & historię ab excessu Neronis ad Neruæ imperium satis supérque ostendunt, qualis ille quantúsque fuerit.

SI *quis fuerit repertus qui ingenio suo fidat*) Sic Caius l. 2. de orig. iu. Labeo ingenij qualitate & fiducia doctrinæ plurima innouare instituit. Paulò post; ante tempora Augusti publicè respondendi ius non à principibus dabatur, sed qui fiduciam suorũ studiorum habebant, consulentibus respondebant. Fiducia ingenij.

AD EPISTOLAM 14.

VULT excusari Paterno lasciuam suorum carminum: ei liberum facit imponendi nomen quodcunque videbitur: denique si quæ minùs probabuntur, admoneat.

OBLECTAMUS *otium*) Al. leg. oblectamur otio, sanè meliùs, quãquam receptam lectionem eruditi homines nõ improbent.

HIS *iocamur, ludimus, &c*) Materia endecasyllabon; quem librum Plinianum vt alios multos, vel inertia vetustatis, aut certè iniuria temporum amisimus. Plinii endecasyllabi.

MODO *elatius*) Al. altius.

DESCRIBIMUS *aliquid modò altius, modò pressius*) Multa dicendi genera quos χαρακτῆρας vocant. Rhetores obseruarunt; ex quibus hi ex materia imprimis celebrãtur, Dicendi characteres.

ἐλεγκτικοὶ, reprehenſorij, ſeu argumentatiui, vt ita loquar ad arguendos qui contra diſputant: Alij δογματικοὶ, ad docendum compoſiti, vulgò diſciplinales, quibus morales ſententias, & alia quędam ad apertè & ſimpliciter docendum complectebantur. Sunt & ἐνθυμηματικοὶ, enthymematis conſtantes ad veriſimilitudinē cōparati. Itéque ἐριστικοὶ, contentioſi, in quibus perpetuò diſceptatur, éſtque magna litium & contentionum turba. Verùm hîc intelligi puto dīcēdi genus duplex à fòrma potiùs, quàm variè. Plinius inducit pro animi ſententia, vt qui nunc ſtilo tenui, nunc altiore: aut nunc copioſè & ſublimiter, nunc etiam preſſè & tenuiter ſcribat.

ALIA *alius, quædam fortaſſe omnibus placeant*) *Vt —— trahit ſua quemque voluptas.*

Nec omnes poſſunt idem durare probantes.

quod Horatius ait.

EX *quibus ſi nónnulla tibi paulò petulantiora videbuntur, &c.*) Deprecatur verſuū ſuorum ſalacitatem, vel certè iocos nō ſatis dignos homine togato: quod ipſum tamen apologia purgaturus eſt, epiſt. 3. lib. 5. ſeq.

NE *quidem verbis nudis abſtinuiſſe*) Fortè legerem, verbis nuptis, nam & reperio verba nupta, pro ſalacibus & inuerecundis, vt apud Comicum quendam:

Virgo ego ſum, verba nupta non loquor.

Verba nuda, vel nupta. & veteres ſæpe nuptialibus verbis ad omne genus libidinis abutebātur. Plaut. Hæc quidem Eraſto quotidie viro nubit: nupſit hodie, nubet mox noctu: nunquam ego hanc

viduam cubare ſciui: nam ſi hæc non nubat, lugubrem fame familia pereat. Martial. de quodam;

Nolito fronti credere, nupſit heri.

Et Demoſthenes Æſchinis matrem fuiſſe meretricem innuẽs, dicit eam ſolitam χρῆσθαι τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις. Videtur autem alluſum ad id vetus, Dicta turpia factis turpibus affinia. Ariſtot. 7. magnorum Moral. εὐχερῶς λέγειν ὁπουῦ τὴν αἰσχρῶν γίγνεται, καὶ τὸ ποιεῖν σωνέγγυς, id eſt, Ex licẽtia turpiter loquendi, ſequuntur & facta turpia. Cicer. pro M. Cælio, monet Atracinum adoleſcẽtem, vt qualis ſit, meminerit: vt quantum à rerum abſit turpitudine, tantum ipſe ſeiungat ſeſe à verborum obſcœnitate. Plutarch. de Poſthumia, quę quòd rideret ſolutiùs, & cum viris liberiùs confabularetur, accuſata eſt impudicitiæ: ſed cùm innocens deprehenderetur, à Spurio Minutio Pontifice admonita eſt, μὴ χρῆσθαι λόγοις ἀσεμνοτέροις τοῦ βίου, ne deinceps vteretur verbis ſolutioribus quàm vita eſſet.

Dicta turpia factis turpibus affinia.

QVAM Catullus expreſſit,

Nam caſtum eſſe decet pium Poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt:
Qui tunc denique habent ſalem & leporem,
Si ſunt molliculi & parum pudici.)

Poetæ verſus laſciui, vita caſta.

Horum verborum ſententia explicatior fit ex iis quæ à nobis collata ſunt ad 3. epiſtol. lib. 5.

NEC *deterius in alio putare*) Vet. nec deterius aliud putare.

NAM *vel excuſare, vel commendare ineptias*

ineptissimum est) Acutè id, & ad oratorũ morem, qui id maximè commendari volunt, quod vehementer extenuant: vt & Poëtæ qui suas nugas suáque ludicra eleuant, quæ tamen pro seriis habere soleant: quod vt opinor faciunt, vt priores occupent, quod aliis dictum nollent:

——— *sic ars deluditur arte.*

METRI *lege constringitur*) Alij cod. conscribitur.

SIVE *eidyllia*] Vet. edullia.

QVAERE *quid agas*) Quare quid agas. vt veter.

AD EPISTOLAM 15.

OMINATVR proximè sequentis anni consulatum Fũdano, ideò petit Asiniũ Bassum Quæstorem sibi deligat, adolescẽtem suo iudicio, & numeris omnibus commendatissimum.

IDEM *sentias*) Vet. idem facias.

Similitudo morũ. CVM *sit ad cõnectendas amicitias vel tenacissimum vinculũ, morum similitudo*) Id & Tullius passim, sed imprimis in Lælio, sicuti Plato in Lyside.

SINGVLOS *filios orbitatis*) Al. orbatis.

Candor Plinij. QVEM *diliges vt ego, si vt ego propius inspexeris*) Eum esse Plinianum candorem aliàs obseruaui, vt amicos impensissimè cõmendet, plurisque interdum faciat, quàm reuera sint.

NESCIO *an dicã, quod me pater & sentire &*

dicere cupit, adolescentis verecundia vetat, ipso patre melior] Simile id elogiū Diomedis apud Horat. 1. Carm. 15.

--ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre.

Ex Homericæ Iliad. 4. vbi Stelenus se & Diomedē patribus esse meliores. At de ista quidem certè magnifica laudatione qua dicitur, filius patre melior, alij viderint Quāquam enim verum videri elogium possit, (quotus enim quisque est qui nesciat multos esse patribus meliores?) ambientis tamē & patrocināntis hominis vox videri potest, quàm sinceri prorsus & verecundi.

In *filij locum assumas*] Respexit ad morem veterem. Nam qui Quæstores erant, Consules, aut alios magistratus sub quibus erāt, loco parentum habebant, quod & ex libris Iuris liquet.

Ignosce *quia votis suis amor plerumque præcurrit, deinde quod in ea ciuitate, in qua omnia quasi ab occupantibus aguntur, quæ legitimū tempus exspectāt, non matura, sed sera sunt*] Effingit arguto penicillo sui sęculi mores, haud absimiles nostris, quibus omnia corripiuntur ab occupantibus: quo enim sunt amore parētes in liberos, statim vt sapere & ferri incipiunt, eos Reipubl. muniis destināt, iisq; militias quocunque suffragio mercantur: nempe quia votis suis amor præcurrit, hoc est, rei honorificæ occupandæ, obtinendæque summam esse cupiditatem debere censent, vt non priùs quiescant, quàm rem expetitam arripuerint: scilicet in ea ciuitate in qua omnia quasi ab occupantibus

Amor votis suis pręcurrit.

Parētum affectus in liberos

Præcoces magistratus.

aguntur, legitimum tempus non exſpectēt. Honeſta quidem oratio, ſed vereor ne nimia ambitio, eáque intempeſtiua nobis aliquid apportet mali, quòd ita citò, vt eſt in Næuij Poetæ ludo, prouehantur ad res noui, ſtulti, adoleſcentuli; de quibus iamdudum querimur, & quòd auro venalia iura. verùm quas aſſequi cupimus, præſumptio rerum nos valdè incendit, adeo vt ſi id prorogetur, ætáſque firmior expectetur, verētur ne primus impetus, qui erat ſtatim melioribus occupandus, aut langueſcat, aut flectatur in laſciuam quandam inertiam. Is parentum ſenſus eſt, ea vox, id inſtitutum, quod quanti fieri debeat, aliis permitto diſcutiendum.

Prouecti ad Rép. noui, ſtulti, adoleſcentuli.

Omni *opera*) Vet. omni opere.

AD EPISTOLAM 16.

Hortatoria eſt ad ſtudium ex adiūcto honore, quod ipſum ſuo exemplo commonſtrauit, qui in cauſa quadam peroranda ſe auditum ait fuiſſe magna auditorum frequentia & aſſenſu.

Exemplo malè viuitur.

Stvdeamvs *ergo, nec deſidiæ noſtræ prætendamus alienam*) Malè exemplo viuitur, inquit Seneca, dum non quid deceat, ſed quod ſit, attenditur potius; nec ratio ſuadeat, ſed opinio, maláque conſuetudo ſponte ducat euntes. Quid enim attinet ſentire & ſapere cum ſponſis Penelopis, nebulonibus, Alcinoíſq;, qui ab omni liberali ſtudio alieniſſimi, putát ſine liberalibus artibus cōmodè

In quoſdam remiſſos & nauos.

viui posse: iners omnino genus, & fruges consumere natum, ex eóque insanum. Et,

---*Antycirae dignum sorbere meracas.*

AD EPISTOLAM 17.

POLLICETVR suam operam in defensione Corelliæ aduersus Cæcilium Caium, quamquam deterreri posset, tum quia esset ei si non familiaris, certè amicus: tum quia ille Consul designatus existeret.

CONTRA *C. Cæcilium*) Al. Cælium.

ROGARI *non debeo, vt faciam quod mihi non facere turpissimum est*) Id ex amici officio, vt facere etiam non rogatus debeat, quod ad res amici cōducere sciat: id genus obsequij vtpote necessarium, si vel incuria, vel ignauia prætermittitur, nulla sanè victima expiari potest. Amici officium.

CVIVS *nobis hoc maior agenda reuerentia, quod iam illo functi sumus. Naturale est enim cuique, vt ea quæ quis adeptus, ipse quàm amplissima velit æstimari*) Suum cuique pulcrum, vt in vet. prouerb. vt quisque dignitates eas quas sit consecutus, non minimas putet: nō quòd reuera tanti sint, sed quia naturale vitium, φιλαυτία, hominem ita lactet, vt nihil de se parum putet. Suum cuique pulcrum.

ADMIRATVS *sum, postquàm penitus inspexi*) Iudicium id de solidè docto, cuius eo maior eruditio intelligitur, quo inspicitur magis. Sic de Isæo suprà 3. epist. lib. 2. Magna Isæum fama præcesserat, maior inuẽtus est. Is amor & admiratio ea ex iudicio ma- Amor ex iudicio.

nauit Sic alio loco dixit, se cùm sæpius docti hominis librum legat, tamen tanquam nouum legere. Cic. de Archia: Sic aduentus eius celebrabatur, vt famam ingenij expectatio hominis, expectationem ipse aduentus admiratióque superaret.

Silentiū Oratoris. PAVLISPER *se intra silentium tenuit, quod illi plurimum auctoritatis addebat*) Ita Vlyssem pro armis Achillis disceptaturum effingit. Ouidius 13. Transformat.

——— *donec Laertius heros:*
Adstitit, atque oculos paulum tellure moratus,
Sustulit ad proceres.

OBVERSATVR *oculis ille vir*) Præclarū hoc elogium certè, & exquisitum Corellij; qualia multa similia leguntur in Ciceronis orationibus.

NECESSE *est, inquit, parum laudem Secundū, quia nihil, nisi ex consilio meo, facit*] Seipsum laudare, stulti & arrogātis est, seu è directo fiat, seu obliquè. ab ea sententia non discrepat Cic. 2. Academ quæst. Cuius mihi consilium, inquit, (intelligit autem Lucium Lucullum) & auctoritas quæ tum in maximis rebus profuisset, dicerem, nisi de me ipso dicendum esset. itaque priuabo illum potiùs debito testimonio, quàm id cum laude mea communicem.

Seipsum laudare, stulti.

AD EPISTOLAM 18.

COMMENDAT Antonini epigrammata Græcè scripta, quæ cùm Latinis numeris exprimere conaretur Plin. multùm

ab illis se abesse significat.

IN *deterius tamen accidit hoc: primùm imbecillitate ingenij*) In vet. sic: in deterius quidem: accidit primùm imbecillitate ingenij.

DEINDE *inopia, aut potiùs egestate patrij sermonis*] Ex hoc loco intelligimus, permultùm differre inopiam & egestatem. nã inops seu pauper is dicitur, non qui omnino iis destituitur, quibus vitæ consulere suísq; rebus possit. Est enim inops, cui opes non ita magnæ sunt: vt pauper, à pauco vel paruo ære, inquit Nonius. At egens, velut exgens, cui ne quidem gens relicta sit, ait Festus. Is ergo pauper, qui moderatè quidem viuit, operáque & industria, rem ad victum necessariam cõparare potest. Egenus autem, cui nihil omnino superstat, vt nihil planè habeat. Aristophan. Pluto: πτωχοῦ μὲν βίος ζεῖν ἐστὶ μηδὲν ἔχοντα, τοῦ δὲ πένητος ζεῖν φειδόμενον καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα, περιγίνεσθαι δὲ αὐτὸ μηδὲν μέντοι, μηδὲ ἐπιλείπειν. Quibus verbis constituit idem discrimen inter πτωχὸν καὶ πένητα: nam πτωχὸς egens est: πένης verò pauper. Cic. 2. in Anton. modò egens, repentè diues. Horat. Inopia, egestas differũt.

——————*semper auarus eget.*

Significat enim extrema quasi inopia laborare miserum hominem, qui rebus partis frui nesciat. Idem Tull. ad Attic. Quid te horũ fugit, legibus, iudiciis, senatu sublato, libidines, audacias, sumptus, egestates, tot egẽtissimorũ hominum nec priuatas posse res, nec Rempub. sustinere? Sic Virgil. dixit,

-- *duris vrgentem in rebus egestatem.* Martial.

——— *ô quantum cogit egestas.*

In Paradox. Tull. Quomodo ego diuitem appellabo, cùm egere se sentiat, &c. Itaque paupertatem, vel potius egestatem ac mendicitatem tuam numquam obscurè tulisti. Seneca epist. 17. Non est quòd paupertas nos à philosophia reuocet, si ne egestas quidem. Idem epist. 59. Quāta nobis verborum paupertas, immò egestas sit, nunquam magis quàm hodie intellexi. Ex quibus facilè intelligitur multò grauiorem egestatem esse, quàm paupertas sit. Quo enim loci dicit Hor.

Et laris & fundi pauperas impulit audax
Vt versus facerem:

Significat se non quidem egere, sed pro facultatum mediocritate nō posse in ocio viuere vt vellet. Et quidem pauper non est,

——— *cui rerum suppetit vsus:*

Non puto pauperem, ait Seneca, cui quantulumcunque superest, sat est. & alia sexcēta, quæ alio loco me puto vberiùs docuisse.

AD EPISTOLAM 19.

Sibi & Hispullæ gratulatur, quòd Calphurnia vxor, digna suis maioribus, laudibus mariti lætaretur, nec tam corporis illius amore capta, quàm ipsius laudem adiniraretur.

Pudicæ matronæ habitus. Eadem, *si quando recitò, in proximo discreta velo sedet*) Gestus hic honestæ, castæque matronæ, quæ dum continet[illegible] priuatis parietibus, legendo animum vel oblectat, vel pascit:

ſcit: ſedétque diſcreta velo. Et quid magis fœminas quàm verecundia decet? quæ vna virtus ſi abſit, quę tuta poteſt eſſę pudicitiæ cuſtodia?

NON *artifice aliquo docente, ſed amore, qui magiſter eſt optimus*] Muſicam docet amor, vt quidam veterum dixit: & Plato in Eroticis. Muſicam docet amor.

NON *enim ætatem meam, aut corpus, quæ paulatim occidunt, ac ſeneſcunt, ſed gloriā diligit*) Meritò Horat. 2. epiſt. ad Auguſtum, vellicat eos, qui virtutem annis æſtimant. Aetas nō æſtimanda annis.

Mirantúrque nihil niſi quod Libitina ſacrauit.

Sed hæc fortaſſe procul à Secundi mente: huc etiam non malè quadrant illa Martialis, lib. 4.

Candida perpetuo reſide concordia lecto,
Támque pari ſemper ſit Venus æqua iugo.
Diligat ipſa ſemen quondam, ſed & illa marito
Tunc quoque cùm fuerit, non videatur anus.

Non minùs placent Auſoniana hęc ad vxorem,

Vxor, viuamus quod viximus, & teneamus
Nomina quæ primo ſumpſimus in thalamo,
Nec ferat vlla dies vt commutemur in æuo,
Quin tibi ſim iuuenis, tuſque puella mihi.
Nos ignoremus quid ſit matura ſenectus:
Scire æui meritum, non numerare decet.

AD EPISTOLAM 20.

QVID de libris Nonij Maximi ſentiat, exponit.

NAM *dolori ſublimitatem & magnificentiam, ingenio vim & amaritudinem dolor addidit*) Sic in Vim doloraddit.

membr. nam doloris sublimitatem & ingenium, ingenio vim & amarit. quæ lectio rectior aliquantò. Cæterùm, huic sententiæ affinis illa est Ouidiana 1. Eleg. 7.

Quam libet infirmas adiuuat ira manus.

Sic de Hecuba 13. Metamorph.

——— *facit ira potentem.*

Idem Ouid. eodem libr. in disceptatione Vlyssis & Aiacis, pro Achillis armis,

Talibus atque aliis, in quæ dolor ipse disertum Fecerat.

Notum Maronis illud,

——— *furor arma ministrat.*

Idem,

——— *quod cuique repertum est Rimanti telum ira facit.*

Euripid. αὐτὸς δ' ἐπ' ἐχθρὸς θυμὸς ὁπλίσει χέρα.

AD EPISTOLAM 7.

DEFLET excessum è vita Heluidiarum sororum ex partu mortuarum, dolétque genus mortis, & queritur Heluidij, laudatissimi viri, sobolem in dies imminui.

Domus fundata. DOMVM *multis adminiculis fundatam*) A fundo fundatum dicimus, quasi ex reditibus prædiorum locupletem. Horat. epi. 15. lib. 1.

Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

Amoris mollicies. NOSTI *in amore mollitiem*) Facilè amor cedit, ac remittit sese, nec ita peruicacem se præbet, vt qui facillimè ad quiduis flectatur, occasione rei adamatæ.

PLVRIMVM *timeam, de quo plurimùm spe-*

ro) Qui cupit, metuit: & eo maior metus, quo amoris obiectum vehementius. fortè hac Seneca epist. 23.

AD EPISTOLAM 22.

AGITVR de certamine gymnico apud Viennenses instituto, tollendo, quod viri aliquot graues ita sentiebant.

NEGAVIT) Quidam, negabatur, leg.

DE *Catulo Messalino, qui luminibus orbatus, ingenio sæuo mala cæcitatis addiderat*] Grauis sanè vox & aculeata, vt ita dixerim, ad maiorem hominis reprehensionem, qui cæcitati, hoc est corporis certè molesto vitio, sæuitiam ingenij adiunxerat. Qualiter à Cic. notatur Cærea. Impro-bus & cæcus.

ROMAE *tolli posse*] Cod. vet. Romæ tolli posset.

SED *hoc Maurico*) Alij, sed hoc fortiter Maurico.

NON *miserebatur*) Vet. leg. miserabatur.

SAEPIVS *à Domitiano*) Vet. quo sæpius à Dom.

SAEPIVS *à Domitiano, non secus ac tela, quæ & ipsa cæca & improuisa ferũtur, in optimum quẽque contorquebatur*) Delationum, exsiliorum, cædium exempla longè multa sub Domitiano, vt ex Tranquillo & Dione cognoscere est. Sub Domitiano multi periclitati viri boni.

CONTORQVEBATVR] Vet. contorquebat.

VIENNENSIVM *vitia intra ipsos residunt, nostra latè vagantur*) Principum vitiis infici- Vitia principum in

fieiunt totas ciuitates.

tur tota ciuitas, vt præclarè Cic. de leg 2. sic principis vrbis, hoc est Romæ, quam orbis metropolim Modestin. appellauit, vitiosis moribus imperium omne corrumpitur: multóque sunt prouinciarum aut municipiorum vitia tolerabiliora, quę latere & includi in ipsis possint, quàm Romæ quæ cõmunis patria est.

AD EPISTOLAM 23.

COMMENDAT honestum Pomponij Bassi secessum, sibíque optat otium simile, vt sine dedecore reliquum possit æui traducere.

Moriendi opportunitas.

NAM *& prima vitæ tempora, & media patriæ, extrema nobis impertire debemus*) Est quædam moriendi opportunitas, vt & viuendi consentanea rationi, quam philosophi appellarunt εὔλογον ἐξαγωγήν, de qua Alexand. Aphrodisęus disputatione in Stoicos: Lucret. 3. lib.

Cur non vt plenus vitæ conuiua recedis,
Æquo animóque capis securam stulte quietem.

Et Martial. ad Titullum lib. 8,

Titulle, moneo, viue semper,
Hoc serum est.

Sexagenarios de ponte deiicere.

VT *ipsæ leges monent, quæ maiorẽ annis sexaginta, ocio reddunt*) Varro de vita Pop. Rom. lib. 2. teste Nonio, sexagenarij cùm in quintum gradum peruenissent, erant à publicis negociis liberi, atque expediti & ociosi. ex quo plerique putant ortum prouerb. Sexagenarios de ponte deiici oportere, id est

ſuffragia non ferre quæ per pontem ferebant. Ouid. 5. Faſt.

Pars putat vt ferrent iuuenes ſuffragia ſoli,
Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.

Cato apud Cic. vt legibus & inſtitutis vacat ætas noſtra, muneribus iis, quæ non poſſunt ſine viribus ſuſtineri. & Calliſtrat. reſpōdit l. ſemper D. de Iure immunit. ſemper in ciuitate Rom. ſenectutem venerabilem fuiſſe.

AD EPISTOLAM 24.

CONQVERITVR tum de vitæ fugacitate, tum de viciſſitudinibus hominum. arripit occaſionē ex eo quod cùm proximè dixiſſet apud centumuiros, recordabatur ſe nullos habere ſocios, quos primò habuiſſet adoleſcens.

VALENTI) Vet. Fabio valente.

IN *quadruplici iudicio*) Iudicio, abeſt à manuſcrip.

STVDIIS *proceſſimus*) Abeſt à veterib.

BONORVM *amicitiæ, bonorum obfuerunt*) Vet. ſic: bonorum amicitiæ, & obfuerunt.

NIHIL *deſperare, nulli rei fidere*) Sententia communis, qua intelligimus varias rerum inclinationes eſſe, vt neque deſperandum continuò, ſi quid aliter ceciderit, quàm ſperabatur; nec etiam ita fidendum, vt certò aliquid euenturum. Huc ferè ſpectant illa Theocriti, Nihil de ſperādū, ſed neque ſuperbiē- dum.

Θάρσειν χρὴ, φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον,

Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες,
Χὼ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα
δ' ὕει. Hoc est,
Fidere Batte decet, meliùs eras, forsan habebis,
Sperandum est viuis, non est spes vlla sepultis,
Nunc pluit, aut claro nunc Iupiter æthere fulget.
Huc spectat Valerij Maximi præfatio de mutatione morum & fortunæ, lib 6. cap. 9. Sed quid Horat. lib. Carm. 2. 10. & 11.
Non si malè nunc & vsque,
Non semper imbres.

AD EPISTOLAM. 25.

De reuocata lege Tabellaria, cuius antè meminerat, impudentiam suffragatoris arguit, quódque ridicula quædam in tabulis reperta essent.

Magno *clamore concrepatus*) Vet. habent comprecatus.

Decorũ loci, & personarum.

Qvid *hunc putamus domi facere, qui in tanta re, tam serio tempore, tam scurriliter ludat?*] Senatus, vt & prætorium, sacer locus est, in quo siquis inuerecundè se gerat, non indignus modò est, qui hominum cœtibus honestis commisceatur, sed & extra ordinem puniendus. Quàm enim bellum mimum, & ludionem esse priuatim oportet, qui publicè, in ipso etiam senatu, multis audientibus ludicrum & intempestiuè facetũ sese ostentet? Scio equidem & à viris grauibus vsurpari nonnunquam sales, sed sobriè, & ita consultò, vt seruata dignitate emittantur: at passim, & nullo rubore dicteria eiaculari, ex

eóque ridendi captare ansam; scurræ est, non sani & circunspecti hominis.

ET *vrbanus & bellus est*] Duo hæc verba suam habent energiam. Vrbanum quidem pro parasito veteres acceperunt, vel qui doctis dictis risum aucupantur, qui & scurra seu parasitus. Itaque vrbani vox, ridiculum hominem sonat. Horat. 1. epist. Vrbanus.

Manius vt rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis, vrbanus cœpit haberi,
Scurra vagus.

Plautus Trinummo.

Nihil est profectò stultius nec stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius,
Quàm vrbani aßidui ciues, quos scurras vocāt.

Cic. in Bruto. tu elegans, tu solus vrbanus. Catulus ad Varum,

Suffenus iste, Vare, quem probè nosti,
Homo est venustus & dicax & vrbanus.

Id verbi nouum fuisse temporibus Ciceronis testatur ipse epistola ad App. Pulcrum, te, inquit, hominem vt amicè loquitur, vrbanum. At Plin. hîc accepit pro intemperanter dicaci vel impudente, qui in senatu & iam scurrilem se præstaret, & ore nimiū duro verba faceret. Scio tamen vulgò vrbanum accipi, pro eo qui in vrbe degat, vt Plinius sup. 2. epist. 17. quem secessum, tu nimis vrbanus es, nisi concupiscis. & hæc quidem de vrbano. At bellus homo est, qui aliis libenter obsequitur; & bellè dicere, qui quæ alij velint, loqui studet. Cic. Omnes tuas artes quibus tu magnus es, tibi concedit; fatetur se non bellè dicere, non ad voluntatem Bellus.

loqui posse. Martial.

Bellus homo, atque idẽ vis magnus, Cotta, videri:
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

Est enim pusilli & ignaui hominis & abiecti, ad aliorum, quasi se nutus accommodare. Bellos homines Arist. 3. de moribus εὐτραπέλους appellat; Catullus de Gallo,

Gallus homo bellus.

Et Martial. lib. 3.

Cotile, bellus homo est, dicũt hoc, Cotile, multi:
Audio; sed quid sit, dic mihi, bellus homo?
Bellus homo est, flexo qui digerit ordine crines,
Balsama qui semper, cinnama semper olet.

SE *contemnit*) Vet. sed contemnit

Vitia remediis fortiora.

QVAE *remedia cõquiras, vbique vitia remediis fortiora.*] Huc fortè Iuuenalis.

Omne in præcipiti vitium stetit?
Te quando vitiorum copia, quando
Maior auaritiæ patuit sinus.

Et nescio an Liuiana isthæc ad rem faciant, initio lib. 1. Ad hæc tempora peruentum quibus nec mala nostra, nec remedia pati possumus.

AD EPISTOLAM 26.

POLLICETVR se libros quos iturus in prouinciam Nepos petierat, emendaturum; quin & nouos quosdam adiecturum.

Librorũ farcina.

NEC *te hæc pars sarcinarum, tanquam supervacua offendat*] Horatius ad Vinnium,

Quod si fortè meæ leuis vrget sarcina chartæ:

de suis ad Augustum ferendis libris. Sed hîc modestè veretur Plin. ne sui libri tanti

sint, vt virum grauem in prouinciam euntem, onerare potiùs; quàm oblectationi esse possint.

AD EPISTOLAM 27.

LAVDAT Sentij Augurini versus, vt graues & eruditos, quorum specimen edit in epigrammate de se scripto.

POEMATA *appellat*) Vet. poematria.

NISI *fortè me fallit aut amor eius*) τυφλὸς ἔρως, vt iam alibi dictum, & amici iudicium de amico cæcutit. Amor cæcus.

LEMMA *sibi sumpsit*] Λῆμμα, vox multi significatus hîc argumentum, seu materiam significat, de qua agendum sit, Logici pro argumentatione accipiunt: vt Cic. de diuinat. 2. Demus tibi duas istas sumptiones quę λήμματα Dialectici appellant, Aristoteli sũt propositiones; hôc est πρότασις, & λημμάτιον, propositiuncula. eodem sensu Martialis sumpsit, vt hîc pro titulo seu argumento operis, lib. 14. Lemma.

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo,
Vt si malueris lemmata sola legas.

CANTO *carmina versibus minutis, &c.*) Epigramma est Augurini de Plinio Secundo, quo eum videtur & Catullo & Caluo, ipsisque Catonibus anteferre, quos constat iocosos versus edidisse, qui si veniant in comparationem cum Plinij endecasyllabis, futuri sunt inferiores. Augurini epigramma de Plinio maiore.

VNVS *Plinias est mihi priores*] Al.vet.prior is.

[ET *tēporibus nostris gratulare pro ingenio tali, quod ille moribus adornat*) Graue hoc & elegās eruditi, benéque morati hominis elogium. Quanta sit hæc laudatio colligitur à cōtrariis: nam si quis ad doctrinam mores improbos adiūxerit, eo nihil esse deterius potest.

Emendatus.

QVAM *sit emendatus adolescens*] Vox emēdatus, quam vim habeat, iam diximus ad epist.3.lib.3. Quibus & adiungo illa Senecæ de consolatione ad Marciam, cap.24. Cùm videres senilem in iuuene prudentiam victorem omnium voluptatum, animum emēdatum carentem vitio. Auson. Panegyrico, Emendatissimi viri est pœnitenda non facere: at tu nusquam pœnitēda fecisti, & semper veniam pœnitentibus obtulisti. Noster hic lib.9.epist.21.eodem sensu accipit.

Conuictus quid faciat.

Γιγνώσκων ὅτι τοιοῦτος ἐστὶν ἕκαστος οἷσπερ ἥδεται ξυνών) Quisque facilè sequitur eorum mores quibuscū viuit, eā nempe vim conuictus & consuetudo hominum habet, vt vitia vel corporis vel animi facilè transfundantur.

AD EPISTOLAM 28.

IVLIVM Seuerum rogat, vt curet imagines Cornelij Nepotis & Titij Cassij cōquirendas, quas Herēnius in sua bibliotheca collocaturus esset.

IN *bibliotheca sua ponere imagines*] Cod.manuscr.hab.suas.

TITII *Caßij*] Al. Titi Acij.

NAM *cùm est arduum similitudinem effingere ex vero, cum longe difficilima est imitationis imitatio*) Id quàm verum sit, ipsi artifices, pictores, statuarij viderint: ex quibus plerique putant non esse ita difficile imitari iam expressam effigiem, quàm ad viuum exprimere. Imitationis imitatio.

A *qua rogo*) Vet. quare rogo.

AD EPISTOLAM 29.

MONET Romanum veniat in curiam, Prætor enim Nepos mulctam Senatori cessanti indixerat, quamquam postea remissa fuerit.

IN *dextram aurem dormias*) Prouerb. pro eo quod diceres, Bono esto animo, Libera te omni metu, Securus esto, &c. Vsurpat Ter. in sene seipsum excruciante. Gell. ex Menandro. Dormire in dexteram aurem.

NON *omnes Pretores tam seueri: falleris, nam vel reducere, vel instituere eiusmodi exemplum, non nisi seueri institutum reductúmve exercere etiam leuißimi possunt*] Πρόληψις hæc accõmodari merito iure potest delicatulis quibusdam, disciplinam omnem, & necessariam morum emendationem auersantibus: vel sibi nihilnon pollicentibus, si in aliquos magistratus paulùm seueros incidant. Putant enim repressam sub hoc illóve licentiam postmodum laxatum iri, nec omnibus aliis qui successuri sunt Prætoribus, aliisve publicæ rei moderatoribus eandem mentem, &

idem iudicium fore.

Nam *institnere*) Vet. hab. instruere.

AD EPISTOLAM 30.

Fontis in agro suo admirabilem vim exponit, qui statis horis cresceret aut decresceret; causas elicere nititur, tandem omnia iudicio Surræ permittit.

Licinio) Vet. Suræ.

Statis *auctibus*) Statutis, alij leg.

In *latus occurrit*) Leg. incurrit.

An *quæ Occeani natura, fonti quoque*) Id problema de Oceani fluxu, refluxúque nostri Philosophi varia differunt, & an veritatem quam studiosè quærunt, digito vnquam attigerint, non est nostrum pronunciare. Tu vide Plin. nat. hist. lib. 2. cap. 97. Longum enim esset percensere quæ ea de re Aristot. Ptolomæus, Strabo, Lucanus, & alij prodiderunt.

Et *pigrior; cùm collegit*) Vet. sic: & pigrior, is cùm collegit.

Cum *repletum, moratur*] Al. vet. cùm repletur, moratur & strangulat,

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. V. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

POMPONIA Gratilla, filio exheredato, Secũdum, & alios scripserat heredes. Curianus exheredatus volebat cum Secundo pacisci: sed Curiani causa iniqua visa est: tandem quarta parte accepta; destitit à iudicio. Cuius facti autor Plinius, post à Curiano legatum capiens; rem apud Seuerum amicissimum narrat.

SEVERO) Al. Arrinio, al. Annio.

LEGATVM *mihi obuenit modicum, sed amplissimo gratius, cur amplissimo gratius?* Postrema hæc cum interrogatione, cur amplissimo gratius? absunt à manuscr. in quos incidi: quamquam id tolerabilius.

POMPONIA *Gratilla*) Pro Gratilla, Galla legitur in vet.

RESPONDI *non conuenire moribus meis, aliud palàm, aliud agere secretò*) Simile huic quod nescio quis apud Comicum,

Simplex sum, non varius:

Simplex animus. *Inimicitiam atque amicitiam in fronte promptam gero.*

NEC *erat alius qui defunctæ pudorem tueretur*) Cuius interfuit id ratum esse, quod suprema voluntate mandauerat. Sic suprà 4. epi. 10. Confido te accessurum sententiæ meæ, qui cùm religiosissimè soleas custodire defunctorum voluntates, quàm bonis heredibus intellexisse pro iure est, quo videtur respexisse ad illud Iuris nostri axioma, disponat testator, & erit lex. Aut. de nupt. §. disponat. Vide infr. epist. 7.

Testamenti fauor.

SI *mater, inquam, te ex parte quarta scripsisset heredem, non queri posses, &c.*) Sic & moribus receptum, vt iis liberis non concedatur, inofficiosi querela, quibus vel legitima relicta est, quæ tamen si iusta & integra non sit, quin agāt ad supplementū, minimè prohiberi possunt. Paul. recept. sentent. 4. cap. 5. l. omnimo. 30. C. de inof. testam. l. Papinian⁹. §. quarta. D. eo. Nouel. de triēt. & semis.

Querela inofficiosi quando cesset.

TVLI *fructum non conscientiæ modò, sed etiam famæ*) Et hîc conscientiam cum fama coniungit, quas aliis locis opposuit, vt lib. 1. 12. & 3. 20. vt & 14. proximè sequēti, & passim. Qui locus quia longè pulcer est, nō ita sensim abibit sine aliqua symbola. De cōscientiæ fructu nō minus eruditè Seneca, & passim, sed imprimis epist. 23. 25. & 43. quę quia sunt in omnium manibus, ad alia properemus licèt. Sed ad rem facit Symmachus, lib. 4. epist. 8. Nolo ex cuiusquā verbis, inquit, exspectes beneficij tui solutionem: noueris enim præ cæteris solius bonæ conscientiæ præmiū satisfacere posse maxima præstan-

Conscientia, fama.

tibus. Quin pulcherrimũ famæ cõmodum, & sanè conscientia læta est quę prouehitur meritis, vt rectè Cassiod. lib. 5. epist. 12. & 8. epist. 18. Non minus sapiēter Tul. ad Attic. in 12. Mihi conscientia pluris est, quàm hominum sermo. Idem 13. De fama, nihil sanè laboro, etsi scripseram ad te nunc stultè, nihil enim meliùs curãdum est, atque hoc in omni vita sua quemquam à rectè conscientia transuersum vnguem non oportere discedere. Quin & Seneca 1. de clementia, cap. 15. Quemlibet nostrum debuisse aduersus malignas opiniones satis habere fiduciæ in bona conscientia. Id argumentum tractatur nõ minus doctè quàm piè à D. Augustino, de viduitatis bono, quo loci ait nõ esse audiendos eos qui dissolutè ac negligenter se gerant, nec quid de se quisque sentiat, omnino curent, vt qui satis esse putent suam probari Deo conscientiam. Nobis enim vita nostra necessaria est: aliis etiam fama nostra. Quod & in Põtificios canones esse relatum video. Idem ipse de communi vita clericorum; Duæ res sunt, conscientia & fama: consciẽtia tibi necessaria est; fama proximo Qui confidens conscientiæ famã negligit, crudelis est. Quod cõscientiæ, famęque quasi Emblema lepidè, & sæpius à Plinio, nec sanè temerè vsurpatum mihi vltrò refert symbolũ amicissimi hominis, & cũ quo mihi vetus necessitudo intercessit, Stephani Bernardi, patroni causarum Diuionensis, non minùs inculpati, quàm egregiè diserti: apud quem cùm fortè diuersarer superioribus anteactis annis, mihi tabellam

Stephanus, Bernardus Diuionẽsis.

conſpiciendam exhibuit, in qua ipſe ad viuum expreſſus eſſet: ſubtus adiecto etiam lemmate FAMA NON FORMA; quod cùm primùm intuerer, non obſcurè artificis manum laudaui: ſed tacitus vnà mecum ſymboli noëma ſenſúmque initium agnoui, dignum viro integerrimo, quíque laudabili propoſito, conſcientiam optimam, illæſámque famam in togata militia eſt aſſecutus. Symboli characterem non ab illo Gorgiæ videbam petitum, quo diceret, Mulieris non formam, ſed famam eſſe vulgatam oportere: quamquam ad id alluſum eſſe cõſtet, verùm ex eo potius, vt opinor, auctoris ad Herẽniũ, quo perſpicuè dicit, Perditiſſimam rationem eſſe diligere formam, famã verò negligere. Sed non plura, quamquam in ea ſanè iucũda recordatione amici hominis nihil eſt quod verear ne nimius ſim, ex cuius fide ac candore nihil me vnquã parum fuiſſe adeptũ liberrimè fateor.

QVIA *de omnibus quæ me delectant, vel angunt, non aliter tecum quàm mecum loqui ſoleo*) Id ex amicitiæ officio, cùm inter amicos communia omnia; quod itidem ſæpe indicat Plinius.

AD EPISTOLAM 2.

PRo turdis acceptis à Flacco gratias agit.

AC *ne illam quidem ſolertiam Diomedis in permutando munere imitantis*) Notum adagium de Glauci & Diomedis permutatione

ex Homericæ Iliad. ζ.

AD EPISTOLAM 3.

AIT sua epigrammata; quæ multis audientibus recitasset, quibusdam approbata, aliis verò reprehensa, quòd vir ea dignitate scripta lasciua ederet: id tamen exẽplo maiorum tueri conatur, dum interdum animi relaxationem quærit. Huc confer epistol. 14. lib. proximè superioris.

SATYRICOS *intelligo*) Socraticos leg. vt vet. cod.

VTQVE *omnia innoxiæ remissionis genera breuiter amplectar, homo sum*) Sic Chremes Terentianus, *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.*

Et Iuuenalis,

Clames licèt, & mare cœlo
Confundas, homo sum.

Homo sum.

VT *qui nesciunt, talia doctissimos, grauissimos, sanctissimos scriptitasse*) Exẽplis se tuetur hominum longè grauium, qui cùm vita verecunda essent, festiuos tamen & iocosos, & interdum prurientes lusus ediderunt, quales hi maximè qui longa serie hîc enumerantur. Et quidem res aliquæ sunt eius generis, vt si quædam tollas, quæ omnibus æquè non placent, vim penè omnem & gratiam sustuleris, vt opportunè videatur dixisse Apuleius Apolog. pro seipso 1. Sed sum ego ineptus, qui hæc etiã in iudicio: an vos potius calumniosi, qui hæc etiam accusatis, quasi vllum specimen morum sit ver-

Scriptores lasciuientes quibus vita alioqui verecunda.

ſibus ludere? Catullum ita reſpondentem maleuolis non legiſtis,

Nam caſtum eſſe decet pium Poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.

Laſciua ſcripta, vita pudica.

Diuus Hadrianus cùm Voconij amici ſui, Poëtæ tumulum verſibus veneraretur, ita ſcripſit;

Laſciuus verſu, mente pudicus eras.

Quod nunquam ita dixiſſet, ſi forent lepidiora carmina argumentum impudicitiæ habenda. Ipſius autem D. Hadriani multa id genus legere me memini. Audes igitur dicere malè id fieri quod Imperator, & diuus, & cenſor fecit Hadrianus, & factũ memoriæ reliquit? & quæ his ſubiiciuntur plura. Ita Martial. lib. 1.

Non probantur verſ⁹ niſi laſciuiãt aut pruriant.

Lex hæc carminibus data eſt iocoſis,
Ne poſſint niſi pruriant, iuuare:
Parcas luſibus & iocis, rogamus,
Ne caſtrare velis meos libellos,
Gallo turpius eſt nihil Priapo.

Idem alio loco:

Laſciua eſt nobis pagina, vita proba.

Et ad Flaccum 4. lib.

A noſtris procul eſt omnis veſica libellis.

Quo loco plerique veſicæ nomine, tumidũ & inflatum dicendi genus intelligunt: at libidinem hîc innui putẽ. Sed & lib. 7. in malum Poëtam,

Dulcia cùm tãtùm ſcribas epigrãmata ſemper,
Et ceruſſata candidiora cute,
Nullaq; mica ſalis, nec amari fellis in illis
Gutta ſit, ô demens vis tamen illa legi.
Nec cibus ipſe iuuat morſu fraudatus aceti,
Nec grata eſt facies cui gelaſinus abeſt.

Infanti melimela dato, fatuásque mariscas,
Nam mihi quæ nouit pungere, Chia sapit.

Id Ausonius; vir alioqui tum eruditus; tum facetus, vidit ad finem Centonis, ne fortasse spectent mores meos de carmine,

Lasciua est nobis pagina, vita proba,

Vt Martial dicit. Meminerint autem eruditi probatissimo viro Martiali in poëmatis lasciuiam, in moribus constituisse censuram. Hæc ille.

VT errare mecũ si illis sinant) Quod Cicero dixit 1. Tuscul. errarè se malle cum Platone, quàm cum aliis vera sentire. Sanè vt id obiter, Poëticæ studium & nomen non vbicũque laudatum reperio: quorsum enim Horatius? Error cũ iudicio. Poeticæ studium illaudatum.

Aut insanit homo, aut versus facit.

Martial. 10. de Næuio quodam;

Iucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua doctus vtraque, cuius vnum est
Et magnum vitium, quod est Poëta.

Sic ex recentioribus aliquis non illepidè in Poetam quartana laborantem,

Te vexat quartana grauis, tu carmina condis,
Hoc est hoc prorsus, Posthume, bis furere.

NEMINEM, &c. *nominabo, ne me non satis deceat*) Cod. vet. nominabo, sed ego verear ne me non satis deceat.

QVOD *docuit M. Tullium*) Quem versus lasciuos scripsisse postea dicit, lib. 7.

C. *Caluum*) De quo nonnihil lib. 1. epist. 2.

ASINIVM *Pollionem*) Quem Poëtam agnoscit Seneca. Laudat Horat. 2. Carm. Oda 1. & auctor lib. de Oratorib. Sed quid Poetarum princeps? Caluus. Pollio.

Pollio & ipse facit noua carmina. &

Qui te Pollio amat, veniat, quo te quoque gaudet. vide Suidam.

Messalla. M. *Messallam*) De quo Quintilianus lib. 1. cap. 7. & locis aliis: Dio, Plutarch. Tibul. meminêre.

Hortensius. Q. *Hortensium*) Magnus orator qui secundas post Ciceronem tulit, de quo idem de claris Orator. & Valer. Max. lib. 8. Ouid. 2. de Tristib. in versibus Hortēsianis lasciuiā fuisse scribit: eius tamen inuenusta carmina quidam censuerunt, ait Gellius.

M Brut⁹. M. *Brutum*] Huius eloquentiam Cicero sæpe laudat: de Iure ciuili scripsisse eum libros tradit Pōpon. initio Dig. de orig. iur.

L. Sylla. L. *Syllam*) Dictatorem, de quo multa historici.

Catullus. Q. *Catullum*] Poëtam tersissimum, & Latinæ linguæ optimum auctorem, cuius epigrammata omni sale aspersa, & multa obscœna ad nos transmissa sunt.

Q Scæuola. Q. *Scæuolam*] Is Iurisconsf. insignis, & Pōtifex, à quo Cic. in Iure ciuili institutus legitur: de quo, dialogo de claris Orat.

Ser. Sulpicius. S. *Sulpitium*] Is etiam peritissimus Iuris ciuilis autor, de quo idem de claris Oratorib. Oratio pro Muræn. & Antoniana 6. & Pōpon. de orig. iur.

M. Varro. Varronem] Quem togatorum omnium peritissimum dicit B. August. & cuius penè vnius ingeniū iudiciúmque Cic. admiratur: pręter innumera ferè scripta, celebrantur Satyræ Menippeæ, & alia quędā. Lege Fab. Senec. Macrob. Apul. Gellium.

Torquatus. Torqvatvm, *imò Torquatos*] De eorū

poëmatis nihil dum comperi: de rebus verò gestis multa satis apud historicos.

CN. *Memmium*] Huius etiam Cicer. meminit in Bruto. Is ille Memmius est qui dicebat M. Catonem totas noctes ebriū esse: quíq; in Cæsarē est inuectus, à quo repressus est non minùs acriter. Ouid. 2. de Trist. Cn. Memmius.

Quid proferā Ticidæ, quid Mēmi carmē, apud quos
Nomen adest rebus, nominibúsque pudor?

Eius dura fuisse epigrāmata Gellius notat. Lentulus.

C. *Lentulum*] Eum inter Oratores Cicero adnumerat, qui & multos Lentulos alios meminit fuisse.

GETVLICVM] Cuius apud Senecam mentio, lib. 4. Nat. Quæst. Seneca.

L. *Annæum Senecam*] Rhetorem, & Stoicæ doctrinæ summum propagatorem, de quo aliquid dicere precium operæ non puto.

LVCANVM] Scriptorem belli ciuilis Pō peiani. de hoc Lilius Girald. dialogo 4. Lucanus.

D. *Iulium*] Cęsarem, de quo Tranquil. Dio. Plutarch. Iul. Cęsar.

AVGVSTVM] Hunc & illum superiorem fuisse doctos sanè viros & à poëtica non auersum animum habuisse, testantur epigrammatum aliquot reliquiæ. Augustum sanè iocos affectasse memorat lib. 2. Macrobius. Augustus.

D. *Neruam*] Qui Domitiano; pessimo Tyrāno, bonus Imperator successit, scripsit carmina quædam: cui Nero suum poëma commisit, ac Tibullum alterum appellare non dubitauit. Nerua.

TITVM *Cæsarem*] Vespasianum, Latinè Titus.

Græcéque peritiſſimum. Plin. maior præfat. hiſtoriæ Mundi. quāto tu ore patris laudes tonas, quanto fratris amas, quantus in poëtica es.

Nero. NERONEM) Quem & poëtam nō malum fuiſſe, hiſtoriæ produnt.

QVAMVIS *ſciam non corrumpi in deterius, quæ etiā aliquādo à malis, ſed honeſta manere quæ ſæpius à nobis fiunt*) Et hæc ſanè διάνοια perelegans & arguta, quæ præcipuum robur addit defenſioni ſui, qui iocoſis verſibus delectetur. Ea enim quæ honeſta ſunt, ſi quidē tractentur ab improbis, vileſcunt, ſuámque omnem auctoritatem & vim amittunt, quia ſæpe referat non modò quid, ſed à quo dicatur quidque, vel fiat: nempe quòd quaſi ſacrū eſt, non ſit ab impuro, prophano, contemptóque attingendum. Contrà, quæ iocoſa ſunt, & laſciua etiam, vel ſalacia ſi ab honeſtis hominibus tractētur, & orationis aliquo lumine patefiant, nihil tamen inde probitati vel conſtantiæ vel integritati detrahitur ſcribentium, quibus etiam in rebus ludicris ociari & ludere permittitur.

Pulcræ res dictæ ab improbis.

Virgilius. P. *Virgilius*) Quia Priapeia ſcripſiſſe memoratur: quod tamen alij præfractè negāt.

Ennius, Actius. ENNIVS, *Acciúſque*) Ex fragmentis vetuſtis intelligere eſt, eorum poëticam non prorſus fuiſſe ſeriam, ſed interdum etiam iocularem.

Sanctitas morum nō diſtat ordinibus. SANCTITAS *morum non diſtat ordinibus*) Vt dignitatum ordo ſeruetur Iura præcipiunt, in Reip. negotiis maximè: at in vita priuata qui probiores & ſanctiores citra controuerſiam, aut æquantur, aut etiam

præferuntur iis qui magiſtratus obtinent. Conſtat ergo non ſolis eruditis qui magiſtratum gerunt, quíque honoribus præficiuntur, doctrinæ laudem, gradúmque tribui, ſed & aliis etiã priuatis, qui eruditionis laude ſenatores vel æquare, vel anteuertere facilè poſſunt. Enniũ enim Naſica vir maximus, poëtã ſuſpexit, intérque præcipuos amicos ac familiares habuit, nec putauit auctoritatem ſuam tanti, vt eruditum hominem poſtremo loco haberet. Ad eundem modum Scipio & Lælius Comicum Terentium quaſi poëticæ rei ſocium habuerunt. Sic denique Mæcenas eques, & ipſe Auguſtus, rerum dominus Varum, Tuccam, Virgilium, Horatium præclaros ea ætate viros, totíque poſteritati admirabiles, ita magni fecerunt, ſéque illis adiunxerunt ob eruditiónis gloriam, vt etiam muneribus abundè cumularent. Sed ad rem facit quod grauiter Seneca epiſt. 44. Si quid eſt, inquit, in philoſophia boni, hoc eſt quod ſtemma non inſpicit; omnes ſi ad primam originem reuocentur, à Diis ſunt. Et dein: bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobiles.

MIHI *modeſtior conſtantia eſt, vt ſatis abſolutum putem quod à me probatur*) Modeſtè id, vt ſe non raro ab omni φιλαυτίας ſuſpicione vindicet, quod tamẽ ſolemne poëtis vitiũ, vt Tull. ait in 5 Tuſcul. neminem enim ſe poetam noſſe dicit quin ſibi optimus videretur. de quo & nos iam aliquid meminimus dixiſſe. Plinij modeſtia.

ALIQVANDO *acrius ſcriptis ſuis auditorũ*

reuerentia intendit] In vet.cod intendit acriùs reuerentiam auditorum scriptis suis.

MANVVM *motu*) Al.cod.manu,motu.

Scriptorum examen.

IVDICIVM *ab humanitate discernunt*) Iudicij est dicere liberè quæ de scriptis alienis sentias:humanitatis verò, multa remittere, conniuere ad errata,& dissimulare etiam in quibus peccatum est. Quo tamen humanitatis officio, vel affectu potius, nihil ingeniis, scriptísque nostris æquè graue magísque fugiendum, quid enim amicum offendas in nugis?

——*hæ nugæ seria ducunt*, ait ille.

ATQVE *hæc ita disputo*] Vet. atque hîc vt disputo.

AD EPISTOLAM 4.

TVSCILLIVS quidam notatur, qui cum pro aduocatione nummos à Vicentinis accepisset,eos deseruit.

RESPONDERVNT *quàm priùs*) Alij quod priùs.

AN *tunc gratis adfuisset*) Vet.adfuissent.

NAM *pleraque tacita tantum ex minimo commota latissimè serpunt*) Γνώμη, huic similis parœmię,E minima scintilla, magnum interdum incendium excitari.

TANTVM *ex minimo commota*] Vet.tantū & omnino:sed non ita emendatè.

QVANDIV *nunc oportet, scio quam blandè reges*] Scio,abest à veterib.

AD EPISTOLAM 5.

LVGET obitum Fannij, quem à variis ingenij dotibus laudat.

NVNCIATVM *mihi*) Nunciatur mihi. Ius testamenti.

DECESSIT *vetere testamento, omisit quos diligebat, prosequutus est quibus offensior erat*) Locus hic de iure & auctoritate testamenti, ex quo facile colligas quantus fauor vltimarum voluntatum; de quo multa in Iure nostro pręcipiuntur, maximéque lib. 28. Digestorum & 6. Cod. Iustinianei.

QVOD *pulcerrimum opus imperfectum reliquit*) Id fuit de Neronis sceleribus, vt conîicere est.

FREQVENTIVS *hi lectitabantur*) Manusc. hab. delectabantur.

MIHI *videtur semper acerba & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant*) Egregiè id cordatéque dictum. qui enim non sibi tantùm, sed posteris viuit, quocumque ætatis tempore fatis abripiatur, semper tamen ante tempus videtur mori. Mors semper immatura doctorũ hominũ.

NAM *qui voluptatibus dediti, quasi in diem viuunt, viuendi causas quotidie finiunt*] Attigit ferè illa Sallustiana; multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultíque vitã sicut peregrinantes transiêre: quibus profectò contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit: eorum ergo vitam, mortémque iuxta æstimo, quoniam de vtraque siletur.

ITA *solebat*) Ita vt solent, in vet.

reuerentia intendit] In vet.cod intendit acriùs reuerentiam auditorum ſcriptis ſuis.

MANVVM *motu*) Al.cod.manu,motu.

IVDICIVM *ab humanitate diſcernunt*) Iudicij eſt dicere liberè quæ de ſcriptis alienis ſentias: humanitatis verò, multa remittere, conniuere ad errata, & diſſimulare etiam in quibus peccatum eſt. Quo tamen humanitatis officio, vel affectu potius, nihil ingeniis, ſcriptíſque noſtris æquè graue magíſque fugiendum, quid enim amicum offendas in nugis?

Scriptorum examen.

——*hæ nugæ ſeria ducunt*, ait ille.

ATQVE *hæc ita diſputo*] Vet. atque hîc vt diſputo.

AD EPISTOLAM 4.

TVSCILLIVS quidam notatur, qui cum pro aduocatione nummos à Vicentinis accepiſſet, eos deſeruit.

RESPONDERVNT *quàm priùs*) Alij quod priùs.

AN *tunc gratis adfuiſſet*) Vet. adfuiſſent.

NAM *pleraque tacita tantum ex minimo commota latiſſimè ſerpunt*) Γνώμη, huic ſimilis parœmię, E minima ſcintilla, magnum interdum incendium excitari.

TANTVM *ex minimo commota*] Vet. tantũ & omnino: ſed non ita emendatè.

QVANDIV *nunc oportet, ſcio, quam blandè reges*] Scio, abeſt à veterib.

AD

AD EPISTOLAM 5.

LVGET obitum Fannij, quem à variis ingenij dotibus laudat.

NVNCIATVM *mihi*) Nunciatur mihi. Ius testamenti.

DECESSIT *vetere testamento, omisit quos diligebat, prosequutus est quibus offensior erat*) Locus hic de iure & auctoritate testamenti, ex quo facile colligas quantus fauor vltimarum voluntatum; de quo multa in Iure nostro pręcipiuntur, maximéque lib. 28. Digestorum & 6. Cod. Iustinianei.

QVOD *pulcerrimum opus imperfectum reliquit*) Id fuit de Neronis sceleribus, vt coniicere est.

FREQVENTIVS *hi lectitabantur*) Manusc. hab. delectabantur.

MIHI *videtur semper acerba & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant*) Egregiè id cordatéque dictum. qui enim non sibi tantùm, sed posteris viuit, quocumque ætatis tempore fatis abripiatur, semper tamen ante tempus videtur mori. Mors semper immatura doctorũ hominũ.

NAM *qui voluptatibus dediti, quasi in diem viuunt, viuendi causas quotidie finiunt*] Attigit ferè illa Sallustiana; multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultíque vitã sicut peregrinantes transiêre: quibus profectò contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit: eorum ergo vitam, mortémque iuxta æstimo, quoniam de vtraque siletur.

ITA *solebat*) Ita vt solent, in vet.

In *thoro sedisse*) In thoro resedisse, vt manusc. Fauierij.

Mihi *miseratio subit quantum vigiliarum, quantum laboris exhauserit frustrà*) Octauij Augusti de poëmate Virgiliano, quod auctor concremari testamento cauerat.

Frangatur legum potius veneranda potestas,
Quàm tot congestos noctésque diésque labores
Hauserit vna dies.

Et Seneca de incendio Lugdunensi, epist. 92.

Vuctorias testamentorum. Enitamvr *vt mors quàm paucissima quæ abolere possit, inueniat*] Ad famam nominis comparandam adhortationes longè crebræ sunt apud hunc nostrum Secundum, vt studiorum omnium eam vnam videatur fixisse metam, æmulatus M. Tullij ingenium, qui sæpissimè itidem inculcauit.

Ad Epistolam 6.

Plinivm monuerat Apollinatis, ne in Tusculanum suum secederet, quia diceret oram Tuscorum esse pestiferam. Sed cōtrà Plinius villæ suæ salubritatem, amœnitatémque per partes describit. Confer cum hac epist. 19. lib. 2. quod obiter dixerim. Seneca epist. 52. locorum illam amœnitatem, vt indignam planéque indecoram sapienti homini incessit. Quid mihi inquit, cum istis calentibus stagnis, quid cum sudatoriis, in quæ siccus vapor corpora exhausurus includitur? omnis sudor per laborem exeat: idem argumentum fusè & strictè ab eodem tractatur epist. 87.

APENNINO *saluberrimo montium*) Qui Italiam iuxta eius longitudinem distermi-nat: Ptolomæus. Apēnin⁹.

MYRTOS, *oleas*) De quibus Plinius 15. cap. 1. & 19.

ASSIDVO) Æstiuo tempore: tepôre, legunt alij.

SVB *vrbe nostra necat*] In aliis, necat.

SEMPER *aliquo spiritu mouetur, frequentiùs tamen auras, quàm ventos habet*) Ex hoc colligas inter spiritum, auram, ventum, quid intersit. Spiritus, nomen generis est: aura tenuior, seu lenis ventus.

HINC *senes multos videas*) Quod non amœnitati tantùm & temperiei soli tribuendum est, sed frugalitati maximè, & continentiæ, quæ ruri degentibus familiaris est, quid enim? Mors nul-lo non lo-co.

Nullo fata loco possis excludere, cùm mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est:

Vt rectè Martialis.

AVOS, *proauósque iam iuuenū*) Sic alij interpungūt: auos, proauósque iā iuuenū, &c.

INDE *cæduæ syluæ*) Vet. crebrę syluę.

PRATA *florida & gemmea*) Al. prata florida & gramen.

TRIFOLIVM) Sic dictum quia terna singulis germinationibus exeūt folia, Dioscorid. lib. 3 cap. 106. Eius genera multa traduntur à Plinio lib. 21. cap. 1. Trifoliū.

VBI *aquæ plurimum*) Al. ibi aquæ plurim.

MEMBRA: *atrium etiam*) Atrium at, veter. Membrum, pro ædificij parte suprà docuimus lib. 2. Eodem sensu membrum accipit Sidonius Apollinaris epist. 2. lib. 2. Membra pro parte domus. Porticus.

Xyſtus. ANTE *porticum Xyſtus*) Et quid porticus, quid Xyſtus, iam ſuprà, epiſt.17.lib.2.

CONCISVS *in plurimas ſpecies*) In al. confiſſus.

DEMISSVS, *promiſſúſque puluinus*) Quaſi herbis virentibus cubile ſtratum, in quo puluinus, hoc eſt ceruicale capiti ſuppoſitum.

Acanthus ACANTHVS *in plano mollis*) Tò mollis, non eſt in veterib. Acanthus, herpauancha topiaria, quam brancam vrſinam vocant, & marmorariam, aut mariolanam, vt Græci

Geſtatio. ἄκανθος μελάμφυλλον, de qua Plin.24.cap.12.

GESTATIO *in modum circi*) Quid etiam geſtatio, & multa fuiſſe geſtationum genera, docui ad eandem epiſtolam 17.

RETRVSAS) Vet. retentas.

OMNIA *maceria muniuntur*) Maceriam eſſe murum è congeſtis lapidibus abſque calce & cemento, Grammaticis edocemur.

A *capite porticus triclinium excurrit*) De triclinio, etiam ſuprà, ex Victruuio.

Hippodromus. IACENTIS *hippodromi*] Curriculi, in quo de equorum certatur pernicitate, citra pugnæ ſimilitudinem.

Dieta. DIETA *paulùm recedit*] In al. Zeta, ſicuti antè, epiſt. 17.lib. 2.

LENI *aſpergine*) Vel, lento aſperg. vt vet.

QVOD *diem clamorem, ſomnúmque excludit*) In vet. quod clamoris ſonum excludit. alij ſic, quod die clamorem, ſonum excludit.

MARMORE *exſculptum*) Al. excultum.

PODIO *tenus*) Podium, locos extra ædificium porrectum, ex quo ſpectari liceat ſi quid foras fiat: Victruu.lib.2.ca.8. & paſſim.

SIPVNCVLI *plures*) Siphunculi, vti scribunt alij : vt in, triompo, tropęum, & similib. dicuntur autem sipunculi, salientes: nam & pro fonte, salientem accipi video. Vitruu. 8. cap. 3. Sipunculi.

SED *ante piscina*) Alij leg. piscinam iucundam.

COHAERET *hypocaustum*) Locus ad sudandum, sudatorium Columellæ dicitur, vt vaporarium Senecæ. vbi sicco calore cruditas excoquitur, & prouocatur sudor. Hypocaustum.

APODITERIVM *balnei laxum*) Apoditerium, locus vbi lauaturi vestes eximunt, ἀποδυτήριον Græcè, Latinè spoliarium dici fortè potest.

CELLA *frigidaria, in qua baptisterium*) Scio quibusdam verba hęc frigidarium, baptisterium, hypocaustum, & alia eiusmodi posse negocium exhibere. Sanè frigidarium, in quo frigida lauabant sese; baptisterium, lauacrum est generale nomen, &c. de quibus Vitruu. Frigidaria cella.

IN *hac tres dissessiones*) Al. tres disceßiones.

SVPRAPOSITVM *est sphæristerium*) In al. suppositum.

SPHAERISTERIVM) In quo parua pilá corpus exercere solitum. Sphæristerium.

IN *cryptoporticum*) Cauatam & subterraneam porticū, quæ vt plurimum fiat fornicatis, hoc est arcuatis parietibus. de qua etiam suprà. Crypto-porticus.

HIC *visus à fronte*) Vet. hic vsus.

VALLIBVS *recipit*) Vet. accipit.

SECRETIORE *ambitu*] Alij, aditu.

ACANTHVS) De acantho, suprà.

Stibadiū. STIBADIVM] Thorus, & mensa herbida qua conuiuæ discumbebant in viridario.

Columellæ carystię. COLVMELLAE *carystiæ*) Paruæ quædam columnę, quarum vsus primùs è Carysto, Etruscorum oppido, si tamen Cataneo credimus. cæterùm pro, columellę, vet. hab. columnellæ, paruula differentia.

DIETVLA) Al. Zetecula.

LECTVS) Vet. lectulus.

SIMVL *omnia iuuantur*) Al. leg. leuantur, & quidam, lætantur.

QVOD *visenti*) In vet. scribentiá: alij pręsenti: sunt & qui leg. absenti.

CVR *enim non aperiam*] Enim, abest à manuscrip.

Homeri artificiū. VIDES *quot versib. Homerus, quot Virg. I. arma, hic Æneæ, Achillis ille describat: breuis tamē vterque, quia facit quod instituit*) Sic enim breuitas non est semper vel metienda, vel appendenda verbis, sed rebus æstimanda, quæ vt variæ & multiformes sint, non definit tamen contextus esse breuis, quia iucundus, & illustri varietate negotiorum expressus, minimè lectori fastidium parit. Sed de breuitate nos etiam loco alio nonnihil.

Aratus. VT *Aratus minutissima sidera consectetur*) Is scripsit librum, cui nomen φαινόμενα, quem Cicero adolescens Latinum fecit.

PARVA *magnis conferamus*) Conferamus, abest à meis manusc.

Laus secessus. NVLLA *necessitas togæ, nullus accersitor*) Et ita sæpe ruris ocium ac secessum togati affectant, vbi nulla interpellatio, nulla importuni clientis tædia, nulli clamores aut strepitus.

NE *purius cælum, vt aër liquidior accidit*) Horat. 1. epist. ad Aristium,

Viuere naturæ si conuenienter oportet,
Nouistíne locum potiorem rure beato?

Et quæ sequuntur multa.

VBI *animo, vbi corpore maximè valeo*) Quia procul à negotiis, quódque villę amœnitas & temperies, ad valetudinem maximè conducat.

STVDIIS *animum, venatu corpus exerceo*] Vt lib. 1. epistola ad Cornelium Tacitum, 6. & aliquot aliis sequentibus. In eo imitatus Scipionem illum, qui dicebat, se non minùs solùm, quàm cùm solus esset, vt nunquam minus ociosum, quàm cùm ociosus: de quo Cicero præfatione 3. Offic. quod significabat illum & in ocio de negociis cogitasse; & in solitudine secum loqui solitū, vt non cessaret vnquam: & interdum colloquio alterius non egeret. Idem elogium tribuitur Theodosio à Pacato in Panegyrico: Quidni ego tuum ocium aliorum negociis anteuerto, non enim te amœna litora, nec dispositi ad temporum vices habuêre secessus, sed siue tu in agris, siue oppidis tempus dabas, rem & famam pariter augebas.

Venationis studium in Plinio. Scipio nō minùs solus, quàm cùm solus. Theodosij laus.

AD EPISTOLAM 7.

POMPEIVS Saturninus heredē Pliniū scripserat ex dodrante, Rempub. verò Comensium ex quadrante, quod tamen postremum fieri leges vetabant: vult autem

hic valere potius Saturnini vltimam volũtatem.

Testamẽtum irritum.

H O C *si ius aspicias, si irritum*) In Iure dicimus irritum testamentum, quod ipso iure nullum est, vt nullo casu subsistere possit: atqui quod contra leges fit, à nemine debet approbari, ex l. 5. D. quibus mo. test. inf. sed rumpi dicitur, quod casu aliquo euertitur, in suo statu manente testatore, l. 1. de iniust. rup. test. Eam autem legem, de qua hic Plin. fuisse municipalem suspicamur. Marcellus enim de leg. & fideic. Si quid relictum sit ciuitatibus, omne valet, siue in distributionẽ relinquatur, siue in opus, siue in alimenta vel eruditionem puerorũ, siue in quid aliud. sicuti & Paulus eod. tit. quod tamẽ in legatis tantùm volere quidam valuerunt, non de hereditatibus, quia vt illi aiunt, heredẽ esse certum oportet: verùm Respub. est incertum aliquid, adde quòd, litis causa non liceat Imperatorem aut Rempub. instituere, vt Paul. idem tit. de heredib. instituendis. quæ vt vera sint, non tamen strictè intepretandam esse defuncti voluntatem, Plinius asseuerat; Vlpian. enim testatoris voluntatem esse in primis inspiciendam tradit, sicut & Imp. Iustinianus cupere se dicit voluntates defunctorum validiores esse, nec verbis, sed voluntati esse standum. huc refert epist. ad Gauinium lib. 7. seq.

Lex quædam municipalis.

Testamẽtiius & auctoritas.

M I H I *defuncti voluntas, vereor quam in partem Iurisconsulti quod sum dicturus accipiãt, antiquior Iure est*) De iure testamentorum hic, & locis aliis Plin. noster, vt lib. 2. epist. 16. Ammiano, & 4. epist. 10.

AN *cui de meo sestertiûm vndecies contuli, huic quadringentorum millium paulò ampliùs tertiam ex aduentio denegem*) Sic habet codex Oliuarij an cui de meo his adiiciens contuli, huic CCCC. millium paulò ampliùs, &c.

QVID *sit iuris indicas*) Vet. dicas.

NOS *quadringenta millia offerre*) Vet. nos CCCC. millium.

ILLIVS *liberalitas*, *nostrum tantum obsequium vocetur*) Illius liberalitatis obsequium vocetur.

PRO *necessit. amicitiæ nostræ*) Tuæ, vt vet.

SERMONEM *vox gestus*, *&c. moderatur: epistola omnibus commendationibus destitata malignitati interpretantium exponitur*) Hic non parum inter epistolæ, seu scripti alicuius, & viuę orationis approbationem differentię, qua ratione putē Antonium oratorē summum, rogatum olim cur suas orationes edi nollet, id ita se fieri dicere, vt si quædam fortasse aliis minimè placerent, inficiari posset. Caium vero Lucilium quæ scriberet, neque à doctis, neque ab imperitis legi velle: quod illi meliùs quàm se, hi autem nihil intelligerent. Viuæ vocis & scriptorum differentia.

MALIGNITATI *interpretantium exponitur*] Emendatiùs, quàm in quibusd. membr. quæ habent, malignitatem interpretantium exponit.

AD EPISTOLAM 8.

SVADEBAT Capito vt historiam Plin. scriberet; idem se velle ait, & causas ex-

ponit, quibus vel ad id præstandum accendatur, vel quibus reuocetur.

Laus historiæ. MIHI *pulcrum videtur non pati occidere quibus æternitas debeatur*) Id ad historiæ laudem, quam qui sinunt intercipi aut obliterari, pessimè de hominum memoria merentur, adeo vt lucem veritatis magistrámque vitę, quam Cicero appellat, hominum generi videantur inuidere.

Cupido famæ in Plinio. MIHI *nihil æquè ac diuturnitatis amor, & cupido sollicitat*) Quem diximus non longè antè, scopum ac metam studiorũ, imò etiam votorum Plinij nostri, qui scriptis famam extendere vnicè gestit.

AMOR *& cupido*) Vet. amoris cupido.

RES *eo homine dignissimæ*] At alij, res homine dignissimæ.

COGITO *si qua me possim tollere humo*) Sic Virgil. 3. Georgicon,

Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victórq; virûm volitare per ora.

ORATIONI *& carmini parua gratia nisi eloquentia sit summa*) Horat. in arte.

——— *mediocribus esse Poëtis*
Non homines, non dij, non concessere columnæ,
Vt gratas inter mensas symphonia discors, &c.

Plinij maioris scripta. AVVNCVLVS *meus historias religiosissimè scripsit*) Et hæc amisimus, vt multa Pliniana, iniuria temporũ, meminit idem noster epist. 5. lib. 3. item lib. 6. epist. ad Tacitum, 16.

Veteres vt imitandi. INVENIO *apud sapientes honestissimum esse, maiorũ vestigia sequi, modò rectò itinere processerint*) Idem Cic. 1. de offic. Quia paulo ante dictum, imitandos esse maiores, primùm illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda.

CUR *ergo cuncta egi magnas & graues causas*) Sic vet. cur enim tot egi magnas & graues causas?

SI *rationem posteritatis habes, quicquid non est peractum pro non inchoato est*) Sic vet. quicquid non est peractum Po. Ro. pro non inchoato. Non curatur enim quod imperfectum est, vel etiam negligitur id, cui suprema manus apposita non sit.

HABET *quidē oratio & historia multa communia*) Ea de re multa Cic. 2. de Orato. habent sanè verba eadem, & eadem sententiarum lumina, solutáque est dictio huius & illius, sed non idem ordo, neque idem iudicium, vel collocatio esse potest.

ILLI *omnia recondita*) Vet. illa.

NAM *plurimùm refert, vt Thucydides ait, an κτῆμα sit, an ἀγώνισμα*). Hoc est an monimentum, an certamen sit. Illius enim est Oratoris, qui in foro cōtendit, & quasi dimicat, elocutio, pugnax nimirùm, & ad victoriam comparata: sed historicum dicēdi genus paratur ad rerum memoriā posteris tradendam. Locus est in præfatione Thucydidis, κτῆμα δὲ ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται. Quem locum Quintilian. expressit 10. lib. Totum historiæ opus, non ad intuitum rei, pugnámve præsentem, sed ad memoriam posteritatis & ingenij famam componitur.

κτῆμα καὶ ἀγώνισμα.

NAM *præterij quod in tantis vitiis*] Vet. hanc præter & quam in tantis vitiis.

SI *laudaueris parcus, si culpaueris nimius fecisse diceris*) Et ex eo nō pauci censent historiam

Cur ardaum historiam scribere

quæ omne punctum ferat, arduum esse scribere, nempe quia variant hominũ iudicia, dominãtur affectus: adeò vt ne ipse quidem vel Thucydides, vel Liuius omnibus placẽt, ac multo difficilius est sui sæculi hominib' facere satis, vt qui ad res etiã subtiliter & accuratè scriptas semper aliquid miscẽt.

QVAMVIS *illud plenissimè, hoc restrictissimè feceris*) Hęc omnia desunt in vetere.

ILLVD *peto præstinas*) Alij codic. præsternas.

AD EPISTOLAM 9.

DOLET Iulium Valentem cum acutissimo morbo cõflictari, sed multo grauius. Auitum summæ spei iuuenem extinctum esse.

NOLLEM, *inquis: sed ego volo, propterea quòd recitaturum statim vt venissem, pollicebantur*) Sic vet. nollem, inquis: sed ego volo, præterea quod recitaturum statim, &c.

IAM *quidem in flore primo*) Alij hab. iam quod in flore primo.

PROPTEREA *quod recitat*) Prætereáque, vt vet.

CVIVS *interest quam maturissimè inexplicabili morbo liberari*) Propter acutissimum doloris sensum nihil aliquando habent optatius, qui lecto sunt affixi, quàm vt citissimè moriantur.

SVMMA *consequuturus si virtutes eius maturuissent*) Alij, maxima consequuturus, amabam virtutes eius, maturitatémque.

SINE *fructu abierunt*) Vet. aruerunt.

AD EPISTOLAM 10.

VERSVS Antonini vt inimitabiles commendat.

AB *hoc archetypo laboro & decido*] Vt enim Macrob. disputat 5. Saturn. cap. 17. Pindarum imitationi inaccessum: quod & Horat. 4. carm. 2. & Quintilian. lib. 10. cap. 1. tradiderunt.

AD EPISTOLAM 11.

TRANQVILLVM Suetonium pollicitus erat Plinius hendecasyllabo emissurum quidpiã: quæ cùm differret ille diutiùs, eundem monet ad exsoluendum quod amici nomine promiserat, id ne faciat, minatur conuitiosos in eum versus editurum.

APPELLANTVR *quotidie & flagitantur, aciam periculum est ne cogatur ad exhibendum*) Actio ad exhibendum Iurisconsultis est præparatoria, quæque promptam exactionem habet, & quamdiu illa ventilatur in foro, aliæ actiones præcipuè quiescunt. toto tit. ad exhib. Dig. Actio ad exhibendum.

SVM *& ipse in edendo hæsitator: tu mora tamen meam quoque cunctationem vicisti*) Alij sic: sine ipse in edendo hæsita tortuosa tamen: meam quoque cunctationem, &c. sed mutilum hoc in verbo vno vel altero.

CONVICIIS *scazontes extorqueant*) Hòc

Scazôtes. est iambicos scazontas, ad conuiciandum maledicendúmque comparatos, quales apud Martialem nonnulli. de quibus Terentianus Maurus, cap. de Metris.

AD EPISTOLAM 12.

GRATVLATVR Fabato prosocero, qui pulcherrimam porticum suo filíque nomine dedicauerat.

NESCIT *enim semel incitata liberalitas stare, cuius pulcritudinem vsus ipse commendat*) Sententia cõmunis, ex qua dicimus, liberalitatem

Hirundo vna non facit ver

esse ἐνέργεια, vt loquitur Aristot. vt sit consummatus habitus, nec tantùm, διάθεσιν, quod ipsum parum esset, cùm, vt dicitur, vna hirundo non facit ver: & gratiæ meritum noua aliqua semper gratia cumulari, quasi irrogari, quod de beneficiis Senec. præclarè.

AD EPISTOLAM 13.

SCAVRI iudicio permittit orationem quam apud suos municipes habuerat, quámque apud amicos aliquot recitatione commendarat.

RECITATVRVS *oratiunculam quam publicare cogito, aduocaui aliquos, vt vererer paucos, vt verum audirem*) Sic hæc interpungenda sententia, vt sibi magis constet.

Pudor Plinij.

V T *vererer paucos, & verum audirem*) Prouidè id, & sapienter. darum est enim venire in

multorum quasi censuram, ex cóque non fieri meliorem. Et vide hîc vt sæpe, quàm alienum se præstet. Secundus à vitio αὐταδίας καὶ ἀλαζονείας qui suo ingenio ita parum fidat.

DVPLEX *mihi ratio recitandi, &c.*) Duplex recitationis causa, sollicitudo & cura, prima est: altera verò audientium iudicium consiliũque: quę duo si quis adhibuerit, sua scripta limatiora fecerit, quàm si vnum se in consilium adhibuerit. id quia non præstamus mirum non est, si quicquid scribimus, impolitum & semper inchoatum sit. Ratio recitandi.

SOLLICITVDINE *incedat*) Al. accẽdat.

SI *quid fortè me, vt meum fallit*) Vt mecũm.

TV *verò quid de vniuerso, quid de partibus sentias*) Vt in epist. 5. lib. 2. item 16. lib. 3. & 14. & 20. lib. 4. denique 12 lib. 7.

AD EPISTOLAM 14.

QVEM aduentum habuerit postulatio Nepotis aduersus Tuscilium, cuius in superioribus meminit, qui accepta pecunia à Vincentinis, causam susceptã deseruerat.

NON *modò non pressẽrunt*) Vet. non modò præcesserunt.

NON *fidem sibi, sed constantiam defuisse*) Id ex opinione vulgari, nã alioqui nulla sine constantia fides; quod enim fiat, quod dicitur, fides est, rectéque definitur, dictorum conuentorũque constantia & veritas, quanquam me non lateat fidum esse, & constan- Fides quid.

tem, variis secerni differentiis.

PRAETER *Flaminum Aprum.*) L. Acrem, alij legunt. quidam, Lucinium.

ADVOCATIONIBVS) Vet. aduocationem.

EXPROBRARE *ei censenti ambitionem videbantur*) Al. ne exprobrare ei sententiam dicerentur.

QVAM *me iuuat, quod in causis agendis, non modò pactione, domo, munere, verùm etiam xeniis semper abstinui*) Ante Domitij Neronis ætatem, nullæ mercedes aut honoraria ita certè causidicis constituebantur, quia tanti quisque conducebatur, quanti ars eloquentiæ esset. At precium Nero proposuit, ait Sueton.. Quintilian. existimat legendum esse gratis, si sit satis ampla domi res; nam vendere operam tanti beneficij putat esse sordidum: sic enim cap. 7. lib. 12. plurimum refert à quo accipiat, & quantum & quousque. Paciscendi quidem piraticus ille mos, & imponentium periculis precia, procul abominanda negotiatio etiam à mediocriter improbis aberit. huc l. 1. de postulando. Cod. Theodosian. & l. si sub specie, ff. eod. Vlp. l. 1. §. est quidem de variis. & extraor. cognit. §. honorariis: Tacitus lib. 11. Annal. item l. remunerandi 6. D. mandati.

Non quod licet, sed quod decet.

OPORTET *quidem quæ sunt inhonesta non quasi licita, sed quasi pudenda vitare*) Philosophicū νόημα, quale illud Iurisconsultorum, in conuentionibus, nō quod licet, sed quod honestum est, inspiciendum l. 42. D. de ritu nupt. Sic Horat. epist. ad Quinct. 16.

Oderunt peccare boni, virtutis amore,

Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Vide Senecã epist.16. ne te morer pluribus.

CVM *omnes ex necessitate faciant, quod ego sponte faciam*) Vt supra opposuit necessitati honestatem lib.4.epist.10.

AC *iocum dictitant*) Vet. acceptum dictitãt.

AD EPISTOLAM 15.

GRATVLATVR Pontio, Æmiliæ viæ curam demandatam Tertullo, sicuti & temporum fœlicitati, qua boni honores consequantur.

ÆMILIAE *viæ curam*) Viarum curatores fuisse olim Censores, vt in vrbe silice viæ sternerentur, glarea extra vrbem, reperio apud Liuium initio 5. Decad. Id verò non prætermisero fuisse tria curatorum genera, & alios quidem fuisse curatores ipsarum ciuitatum generales, alios Romanorum ciuium, qui isthic habitarent, tertios vicorũ, riparum ac viarum: formula extat curatoris ciuitatum apud Cassiodor.7.variar.alij moderabantur ius Romanæ ciuitatis, ciuésque Romanos in aliquo honore constitutos, vt ex vetustatis monimentis colligere est. De curatoribus vrbis ab Alexandro Seuero constitutis Lamprid. Agrippam eo munere functum fuisse Sueton.refert in Augusto. Curatorũ genera tria.

QVOD *sic licet*) Quod scilicet, in vet.

NEQVE *enim augeri dignitate, quàm æquari bonis gratius*] Grauiter hoc veréque: nam magistratus & honores sæpe fortuna tribuit, vt & arbitrio popularis auræ, vel prin- Aequari bonis gratiꝰ quàm dignitate augeri.

cipis ad nutum dantur aut adimuntur secures: at bonis æquari, & ex meritis famam consequi, hoc demum proprium, non extraneum bonum est.

Exēplum antiquitatis. QVID *melius, quid sanctius, quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressi⁹?*) Et id elogium pulcerrimum, cui similia quædam apud Tullium, sed maximè, cum suum Catonem laudat, aut Nasicam, aut Scipionem minorem, viros toti posteritati commendabiles.

QVAE *societas amicitiarum arctissima nos familiaritate coniunxit*) Vt volūtatum, sic & studiorum cōiunctio amicitiā gignit, ait Cic. in Lælio.

Præfectus ærario. IN *præfectura ærarij*) Quale munus fuerit præfectorum ærarij, peti potest ex l. cum quidam, D. de iis quæ vt indign. l. 2. §. res. D. ne quid in loco publico. l. Adrianus De iur. fisci, nōnulli ex Dione & Suet. in Augusto.

Senectus prudentia æstimatur, nō annis. VT *parentem vererer, quod non tam ætatis maturitate, quàm vitæ merebatur*] Non cani, non rugæ, ait Cato Maior, plerumque afferunt auctoritatē, sed honestè acta superior ætas dignitatis fructus capit extremos. Simile illud sapiētis Hebræi, quo loco ait, senectutem veneratione dignam, & non ex annorum computandam numero: canos enim esse hominis sensus, vitam labis expertem. D. Ambrosij succinit illud ad Valerianum: Non annorum, inquit, caniciem laudādam, sed morum: quod idem in Symmachum relatione de ara victoriæ.

QVOD *tandem homines non ad pericula, vt prius, verum ad honores virtute perueniunt*] Id

dictum ad summam Traiani laudem, cuius imperio virtus omnis in pretio esset, improbitas, quæ tandiu sub tyrannis triũphos egerat, iam tandem exsularet. id ex Panegyrico Traiano dicto vberius cognoscere est, tum ex Dione. Traiani laus.

ET *cursim: aliis enim chartis, aliis sum litteris initiatus*] Vet. & causis: malis enim chartis sum litteris incitatus.

TE *quoque sub idem tempus*] Al. te cùm sub idem tempus.

CAMPANIA *tua*] Al. nostra.

AD EPISTOLAM 16.

MARCELLINVM monet, vt si quid litterarum Fundano dederit, ad eum consolandum, qui minorem natu filiam, ex duabus vnam amiserat, caueăt ne eum castigare potius, quàm mitigare videatur. Cum hac epistola lubens coniungo 5. lib. 8. seq.

IAM *illi anilis*) Malim, senilis, vt in quibusdam exempl. nam anile, video ferè accipi in vitio: vt anilis stultitia, anilis opinio, anilia deliramenta; vt apud notæ melioris auctores. Anilis stultitia.

MODESTE) Al. honestè, eod. penè sensu.

QVA *patientia*) Abest à veterib.

IAM *destinata erat egregio iuueni, &c.*) Id mihi in mentem reuocat Alciati Emblema, in formosam fato præreptam, Puella nubilis præmatura morte rapta.

Cur puerum mors ausa dolis es carpere Amorē,
Tela tua vt iacerēt dum propria esse putat.

Et in Telesilæ mortem Petrus Bembus,

Quid mors tam pulcram rapuisti dura puellam?
Nunquid me miserum, te quoque tangit amor?

Dolor in filiæ morte.

Est *quidā ille eruditior ac sapiens, &c.*) Sapiēs vt libet, sed dolori tamen cessit, qui ita molliter in morte filiæ animum deiiceret: Sic Tullius mœrore confectus ex obitu filiæ quasi extra se positus, nullas omnino amicorum consolationes admisit, dolorique se ita permisit, vt quasi sapientiam omnem videretur ex animo expectorasse. Sic & ille ipse Tusc. 1. disputat cum Attico: quid tibi opera mea opus est? num eloquentia Platonem superare possumus? euolue diligenter eius eum librum, qui est de Animo: ampliùs quod desideres, nihil erit: A. Feci mehercule, & quidem sæpius: sed nescio quomodo dum lego, assentior: cùm librum posui, & cœpi de immortalitate animorum mecum ipse cogitare, omnis illa assensio elabitur.

Dolor sapientiam expectorat.

Artibvs qvi) Vet. altiúsque.

Omnia *quæ audiit, sæpeq; dixit, aspernatur*) Al. omnia quærit, sæpe quæ didicit, aspernatur. Quæ posterior lectio emendatior, meo quidem iudicio, si pro quærit, legas queritur. In vehementi enim dolore vel cruciatu, nullus querendi finis aut modus. Est enim mœror, animi vitiū & quasi morbus, qui nobiliores animi partes, iudiciúmque maximè impedit, aut etiam labefactat. Qui enim mœsti dolent impatientiùs, nullam in ipso doloris æstu consolationē admittunt: quin putant virtutem esse verba & voces, ipsúmque inane nomen, sed consultor malus, dolor, quem qui audit, tortori se-

Dolor vt amolliendus.

ſponte committit.

QVAE *mores eius, quam os, vultúmque referebat*) Al. formam oris. Id verò nos parum angebat in patre φιλοσοφίαν, quòd filium haberet ſibi ſimillimum. Quod mihi reuocat in mentem ſęculi aurei ſub Auguſto fœlicitatem, quo naſcerentur filij parentibus ſimiles: Laudantur, inquit, ſimili prole puerperæ. Heſiodus inter ſęculi ferrei noxas lõgè multas, eam ponit, quòd nulla eſſet in liberis parentum ſimilitudo; φιλοσοφία. Filij parẽtibus ſimiles.

Οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίιος, οὐδέ τι παῖδες.

Idem Poëta, quo loco notat ea incommoda quibus Dij iuſtos homines cumulent, ait eorum vxores ſimilia parentibus pignora parere,

Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι.

DOLORE *tam iuſto*) Tam iuſto, in vet. non eſt.

MEMENTO *adhibere ſolatium, non quaſi caſtigatorium, & minus fortè, ſed molle & humanũ*) Adhibeantur verba & voces non amarulentæ, ſed molles;

———*quibus hunc lenire dolorem*
Poßis, & magnam morbi depellere partem.

Vt enim ad ęgri & doloris naturã ſeſe medici aptant, & nunc amaris, nunc lenibus vtuntur pharmacis; ita qui medelam animis adhibent, debent habere perſpectum geniũ eorum, qui dolent: alioqui enim, quod Naſo docuit, Conſolationis vis.

Impatiens animus nec adhuc tractabilis arte
Reſpuit, atque odio verba monentis habet.

MVLTVM *faciet medij temporis spatium*) Nostri manusc. multùm fauet.

ET *clementer*] In al. vehementer. rectiùs.

AD EPISTOLAM 17.

EXQVISITA oratione commẽdat Calphurnij Pisonis librum, cui ἐρωτοπαίγνιον nomen indiderat, in frequenti recitatũ auditorio.

DIGNVM *aliquid suis maioribus faciant*) Sic cod. manusc. dignum aliquid moribus. non æquè rectiùs.

Ἐρωτοπαίγνιον) Al hab. καταστερισμὸν, non ita rectè. Certè ἐρωτοπαίγνιον, est ludicrum & amatorium poëma, vel amoris lusus, aut ludus amatorius: καταστερισμὸν, à καταστερίζειν, stellis insignire, aut in stellarum referre numerum, quæ tamen vox non probatur doctis.

Amatori' liber.

POPOSCIT *locus*) Al res.

VOCEM *verecundia*) In alio, voce verecũda.

Verecundia studiosorũ.

ETENIM *nescio quo pacto magis in studiis homines timor, quam fiducia decet*] Si quę virtus literatum hominem commendat, verecũdia est, modestúsque habitus, vt dici nõ possit, quàm verecundas musas dedeceat impudẽtia. Quod tamen non vident argutuli quidã & nugiuendi Sophistæ, & nõnulli etiã togatuli; qui paulùm vltrá primas litteras progressi, mirũ quàm altè spirent, déq; veterũ aut recentiorum scriptis, quę vix attigerũt, temerè & inuerecundè pronunciẽt.

QVI *ex auditorio*) Vet. qui in audit.

TVLIT) Al. retulit.

FAVEO *seculo, ne sit sterile & effœtũ, mirūque cupio ne nobiles nostri nihil pulchrum nisi imagines habeant*) Immodestia castigatur quorundam nobilium in stēmatis & imaginibus maiorum omnia ponētium, quos vel eo nomine satyrico sale insperſit Iuuenalis in octaua, & memini me copiosè satis id argumētum locupletasse ad Alciati emblema, cuius epigrapha, Nobiles & generosi. Stēmata maiorū.

AGNOSCERE *videntur*) Vet. id cognoscere videntur.

AD EPISTOLAM 18.

GRATVLATVR Macro, quod in Tarentina villa lætus & fœlix viuat.

MACRO) Vet. Marco.

FONTIBVS *viridibus*) Varia hîc lectio, ruribus enim alij; sunt qui vitibus, al. virib. al. amnibus.

FOELICIOR *antequā n fœlicissimus fieret*) Nerua in vita priuata fœlicior esse dicebatur, quia tutus, quàm cùm ad imperium vocari ab Orfito & Rufo diceretur, suspectus esse Domitiano cœpit: & Rufo quidē Orfitóque deportatis, Nerua Tarentum secedere iussus est, vbi ocio fretus, tanquam qui reliquum illic exacturus, ad imperium tamen tandem non sine metu vocatus est. Lege Aurelium Victor. lib. de Cæsaribus. Nerua.

ALTERNIS *&* *interdum*) Absunt hæc à Fauieriano.

Studium venandi Plin. oſtẽtat.

NEC *poſſum pronunciare vtrum ſit difficilius capere aliquid, an ſcribere*) Non ſemel iam ante ſuum in venando, hoc eſt, exercẽdo corpore ſtudium, & ſcribendi etiam in ipſa venatione curam otiumque oſtentauit, lib. 1. epi. 6. lib. 2. epiſt. 8. &c.

DIFFICILIVS *capere*] Al carpere.

AD EPISTOLAM 19.

A PAVLINO petit villam ſuam commodet Zoſimo ſeruo ægrotanti, donec à tuſſi curetur, quam recitando contraxerat.

Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν] Homericum id ex Iliad. ω Verùm eſt, *αἰεὶ*, non *ἦεν*: hoc eſt, mitis erat, vt pater.

PATERFAMILIAS] Manuſcr. habent conſtanter, paterfamiliæ. Quod & auctores Iuris aliquando. id non adnotarem, ſed curioſis etiam dandum aliquid.

QVANTO *nunc illa magis eget*] Vet. ſic: quanto nunc vtilior humanitas ægrotanti.

Carendi metus.

ES T *enim à natura comparatum, vt nihil æquè amorem incitet, & accendat, quàm carendi metus*) Nec enim eſt vllus amoris affectus vehemens ſine aliquo metu, tanquam amoris indiuiduus comes: vt cùm vel abſentiam, vel mortem amici hominis pręſentiſcimus, tũ ſe nobis obiicit amoris acer aculeus, qui ſubinde nos carendi metu exerceat: in qua cogitationis defixi materia latiſſima, quia nimis fortè amamus, ipſi nobis ſomnia mera fingimus.

NIMIS

NIMIS *imperat voci*) In aliis, reparatur, Nostri manuscr. imperatur voci.

TVSSICVLA *admonitus rursus sanguinem reddidit*) Sanguis tussiendo reiectus ex pulmonibus, reiicitur propter apertionem, vel ruptionem & erosionem venarum, quę sunt in ipsis pulmonib⁹. Id etiam fieri potest ob resudationem, quam diapedesin appellant, Gal. cap. 2. lib 5. Methodi. Sanguis ex tussi, vnde.

TVSSICVLA *admon.*) Libri manuscrip. tussicula admonetur, ausus sanguinem reddit. In quo, ausus, pro rursus, scriptum perperam.

EST *enim tam parcus*) Tam, in vet. non est.

ET *moderato*) Abest etiam à nostris membranis.

AD EPISTOLAM 20.

BITHYNI accusauerant Iulium Bassum repetundarum, qui apud eos Proconsul fuerat, in eum à Senatu impetrauerant Rufum Varenum patronum. is eãdem prouinciam sortitus, & ipse repetundarum reus factus, Vareno adfuit Plinius: contra Fõteius: concessa Bithynis inquisitio, & Vareno postulatio.

QVEM *nuper aduersus Bassum aduocatum.*) Voces duæ, nuper, &, aduocatum, non legũtur in manuscr.

LIBER *offensis*] Vet offensionis.

RESPONDIT *Fonteius plurimis verbis, paucissimis rebus*) Nempe Græcus homo, qui vt Sallust. de Catil. multum loquutiæ, sapientiæ parum haberet. Loquẽtia Græci hominis.

VT *illus sit pro copia volubilitas*) Vet. vt citò copia volubilis.

NAM *eloquentia, si M. Antonio credimus, nemini*) Quod apud M. Tullium disputatur, 1. de Orat. dicebat enim ille se disertos vidisse multos, eloquentem neminem.

IMMO *si M. Antonio credimus, nemini*) Sic cod. man. Iam non sumus Antonij, credamus nemini.

ACCVSATORIBVS *quæ petebant*) Vet. actoribus quæ petebant.

NEC *lege comprehensam*] Vet. negligenter comprehensam.

NEC *satis vsitatam*] Al. subsistẽtem. Vet. nec satis suis tantùm iustam.

HOMERICVM *illud*;

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέλεται)

Ex Odyss. α. hoc est, Eam cantionem lubentiùs homines audiunt, quæ recentissima sit: verba Telemachi. Quale illud Pindari, Αἴνει παλαιὸν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων: quo ait, laudandum quidem vinum vetus, at etiam nouorum hymnorum flores in laude esse. Et id alio iam loco me adnotasse memini.

APVD *te prouidendum est*) Vet. à te prouidendum.

PRAECERPAM) Al. perdam: in nostris membr. prætercam.

AD EPISTOLAM 22.

Agitur hîc de Nepotis edicto, vt seruaretur Senatusconsultum, quo cauebatur, ne quis ante actionẽ pecunias vel acciperet, vel etiam pacisceretur: quòd ipse in quorumdam reprehensionem veniebat, ab aliis commendabatur.

Sedebant *iudices*) Sedere iudicum est, stare oratorum, seu patronorum. Iustinian⁹ Nouel.8. Sedebant, ait, pedanei iudices cõtinuè & nunc & in basilica, in quibus & tũc domunculis iudicant. Datũ est eis hoc priuilegium, ni cogantur aut sedere cum iudicibus, cum iudicant; aut stare rursus tãquam litigantes. Martian.l.7. D. quod met.causa. confestim autem pro tribunali sedentem adiit. Sic in l.2 ad S.C. Tertul. Sedere dicitur Prætor, c onfestìm autem sic accipiendum, cùm primùm potuit, id est Prætoris habuit copiam ad hanc rem sedentis: & l.7.de in integr.restit.confestim autem pro tribunali te sedente adiit, Bonif.in ca.fin.de senten.& re iudic.in 6. Sententiam quam scriptam edi à iudice litigatoribus non recitari, vel quam ab ipso stando, non sedendo proferri contigit; nullius penitus est momenti. Gell lib. 7.de Scipione, quodam die in castris sedens, ius dicebat. Cic pro Rabir. Posthumo: Accusaui de pecuniis repetundis, iudex sedi: & alia sexcenta. Sedere iudicum est.

Centumviri *venerant*] In aliis est, decemuiri: quod ex characterum mendo erratũm.

Observabantur) Al. obseruabãtur.

Nunquam *ita sum paratus vt non mora læter*) Vet. vt non morari ter. Quo quis erudi-

tior, ſuíq; nominis ſtudioſior, eo ſe paratiorem præſtat ad neceſſaria vitæ obeũda officia: præſto eſt exemplum Tull. Cic. qui cùm accepiſſet à ſeruo ſuo, quem in curiã miſerat, dilatum eſſe iudicium in diem ſequentem, in quo patronus futurus eſſet, tanto gaudio geſtiit, vt eum, eo accepto, nuncio, ſeruum manumiſerit.

QVI *curua corrigerent*) In alio, cuncta corrigeret.

PERACTIS *tamen negociis permittebãtur*] Hæc deſunt in vet.

REPRIMIT *fœdiſſima pactiones*) Cod. vet. nouiſſimas.

EST *omnino iniquum*) Vet hab. inimicum.

Conſilia euentu non æſtimanda.

EST *enim omnino iniquum, vel vſu receptum, quòd honeſta conſilia vel turpia, prout malè, aut proſperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehendũtur*) Pro, probantur, al. leg. procedunt. Celebratur illud Euripidis, vt opinor.

Τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν, Ei res ſecundæ ſunt, eundem & putamus ſapere. Pind. Olymp. 5. ἐν δ᾽ εὐλόντες σοφοὶ καὶ πολίταις ἔδοξαν ἔμμεν. Voti cõpotes, & quibus arridet fortũna, ſapere videntur omniũ iudicio. Cic. pro Rab. Poſth. Hoc plerũque facimus, vt conſilio euentus ponderemus: & cui bene quod proceſſerit, multum illum prouidiſſe; cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus. At Ouid. in epiſt.

Exitus acta probat, careat ſucceſſibus opto
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

ITA *vel probantur*] Hæc non leg. in man.

INDE *plerumque eadem facta modò diligẽtiæ, modò vanitatis, modò furoris nomẽ accipiunt*) Ac-

ſunt à vet. hæc, modò diligẽtię, modò vanitatis. Atqui abſurdum eſt, ait Sidonius lib. 4. epiſt. 6. ſi cœptis audacibus aduerſetur euẽtus, conſurgere in querimonias, & inconſultarum diſpoſitionum culpabiles, exitus, ad infamanda caſuum incerta confugere.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. VI. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

SIGNIFICAT angi se Tironis desiderio, quem ideò ad se venire rogat.

IPSA *loca in quibus vnà esse solemus, acrius me tui commonent*) Quàm loca desiderium augeant, Poëtæ rerum, sed maximè affectuum mimi passim exprimant, exempla sunt multa in Heroidum epistolis Ouidianis: sed præsto nobis occurrit elegans Tullii locus 2. de Legib. Mouemur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum quos diligimus aut admiramur, adsun vestigia. Cui Ciceronis loco adiungo lubens & illud Senecæ ex epistol. 50. Est quidem mihi Lucilli, supinus & negligens, qui in amici memoriam ab aliqua regione admonitus reducitur: tamen repositũ in animo nostro desiderium, loca interdum familiaria euocant, nec extinctam memoriã reddunt, sed quiescentem irritant; sicut dolorem lugentium, etiamsi mitigatus est tẽpore, aut seruuli familiaris amissio, aut ve-

ſtis, aut domus renouat. Ecce Campania, & maximè Neapolis ad Pompeiorum tuorum conſpectum incredibile eſt quàm recẽs deſiderium tui fecerit. Totus mihi in oculis es, cùm maximè à te diſcedo, video lacrymas combibentem, & affectibus tuis inter ipſam coërtionem exeuntibus nobis ſatis reſiſtentem, &c.

ACRIVS *me tui commonent*) Alij cod. acrius metus commouent.

QVODQVE *propius acceſſeris*) Vet. quóq; prop. acc.

IMPATIENTIVS *careas*) Alij cupias.

SIMILES *his epiſtolas*) Tò his, in vet. abeſt.

AD EPISTOLAM. 2.

ACTIONEM Reguli, quem & multis locis iam antea inceſſit, & agendi morem ſuo ſæculo receptum notat.

M. *Regulum*) Meum Regulum, in vet. ſed non ita rectè.

SED *tamen à magno*) Et magno. vet.

IAM *illa*) Vet. tam illa.

QVID *denique iucundius*) Al. quid enim iucundius.

BENEFACIT *Regulus, quòd eſt mortuus, melius ſi ante*) Id non ſine ſtomacho, cùm ad hominum, ſed Reipub. maximè commodũ expediat, impuros ac ſceleſtos rabulas Regulo imprimis ſimiles, viuentũ albo eximi.

NVNC *etiam ſanè poterat ſine malo publico viuere, ſub eo principe ſub quo nocere non poterat*) Argutum hoc ſanè noëma, Reguli extremam

Sine malo publico viuere improbi non possunt.

improbitatem arguit, dúoque quasi membra suo ambitu cōplectitur, i. sine malo publico nefarium hominem viuere non posse, quales patriæ pestes, vomicas & carcinomata Græci Romanísque scriptores appellant: ij cùm nihil non sceleris animo cōcipiant, non possunt sine maximo patrię malo viuere sub bonis principibus, cùm quæ sub tyrannis viguerat, improbitatem debilitari, frangíque, nec iam habere nocendi vim, nō minùs quàm serpentes ferūt sub vmbra fraxini, aut ranas in sicca palude semineces.

O *Regule*) Malim, ô Regulum, vt in excēp. manuscr.

QVANTVM *quis plurimum postulat*] In ali. quātum quas plurimum temporis postulat: tantum de eo qui docet, sed quantū quis plurimum postuiat.

Iudicis officium.

AQVAE *&c.*) Al. addo etiam.

PRAESERTIM *cùm primùm religioni suæ iudex patiētiam debeat, quæ pars maxima est iustitiæ*) Puto alludi ad vetus illud, *μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς*: Ne de lite pronuncies, nisi vtramque partem priùs audieris. Tertul. Apologe. Respondēdi, altercandíque potestas patet, quando nec liceat inauditos & indefensos omnino dānari. Huic conuenit l. 1. C. de condemn. reis. Et veterum consuetudo, qui reos nisi auditos condemnabant quia qui essent inauditi, haberentur pro indemnatis, vt tradit Valer. Max. cap. de sapienter dictis aut factis. Notum id è Solonis elegiis, *ἄρχων, ἄκουε καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως*; Magistratum gerēs; audi & iusta & iniusta. Et rectè quidem Græci iu-

dicem, δικαστὴν quasi διχαστὴν appellant, vt δίκαιον quasi δίχαιον, hoc est diuisum, quòd duobus inter se diffidentibus & diuisis medius sit, quasi honorarius arbiter cōstitutus. Qua ratione putem apud Thebanos iudicum imagines fuisse, qui trūcatis essent manibus; principem autem Senatus captum oculis, quod Plut. attigit de Iside & Osiride, quare Cic. ad Fratr. de Reipubl. administratione. Constantia est adhibenda & grauitas, quæ resistat nō solùm gratiæ, verùm etiam suspicioni. Vlp. l. generaliter. 24. §. quod si legatum. D. de fidei c. libert.

Δικαστὴς vnde dictus iudex.

Thebanorum iudicum effigies.

S E D *satius est, & hæc dici, quàm dici nō necessaria*) Multa dicenda oratori, non pauca etiā interdum subticenda: quędam dicuntur, iterantúrque ad inculcandum infigendúmque auditorum animis, quæ statim effluunt, nisi subinde variato dicendi genere quasi reponantur: at non necessaria prætermittenda sunt, quæ plus sæpe nocent, vt in dialogis oratoriis & Partitionibus Cic. docuit.

Dicenda tacenda oratori.

C V P I S *emendari quæ corrigere difficile est*) Et hæc quidem γνώμη haud obscurè significat, τὸ emendare aliquid esse minus, quàm corrigere; quanquam id discrimen non semper agnoscant auctores Latinitatis.

Corrigere emendare.

R E S P I C E *domus nostras*) Abest à vet.

N O V I *nihil*) Nonnihil, vet.

M I H I *& gratiora sunt bona quod perseuerāt, & leuiora incōmoda quod assuent*) Duę gnomæ simul & vno fasce complexæ, i. Bonùm eo melius & iucundius, quò sæpius repetitum: nec rectè bonum est nisi ἐν ἕξει, & quod per-

Bonum quale.

seuerantia comprobarit, & incommoda leuiora fiunt assuetudine, aliquóque vsu, quod libris de Moribus præclarè disputatur ab Aristot. & ita passim apud Senecam; vt nullam materiam vberiorem habeat.

AD EPISTOLAM 3.

COMMENDATORIA est àgri, quem nutrici suæ donarat: monérque Verum agriculturæ addictum, non modò cultus agri, sed maximè doni meminerit.

COMMENDARI *tibi à me memineris, non terram & arbores, sed munusculum meum*) Vt in parœmia veteri, ξενίων θυμὸς ἄριστος: animus est munerum optimus, nempe, nō tam ipsum quod donatur, gratum haberi debet, quàm donantis animus. Martial. ad Marcum lib. 10.

Animus munerũ optimus.

Vilior hæc nobis alio mittente fuissent:
Non quacunque manu victima cæsa litat.
A te missa venit, possem nisi munus amare,
Marce tuum, poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, & nomine gratius ipso
Officium docti, iudiciúmque viri.

Idem lib. 8. ad Domitianum;

Diligeris populo non propter præmia Cæsar,
Propter te populus præmia Cæsar amat.

AD EPISTOLAM 4.

QVERITVR sibi non dari facultatem secedendi in Campaniam cum vxore

Calphurnia, cuius abſentis nomine, quàm ſit variè ſollicitus, amiciſſimè monet.

IN *Campania*) In Campaniam.

CORPVSCVLO *acquireres*] Al. appareres

INOFFENSA *transmitt.*) Inoffenſa valetudine, vet. libri habent.

EST *enim ſuſpenſum & anxium de eo quem ardentiſsimè diligas, interdum nihil ſcire*) Amiciſſimi animi argumentum: & quidem verus & conſtans amor comitem ſemper metum habet, éſtque maximè ſuſpicax. Quam eandem amoris teſtificationem aperit, & locis aliis noſter hîc, de amicorum ſalute quàm maximè ſollicitus. Signum amicitiæ.

VEREOR *omnia, imaginor omnia*) Poſterius hoc, imaginor omnia, non leg. in cod. vet.

VEREOR *omnia, imaginor omnia, quæque natura metuentium eſt, ea maximè mihi quæ maximè abominor, fingo*) Expolitio ſententiæ proximæ, qua animi affectũ egregiè depingit, vt qui amici cauſa omnia tuta timeat, nihílque non fingat quod ſiniſtrè poſſit amico homini accidere. Eundem affectum videtur Ouid. expreſſiſſe in ſua Penelope, his ſanè verbis: Abſentis amici deſideriũ.

Quando ego non timui grauiora pericula veris?
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros,
Nomine in Hectoreo pallida ſemper eram.
Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore victũ,
Antilochus noſtri cauſa timoris erat.

AD EPISTOLAM 5.

VBI Varenus obtinuisset, vt sibi testes pro defẽsione liceret enarrare, Nepos Licinius petiit, vt legi de repetundis adiiceretur, liceret reis denunciare testes: cui multi reclamarunt, sed imprimis Iubentius Celsus, vt ad lites vsque processum sit.

Lex ambitus & repetundarum.

ADDIDIT *petendum à Consulibus, vt referrent sub exemplo legis ambitus, de lege repetundarum, an placeret in futurum, ad eam legem adiici*] Nihil hîc necesse de legibus ambitus, aut repetũdarum dicere: de quibus nostri multa satis, vt Paul. 5. recept. sentent. tit. 30. l. vn. D. ad l. Iul de ambitu. De pœna ambitus variant Sueton. in Augusto, & Dio. de repetundarum iudicio. l. 7. & fin. C. ad l. Iuliam repetundarum.

CVPIDITATE *audiendi cursitabant*) Cursitantem, vet.

AMICORVM *loquacitas fuit*) Illud fuit, in vet. non est.

AD EPISTOLAM 6.

FVNDANVM precatur Romam veniat, vt suffragio suo Iulium Nasonem honores petentem iuuet.

FVNDANO) vet. Fundanio.

QVOS *tunc frequentabam Quintilianum & Nicetam*) Al. Niceam: & quidem absunt à vetustîs hæc, Quintilianum & Nicetam

ſacerdotem ventitabat.

IPSI *enitendum & elaborandum eſt*) In mēb. ſic: ipſi laborādum eſt: abſunt enim, enitendum &c.

VT PRIMVM *ſibi ætas iudicare permiſit*) Ætas in vet. non eſt.

ANTE *cum fratre*] Vet. ante cum patre.

AD EPISTOLAM 7.

RESPONSORIA eſt ad Calphurniam vxorem in Campania ſecedentē, cuius ſe quàm maximo teneri deſiderio fatetur.

E o *magis ad deſiderium tui accendor*) Amanti homini nihil ſatis feſtinatur, vt & neque venti, neque remi vlli vnquam ſatisfaciant. Plaut. Pœnulo, *Homo amans properat omnia.* Idem Ciſtellaria, *Spiſſum iſtud amāti eſt verbum, Veniet niſi venit, amatori cupienti.* Eò reſpexit Horat. cùm ait ad Mecœnatem, Deſiderāti nihil ſatis feſtinatur.

——vt nox longa quibus mentitur amica,
Sic mihi tarda fluunt ingratáque tempora quæ ſpem,
Conſiliúmque morantur agendi gnauiter.

Huc epiſt. Senecæ 40. & 48.

FOMENTIS *meis*] Tò meis, in vet. non eſt.

LICET *hoc ita me delectet, vt torqueat*] Non conſtat amor ſine aliquo metu, vt paulò antè, quod & noſtri aiunt: & quāquam amoris monimenta quædam coram poſſint abſentis amantis tædium fallere, ipſa tamen rei amatæ delectatio, neſcio quomodo torquet, vt ex ea ſibi animus minimè ſatisfiat. Qui ſperat, metuit.

AD EPISTOLAM 8.

Rogat Maximum Priscus vrgeat Valerij Vari heredem reddere pecuniam cum vsuris, quam Attilio Varus debebat.

Qvis *enim illum spectatior*) Illo spect. vt in vetust.

Amor à teneris ann s. Qvi *est flagrantißimus amor amari adolescentuli cœpimus*) Amor ille qui cœperit à teneris flagrantior esse solet, & alioqui tenacior, vt qui vnà cum ætate adoleuerit, & firmiores egerit radices, quàm qui impetu aliquo, casu ve momentaneo conciliatur, de quo præclarè Cic. in Lælio.

Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος κ, ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, &c.) Hoc est, Nemo viuente me, & luce fruente, ex 1 Iliad.

Alieni abstinens. Homo *est alieni abstinentißimus, sui diligens, nullis quæstibus sustinetur, nullus illi nisi ex frugalitate redditus*) Præclarum hoc innocentis hominis (eo enim maxima laus censenda, quia inter non perfectos viuimus) elogium ex abstinentiæ laude, studij inculpati rei familiaris, & frugalitatis.

Nvllvs *illi nisi ex frugalitate redditus*] Illi nisi, abest à vet. incuria, vt opinor, librarij.

Ne *in bilem & amaritudinem vertat iniuria, quam vim habeat offensus*) Expressit illud Hor. Serm. 2. Sat. 2.

Dulcia in bilem. *Dulcia se in bilem vertunt, stomachóque tumultum*
Lenta feret pituita---

Non *feret magnum & liberum ingenium cum cõtumelia damnum*) Quorum alterutrum fer-

re, graue: vtrumque, grauissimum, penéque δυσάλωτον: bene ille apud Comicum: Damnū cum contumelia.

Facile conuicium fero, dum absit contumelia.

Vt Cic. 3 in Verrem: Etiámne hæc tot detrimenta atque damna, cùm te maximis iniuriis, contumeliisque perferret? Et Plinius libr. 2. epistol. 12. Quid miserius quàm exceptum & exemptum honoribus Senatoriis, labore & molestia non carere, quid grauius quàm tanta ignominia affectum, non in solitudine latere, sed in altissima hac specula conspiciendum se, monstrandúmque præbere?

MEAM *contumeliā indicabo)* Al. vindicabo.

AD EPISTOLAM 9.

TACITVS Candidatum Secundo commendarat: is respondet iam sibi commendatum satis, vt qui itidem facturus esset, si Roma abfuisset.

NASONEM *mihi, quid si meipsum?)* Respexit ad illud veterum φίλος ἕτερος αὐτός, qui amicitiam nihil aliud esse quàm ἰσότητα dicerent. Seneca 48. epist. Nō sum amicus, nisi quicquid agitur ad te pertinens, meum est. Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia: nec secundi quicquam singulis est, nec aduersi; in commune viuitur. Amicus alter ipse.

HABET *hoc solicitudo quod omnia necessaria putet)* Quippe amor vehemens modum nescit, vt qui plus diligentiæ ac studij adhibeat, minus iudicij ponat. Amor vehemens.

AD EPISTOLAM 10.

QVERITVR absolutum nondum sepulcrum Virginio Rufo, laudatissimo homini, quamquam iam ante annos decem mortuo.

Querela de egregus viris sepulchri honore carentibus.

NEGLECTVM *cinerem sine titulo, sine nomine iacere.*) Ita Lucanus 8 libro conqueritur nullum Pompeio magno exstructum tumulum,

Notáque ne bustum religato fune moueret,
Inscripsit sacrum semiusto stipite nomen,
Hic situs est Magn⁹: placet hoc fortuna sepulcrũ
Dicere Pompeii, quo condi maluit illam,
Quam terra caruisse socer temeraria dextra,
Cur obicis magno tumulũ, manésque vagantes,
Includis?

Cui & adiungo Martialis de Pompeio eodem cenotaphium.

Pompeius iuuenes Asia atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Lybies, si tamen vlla tegit.
Quid mirum toto si spargitur orbe? iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

Apud Caietam in sepulcro marmoreo æneáque vrna hæc inscripta reperiuntur Scipioni Africano,

Deuicto Annibale, capta Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam,
Respice res hominũ, quàm breuis vrna premit.

Legi & in veterum epigrammatis,

Marmoreo in tumulo Licin⁹ iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo: credimus esse Deos?

Sed hi, & similes hominum ciuilium questus. verùm poëtæ non omnino malè putarunt, facilem iacturam sepulcri, & præter eos, opinionem vulgarem retundit Seneca morum censor acerrimus; sic epist. 92. Non est quod nos tumulis metiaris, & his monumentis quæ viam disparia prætexunt. æquat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur.

AD EPISTOLAM II.

COMMENDAT Fuscum Salinatorem & Numidiũ Quadratum, adolescentes nobiles, quòd apud vrbis præfectum cum summa laude egissent.

IVVENES *duos*] Duos, abest à vet.

OS *Latinum*) In aliis, planum.

QVOD *& ipsi me vt rectorem*) Quòd ipsum rectorem vt magistrum intuebãtur, etiam qui audiebant.

DIEM *mihi notandum candidissimo calculo*) Persianum id cuique puto notum iam satis supérque; Dies natalis.

Hunc Macrine diem numera meliora lapillo,
Qui tibi labentes apponat candidus annos.

Et adagium, Albo calculo notare, sumptum è more Thracum.

MELIORES *esse quàm me velint*] Modestè hic aculeus postremò affigitur, ne quid impensius sibi ipsi tribuisse videatur.

AB *iisdem teste te peto*] Ac eosdem testes peto.

PVTANT) Vet. putabunt.

AD EPISTOLAM 12.

AIT se suscepturum Prisci defẽsionem, sibíq; gratas fore obiurgationes pro-soceri Fabati protestatur.

VECTIO *Prisco*] Al. Bettio Pris. In aliis etiam Betitio.

CVM *sic exegeris*] Egeris, vt vet.

QVOD *tu curare*] Vet. curari.

AD EPISTOLAM 13.

PVarenus obtinuerat, vt sibi liceret testes euocare: conabantur Bithyni Senatusconsultum euerti à Traiano principe, sed ab eo sunt ad Senatum remissi.

LABORIOSVM *& exercitum*] Al. laboriosè exercitum. Sunt & qui legant, tam laboriosum & exercitum.

ATQVE *etiam absenti*] Al. absẽte, sed alij absentem.

Res inte-gra. SINGVLOS *enim integra re dissentire fas esse: peracta, quod pluribus placuisset tuendũ*] Quid sit re integrà facere, aut non facere, dissentire, &c. ex Iurisconsultis didicimus, vt l. 1. §. cœpisse. D. de pollicit. c. vbi maius. de elect. lib. 6. vt rebus in eodem statu manẽtibus. l. quòd si minor. D. de minorib. vel postquàm res iudicata sit, non licere vel iudici ipsi, vel litigantibus id quod iudicatum sit, in dubiũ reuocare, satis supérque iidem. Res iudi-cata.

ACILIVS *tamen*] Al. tantùm. al. tamen

rursus.

QVORVM *temporaria grauitas, vel potiùs grauitatis imitatio ridebatur*] Id cauillum egregiè tortum in quosdam non tam iudices, quàm iudicum simias, cuiusmodi multos subsellia nostra ferunt. Hi nullo studio politi, nulla doctrina culti, nullo vsu facti peritiores, è scholis in curiam irrumpunt, honorem magno mercati precio, mirum quãtum altè spirent, attollunt supercilia, toto vultu reliquóque corpore ita graues videri volunt, vt vel senioribus æquari sese putẽt. Quod cùm maiores nostri, vt insolẽs & planè nouum aut mirarentur, aut riderent; qui iampridẽ ferre imitatores eiusmodi assueuimus, nemo ferè ridet, sed vel ætatis huius peruersos mores, aut principum virorũ nimias sordes, aut deniq; magistratuum aliorum nimiã patientiã meritò execratur: quid enim tot noxas, tot pestes, ita dudum inter nos grassantes querimur? Hæc enim vna ferè eáque prima fundi nostri calamitas. Iudicum simiæ.

QVANTVM *in hac pugna prælij & certaminis*] Prælij &, abest à vet. man.

AD EPISTOLAM 14.

SE proximè venturum in prædium Formianum Maurico scribit, ea tamen lege, ne illi sit incommodum.

EA *conditione*] Al. ex conditione.

NEQVE *enim mare & littus, sed te, ocium, libertatem sequor*] Non quo more, & in eũ finem, quo alij qui secedunt, vel rusticantur, Loca hominum causa ada mari.

voluptatis tantùm gratia, ſed ſapientis hominis, & amici viſendi cauſa, cuius conuictu ſit ſummam animi capturus oblectationem. Eo penè ſenſu apud Ælianũ lib. 7. hiſtor. var. cap. 17. cum Eudoxo Dionyſius agere ſe gratias diceret, quòd ad ſe veniſſet, liberrimè reſpondit, ſe quidem veniſſe non Dionyſij cauſa, ſed Platonis, optimi viri, qui Dionyſij hoſpes eſſet. Idem lib. 14. cap. 17. Socrates dicebat Archelaum permultas pecunias in ſuas ædes impendiſſe, quas tamen nemo viſeret Archelai gratia, ſed ad picturas Zeuſidis intuendas.

AD EPISTOLAM 15.

Nisi ſanæ mentis auditores ad recitationem adhibendos eſſe monet.

Gentilitium *hoc*) In aliis gentile.

Dubiæ ſanitatis homo.

Priscvs, *dubiæ ſanitatis*) Stolidus parúmque ſanæ mentis, quíque aliquo animi deliquio laboraret. Sic enim verbum hoc, ſanus, & inſanus, accipi à Tullio, & Horatio paſſim: notum iis omnibus qui Latinam linguam puriorem ſciunt.

Cogita *qui riſus hominum, qui ioci, eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis*) Alij ſic: cogita qui riſus hominum, quoties omnino Priſcus dubiæ ſanitatis.

AD EPISTOLAM 16.

PLINII auunculi mortem Tacito, historiarum scriptori longè grauissimo, refert.

TACITO *suo*) Alij Cornelio Tacito.

MVLTVM *perpetuitati eius scriptorum tuorũ æternitas addet*) Cornelij Taciti laus, ab historia quam ita grauiter & eruditè puróq; iudicio scripsit, vt iam in laude esset, cùm primùm ederetur, adeò vt suæ ipse posteritati superfuerit, & non falsò sit auguratus hic noster eum, cum summa admiratione, lectum iri à posteris. Laus Cornelij Taciti.

QVANVIS *ipse plurima opera, & mansura cõdiderit, multùm tamen perpetuitati eum scriptorũ tuorũ æternitas addet*] Cod. vet. ita: quãuis ipse plurima scripserit, plura tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum æternitas addet.

BEATOS *puto quibus datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda*) Pulcrè sanè hoc & eleganter: ita Sallustius in coniuratione Catilinæ. is demum mihi viuere, & frui anima videtur, qui aliquo negocio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famã quærit. Beati qui scribẽda faciunt aut legenda scribunt.

PRAESENS *regebat* 9. *Kal. Septemb. hora dies ferè septima*) Sic vet. præsens regebat Nouemb. Kal. hora ferè septima.

VSVS *ille sole, nox frigidam gestauerat iacens*) Alij, surgit ille è Sole frigida gustata, iacẽs enim studebat.

VESVVIVM) Scribunt alij Vesuuum: alij etiam, Vesbiũ. sic & qui Vesubiũ. apud Diodor. lib. 4. οὐέσουιος, qui eum montem Phlegræum appellat. Vesuuius mons.

CREDO *cum recenti*) Vet. credo & re-

centi.

IN *latitudinem*] Al.altitudinem.

IVBET *Liburnicam aptari*] Romanis dicebantur Liburnicę,quæ biremes Liuio,nōnumquam celeres appellantur. Tranquill. in Augusto; circa montes Ceraunios vtrobique parte Liburnicarum demersa. Horat. 1.Epod.

Liburnicæ.

Ibis Liburnis inter alta nauiū amice propugnacula
Plutarch. in Catone videtur accepisse pro iis quæ non ad pugnam, sed ad præcurrendum potiùs & speculandum. sed de iis alij multa, & vereor ne in trita iam via nimiùm multus sim.

ACCIPIT *codicillos*] Paruos codices, in quib.quiduis exscriberet.

RETINA *Claßiarij*] Manusc. retinere classiarij.sed mendosè, vt ex sequ. apparet.

NAM *villa ea subiacebat*] Al.nauicula eius subiacebat.

NON *vertit ille consilium*] Nō,in vet.abest.

NON *Retinæ modo*]Al.nō retinet modum.

ERAT *enim frequens amœnitas oræ, laturus auxilium*] Vet. frequens amœnitas erat laturus auxilium,properat.

CVNCTATVSQVE *paullùm*] Vet. cunctanti paullùm.

Fortes fortuna iuuat.

FORTES, *inquit, fortuna iuuat*] Id Prouerb.Ennij est:vsurpatur à Tullio 2.Tusculana.addo illud Eueni poëtæ veteris,

Πρὸς σοφίαν μὲν ἔχειν τολμᾶν μάλα σύμ-
φορον ἐστὶ,
Χωρὶς δὲ βλαβερὴ, καὶ κακότητα φέρει.

Ait,ad sapientiam adiungendum esse auda-

ciæ seu confidentiæ quasi comitatum : quæ si seorsum soláque habeatur, nō parum detrimenti adferat. Sed id fortasse ἀπροσδιόνυσον.

STABIVS *erat*] Vet. abierat, al. mixta hîc erat.

DIREMPTVS *sinu medio*] Al. peruenerátque sinu medio. sed pro diremptus, leg. diremit.

CVRVATISQVE] Vet. turbatísque.

LOTVS *accubat*] discumbit, vt in quibusdam.

MISTISQVE *pumicibus*] Missísque pum.

ALTAQVE *incendia*) Atque incend. vt vet.

QVOD *tamen periculorum*) Al. quod tamen malorum.

ADVERSVS *decidentia*) Vet. incidentia.

VERE *persecutum*) Verè, à vet. abest.

AD EPISTOLAM 17.

NON sine stomacho in quosdam inuehit, qui amico recitanti nullo se modo in lætitiæ signum mouerant.

ARROGANTIA, *sinisteritas*] Sinisteritatis vitium videtur haud dubiè candori opponere : quam tamen sunt qui putent esse ἀπειροκαλίαν. de qua in moralibus Aristot. verum ἀπειρόκαλοι sunt inficeti, & communi sensu carentes. huc multa Plutarch. περὶ ἀκούειν. Eo verbo eodem fermè sensu vsum memini Apollinarem Sidonium libr. 2. Sinisteritas.

seuerantia comprobarit, & incommoda leuiora fiunt assuetudine, aliquóque vsu, quod libris de Moribus præclarè disputatur ab Aristot. & ita passim apud Senecam; vt nullam materiam vberiorem habeat.

AD EPISTOLAM 3.

COMMENDATORIA est agri, quem nutrici suæ donarat: monérque Verum agriculturæ addictum, non modò cultus agri, sed maximè doni meminerit.

COMMENDARI *tibi à me meminers, non terram & arbores, sed munusculum meum)* Vt in parœmia veteri, ξενίων θυμὸς ἄριστος: animus est munerum optimus, nempe, nō tam ipsum quod donatur, gratum haberi debet, quàm donantis animus. Martial. ad Marcum lib. 10.

Animus munerū optimus.

Vilior hæc nobis alio mittente fuissent:
Non quacunque manu victima cæsa litat.
A te missa venit, possem nisi munus amare,
Marce tuum, poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, & nomine gratius ipso
Officium docti, iudiciúmque viri.

Idem lib. 8. ad Domitianum;

Diligeris populo non propter præmia Cæsar,
Propter te populus præmia Cæsar amat.

AD EPISTOLAM 4.

QVERITVR sibi non dari facultatem secedendi in Campaniam cum vxore

Calphurnia, cuius absentis nomine, quàm sit variè sollicitus, amicissimè monet.

IN *Campania*) In Campaniam.

CORPVSCVLO *acquireres*] Al. appareres

INOFFENSA *transmitt.*) Inoffensa valetudine, vet. libri habent.

EST *enim suspensum & anxium de eo quem ardentissimè diligas, interdum nihil scire*) Amicissimi animi argumentum: & quidem verus & constans amor comitem semper metum habet, éstque maximè suspicax. Quam eandem amoris testificationem aperit, & locis aliis noster hîc, de amicorum salute quàm maximè sollicitus. Signum amicitiæ.

VEREOR *omnia, imaginor omnia*) Posterius hoc, imaginor omnia, non leg. in cod. vet.

VEREOR *omnia, imaginor omnia; quæque natura metuentium est, ea maximè mihi quæ maximè abominor, fingo*) Expolitio sententiæ proximæ, qua animi affectũ egregiè depingit, vt qui amici causa omnia tuta timeat, nihílque non fingat quod sinistrè possit amico homini accidere. Eundem affectum videtur Ouid. expressisse in sua Penelope, his sanè verbis: Absentis amici desideriũ.

Quando ego non timui grauiora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros,
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.
Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore victũ,
Antilochus nostri causa timoris erat.

AD EPISTOLAM 5.

VBI Varenus obtinuisset, vt sibi testes pro defēsione liceret enarrare, Nepos Licinius petiit, vt legi de repetundis adiiceretur, liceret reis denunciare testes: cui multi reclamarunt, sed imprimis Iubentius Celsus, vt ad lites vsque processum sit.

Lex ambitus & repetundarum.

ADDIDIT *petendum à Consulibus, vt referent sub exemplo legis ambitus, de lege repetundarum, an placeret in futurum, ad eam legem adiici*] Nihil hîc necesse de legibus ambitus, aut repetūdarum dicere: de quibus nostri multa satis, vt Paul. 5. recept. sentent. tit. 30. l. vn. D. ad l. Iul de ambitu. De pœna ambitus variant Sueton. in Augusto, & Dio. de repetundarum iudicio. l. 7. & fin. C. ad l. Iuliam repetundarum.

CVPIDITATE *audiendi cursitabant*) Cursitantem, vet.

AMICORVM *loquacitas fuit*) Illud fuit, in vet. non est.

AD EPISTOLAM 6.

FVNDANVM precatur Romam veniat, vt suffragio suo Iulium Nasonem honores petentem iuuet.

FVNDANO) vet. Fundanio.

QVOS *tunc frequentabam Quintilianum & Nicetam*) Al. Niceam: & quidem absunt à vetustis hæc, Quintilianum & Nicetam

sacerdotem ventitabat.

IPSI *enitendum & elaborandum est*) In mēb. sic: ipsi laborādum est: absunt enim, enitendum &.

VT PRIMVM *sibi ætas indicare permisit*) Ætas in vet. non est.

ANTE *cum fratre*] Vet. ante cum patre.

AD EPISTOLAM 7.

RESPONSORIA est ad Calphurniam vxorem in Campania secedentē, cuius se quàm maximo teneri desiderio fatetur.

EO *magis ad desiderium tui accendor*) Amanti homini nihil satis festinatur, vt & neque venti, neque remi vlli vnquam satisfaciant. Plaut. Pœnulo, *Homo amans properat omnia.* Idem Cistellaria, *Spissum istud amāti est verbum, Veniet nisi venit, amatori cupienti.* Eò respexit Horat. cùm ait ad Mecœnatem, (Desiderāti nihil satis festinatur.)

——*vt nox longa quibus mentitur amica,*
Sic mihi tarda fluunt ingratáque tempora quæ spem,
Consiliúmque morantur agendi gnauiter.

Huc epist. Senecæ 40. & 48.

FOMENTIS *meis*] Tò meis, in vet. non est.

LICET *hoc ita me delectet, vt torqueat*] Non constat amor sine aliquo metu, vt paulò antè, quod & nostri aiunt: & quāquam amoris monimenta quædam coram possint absentis amantis tædium fallere, ipsa tamen rei amatæ delectatio, nescio quomodo torquet, vt ex ea sibi animus minimè satisfiat. (Quit sperat, metuit.)

AD EPISTOLAM 8.

ROGAT Maximum Priscus vrgeat Valerij Vari heredem reddere pecuniam cum vsuris, quam Attilio Varus debebat.

QVIS *enim illum spectatior*) Illo spect. vt in vetust.

Amor à teneris annis. QVI *est flagrantissimus amor amari adolescentuli cœpimus*) Amor ille qui cœperit à teneris flagrantior esse solet, & alioqui tenacior, vt qui vnà cum ætate adoleuerit, & firmiores egerit radices, quàm qui impetu aliquo, casu vt momentaneo conciliatur, de quo præclarè Cic. in Lælio.

Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, &c.) Hoc est, Nemo viuente me, & luce fruente, ex 1. Iliad.

Alieni abstinens. HOMO *est alieni abstinentissimus, sui diligens, nullis quæstibus sustinetur, nullus illi nisi ex frugalitate redditus*) Præclarum hoc innocentis hominis (eo enim maxima laus censenda, quia inter non perfectos viuimus) elogium ex abstinentiæ laude, studij inculpati rei familiaris, & frugalitatis.

NVLLVS *illi nisi ex frugalitate redditus*] Illi nisi, abest à vet. incuria, vt opinor, librarij.

NE *in bilem & amaritudinem vertat iniuria, quam vim habeat offensus*) Expressit illud Hor. Serm. 2. Sat. 2.

Dulcia in bilem. *Dulcia se in bilem vertunt, stomachóque tumultum*
Lenta feret pituita---

NON *feret magnum & liberum ingenium cum cõtumelia damnum*) Quorum alterutrum fer-

re, graue: vtrumque, grauissimum, penéque δυσαίλασον: bene ille apud Comicum: Damnũ cum contumelia.

Facile conuicium fero, dum absit contumelia.

Vt Cic. 3 in Verrem: Etiámne hæc tot detrimenta atque damna, cùm te maximis iniuriis, contumeliisque perferret? Et Plinius libr. 2. epistol. 12. Quid miserius quàm exceptum & exemptum honoribus Senatoriis, labore & molestia non carere, quid grauius quàm tanta ignominia affectum, non in solitudine latere, sed in altissima hac specula conspiciendum se, monstrandúmque præbere?

MEAM *contumeliã indicabo*) Al. vindicabo.

AD EPISTOLAM 9.

TACITVS Candidatum Secundo commendarat: is respondet iam sibi commendatum satis, vt qui itidem facturus esset, si Roma abfuisset.

NASONEM *mihi, quid si meipsum?*) Respexit ad illud veterum φίλος ἕτερος αὐτός, qui amicitiam nihil aliud esse quàm ἰσότητα dicerent. Seneca 48. epist. Nõ sum amicus, nisi quicquid agitur ad te pertinens, meum est. Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia: nec secundi quicquam singulis est, nec aduersi; in commune viuitur. Amicus alter ipse.

HABET *hoc solicitudo quod omnia necessaria putet*) Quippe amor vehemens modum nescit, vt qui plus diligentiæ ac studij adhibeat, minus iudicij ponat. Amor vehemens.

AD EPISTOLAM 10.

QVERITVR absolutum nondum sepulcrum Virginio Rufo, laudatissimo homini, quamquam iam ante annos decem mortuo.

Querela de egregiis viris sepulchri honore carentibus.

NEGLECTVM *cinerem sine titulo, sine nomine iacere*) Ita Lucanus 8 libro conqueritur nullum Pompeio magno exstructum tumulum,

Notáque ne bustum religato fune moueret,
Inscripsit sacrum semiusto stipite nomen,
Hic situs est Magn⁹: placet hoc fortuna sepulcrũ
Dicere Pompeĩ, quo condi maluit illam,
Quam terra caruisse socer temeraria dextra,
Cur obicis magno tumulũ, manésque vagantes,
Includis?

Cui & adiungo Martialis de Pompeio eodem cenotaphium.

Pompeius iuuenes Asia atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Lybies, si tamen vlla tegit.
Quid mirum toto si spargitur orbe? iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

Apud Caietam in sepulcro marmoreo æneáque vrna hæc inscripta reperiuntur Scipioni Africano,

Deuicto Annibale, capta Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam,
Respice res hominũ, quàm breuis vrna premit.

Legi & in veterum epigrammatis,

Marmoreo in tumulo Licin⁹ iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo: credimus esse Deos?

Sed hi, & similes hominum ciuilium questus. verùm poëtæ non omnino malè putarunt, facilem iacturam sepulcri, & præter eos, opinionem vulgarem retundit Seneca morum censor acerrimus; sic epist. 92. Non est quod nos tumulis metiaris, & his monumentis quæ viam disparia prætexunt. æquat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur.

AD EPISTOLAM II.

COMMENDAT Fuscum Salinatorem & Numidiū Quadratum, adolescentes nobiles, quòd apud vrbis præfectum cum summa laude egissent.

IVVENES *duos*] Duos, abest à vet.

OS *Latinum*) In aliis, planum.

QVOD *& ipsi me vt rectorem*) Quòd ipsum rectorem vt magistrum intuebātur, etiam qui audiebant.

DIEM *mihi notandum candidissimo calculo*) Persianum id cuique puto notum iam satis supérque; Dies natalis.

Hunc Macrine diem numera meliora lapillo,

Qui tibi labentes apponat candidus annos.

Et adagium, Albo calculo notare, sumptum è more Thracum.

MELIORES *esse quàm me velint*] Modestè hic aculeus postremò affigitur, ne quid impensius sibi ipsi tribuisse videatur.

AB *iisdem teste te peto*] Ac eosdem testes peto.

PVTANT) Vet. putabunt.

AD EPISTOLAM 12.

AIT se suscepturum Prisci defēsionem, sibíq; gratas fore obiurgationes pro socceri Fabati protestatur.

VECTIO *Prisco*] Al. Bettio Pris. In aliis etiam Betitio.

CVM *sic exegeris*] Egeris, vt vet.

QVOD *tu curare*] Vet. curari.

AD EPISTOLAM 13.

PVarenus obtinuerat, vt sibi liceret testes euocare: conabantur Bithyni Senatusconsultum euerti à Traiano principe, sed ab eo sunt ad Senatum remissi.

LABORIOSVM *& exercitum*] Al. laboriosè exercitum. Sunt & qui legant, tam laboriosum & exercitum.

ATQVE *etiam absenti*] Al. absēte, sed alij absentem.

Res integra. SINGVLOS *enim integra re dissentire fas esse: peracta, quod pluribus placuisset tuendū.* Quid sit re integrà facere, aut non facere, dissentire, &c. ex Iurisconsultis didicimus, vt l. 1. §. cœpisse. D. de pollicit c. vbi maius. de elect. lib. 6. vt rebus in eodem statu manēribus. l. quòd si minor. D. de minorib. vel postquàm res iudicata sit, non licere vel iudici ipsi, vel litigantibus id quod iudicatum sit, in dubiū Res iudicata. reuocàre, satis supérque iidem.

ACILIVS *tamen*] Al. tantùm. al. tamen

rurſus.

Qvorvm *temporaria grauitas, vel potiùs grauitatis imitatio ridebatur*] Id cauillum egregiè tortum in quoſdam non tam iudices, quàm iudicum ſimias, cuiuſmodi multos ſubſellia noſtra ferunt. Hi nullo ſtudio politi, nulla doctrina culti, nullo vſu facti peritiores, è ſcholis in curiam irrumpunt, honorem magno mercati precio, mirum quãtum altè ſpirent, attollunt ſupercilia, toto vultu reliquóque corpore ita graues videri volunt, vt vel ſenioribus æquari ſeſe putẽt. Quod cùm maiores noſtri, vt inſolẽs & planè nouum aut mirarentur, aut riderent; qui iampridẽ ferre imitatores eiuſmodi aſſueuimus, nemo ferè ridet, ſed vel ætatis huius peruerſos mores, aut principum virorũ nimias ſordes, aut deniq; magiſtratuum aliorum nimiã patientiã meritò execratur: quid enim tot noxas, tot peſtes, ita dudum inter nos graſſantes querimur? Hæc enim vna ferè eáque prima fundi noſtri calamitas. Iudicum ſimiæ.

Qvantvm *in hac pugna prælij & certaminis*] Prælij &, abeſt à vet. man.

AD EPISTOLAM 14.

Se proximè venturum in prædium Formianum Maurico ſcribit, ea tamen lege, ne illi ſit incommodum.

Ea *conditione*] Al. ex conditione.

Neqve *enim mare & littus, ſed te, ocium, libertatem ſequor*] Non quo more, & in eũ finem, quo alij qui ſecedunt, vel ruſticantur, Loca hominum cauſa ad a mari.

voluptatis tantùm gratia, ſed ſapientis hominis, & amici viſendi cauſa, cuius conuictu ſit ſummam animi capturus oblectationem. Eo penè ſenſu apud Ælianũ lib. 7. hiſtor. var. cap. 17. cum Eudoxo Dionyſius agere ſe gratias diceret, quòd ad ſe veniſſet, liberrimè reſpondit, ſe quidem veniſſe non Dionyſij cauſa, ſed Platonis, optimi viri, qui Dionyſij hoſpes eſſet. Idem lib. 14. cap. 17. Socrates dicebat Archelaum permultas pecunias in ſuas ædes impendiſſe, quas tamen nemo viſeret Archelai gratia, ſed ad picturas Zeuſidis intuendas.

AD EPISTOLAM 15.

NISI ſanæ mentis auditores ad recitationem adhibendos eſſe monet.

GENTILITIVM *hoc*) In aliis gentile.

Dubiæ ſanitatis homo.

PRISCVS, *dubiæ ſanitatis*) Stolidus parúmque ſanæ mentis, quíque aliquo animi deliquio laboraret. Sic enim verbum hoc, ſanus, & inſanus, accipi à Tullio, & Horatio paſſim: notum iis omnibus qui Latinam linguam puriorem ſciunt.

COGITA *qui riſus hominum, qui ioci, eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis*) Alij ſic: cogita qui riſus hominum, quoties omnino Priſcus dubiæ ſanitatis.

AD EPISTOLAM 16.

PLINII auunculi mortem Tacito, historiarum scriptori longè grauissimo, refert.

TACITO *suo*) Alij Cornelio Tacito.

MVLTVM *perpetuitati eius scriptorum tuorũ æternitas addet*) Cornelij Taciti laus, ab historia quam ita grauiter & eruditè puróq; iudicio scripsit, vt iam in laude esset, cùm primùm ederetur, adeò vt suæ ipse posteritati superfuerit, & non falsò sit auguratus hic noster eum, cum summa admiratione, lectum iri à posteris.

Laus Cornelii Taciti.

QVANVIS *ipse plurima opera, & mansura cõdiderit, multùm tamen perpetuitati eum scriptorũ tuorũ æternitas addet*] Cod. vet. ita: quãuis ipse plurima scripserit, plura tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum æternitas addet.

BEATOS *puto quibus datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda*) Pulcrè sanè hoc & eleganter: ita Sallustius in coniuratione Catilinæ. is demum mihi viuere, & frui anima videtur, qui aliquo negocio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famã quærit.

Beati qui scribẽda faciunt aut legenda scribunt.

PRAESENS *regebat 9. Kal. Septemb. hora diei ferè septima*) Sic vet. præsens regebat Nouemb. Kal. hora ferè septima.

VSVS *ille sole, nox frigidam gestauerat iacens*) Alij, surgit ille è Sole frigida gustata, iacẽs enim studebat.

VESVVIVM) Scribunt alij Vesenum: alij etiam, Vesbiũ. sic & qui Velubiũ. apud Diodor. lib. 4. ὀυεσούιος, qui cum montem Phlegræum appellat.

Vesuuius mons.

CREDO *cum recens*) Vet. credo & re-

centi.

IN *latitudinem*] Al. altitudinem.

IVBET *Liburnicam aptari*] Romanis dicebantur Liburnicę, quæ biremes Liuio, nōnumquam celeres appellantur. Tranquill. in Augusto; circa montes Ceraunios vtrobique parte Liburnicarum demersa. Horat. 1. Epod.

Liburnicæ.

Ibis Liburnis inter alta nauiū, amice propugnacula

Plutarch. in Catone videtur accepisse pro iis quæ non ad pugnam, sed ad præcurrendum potiùs & speculandum. sed de iis alij multa, & vereor ne in trita iam via nimiùm multus sim.

ACCIPIT *codicillos*] Paruos codices, in quib. quiduis exscriberet.

RETINA *Claßiarij*] Manusc. retinere classiarij, sed mendosè, vt ex sequ. apparet.

NAM *villa ea subiacebat*] Al. nauicula eius subiacebat.

NON *vertit ille consilium*] Nō, in vet. abest.

NON *Retinæ modo*] Al. nō retinet modum.

ERAT *enim frequens amœnitas oræ, laturus auxilium*] Vet. frequens amœnitas erat laturus auxilium, properat.

CVNCTATVSQVE *paullùm*] Vet. cunctanti paullùm.

FORTES, *inquit, fortuna iuuat*] Id Prouerb. Ennij est: vsurpatur à Tullio 2. Tusculana. addo illud Eueni poëtæ veteris,

Fortes fortuna iuuat.

Πρὸς σοφίαν μὲν ἔχειν τολμᾶν μάλα σύμ-
φορον ἐστὶ,
Χωρὶς δὲ βλαβερὴ, καὶ κακότητα φέρει.

Ait, ad sapientiam adiungendum esse auda-

ciæ seu confidentiæ quasi comitatum : quæ si seorsum soláque habeatur, nõ parum detrimenti adferat. Sed id fortasse ἀπροσδιόνυσον.

STABIVS *erat*] Vet. abierat, al. mixta hîc erat.

DIREMPTVS *sinu medio*] Al. peruenerátque sinu medio. sed pro diremptus, leg. diremit.

CVRVATISQVE] Vet. turbatísque.

LOTVS *accubat*] discumbit, vt in quibusdam.

MISTISQVE *pumicibus*] Missisque pum.

ALTAQVE *incendia*) Atque incend. vt vet.

QVOD *tamen periculorum*) Al. quod tamen malorum.

ADVERSVS *decidentia*) Vet. incidentia.

VERE *persecutum*] Verè, à vet. abest.

AD EPISTOLAM 17.

NON sine stomacho in quosdam inuehit, qui amico recitanti nullo se modo in lætitiæ signum mouerant.

ARROGANTIA, *sinisteritas*] Sinisteritatis vitium videtur haud dubiè candori opponere : quam tamen sunt qui putent esse ἀπειροκαλίαν. de qua in moralibus Aristot. verum ἀπειρόκαλοι sunt inficeti, & communi sensu carentes. huc multa Plutarch. περὶ ἀκούειν. Eo verbo eodem fermè sensu vsum memini Apollinarem Sidonium libr. 2. Sinisteritas.

epiſtolarum.

NAM *qui inuidet minor eſt, denique ſiue plus, ſiue minus, ſiue idem præſtas*] Vet.cod. Fauierij: nam qui inuidet, denique minorem, ſiue plus, ſiue minus, ſiue idem præſtat.

Miſeratio peior inuidia.

QVI *inuidet minor eſt*) Ex quo vetus parœmia, qua dicitur peiorem eſſe liuore miſerationem: ſolámque miſeriam carere inuidia. ergo inuidus eſſe non poteſt, niſi qui ipſum ſe tacito iudicio deteriorem putet.

NISI *laudandus ille non eſt*] Non, ab. in vet.

EST *enim res difficilis, ardua, faſtidioſa, & quæ eos, à quibus contemnitur, dedignatur*) Inuicem.contemnit, alij legunt. Is ſtudioſorum hominum debet eſſe candor, vt eos ament, vel certè diligant, qui iiſdem quaſi ſacris initiati ſunt: Quod niſi fiat ab iis, mirum quantus inde naſcatur contemptus: immò etiam rixæ aliquādo implacabiles, cùm nihil eorum probetur, quæ fiunt ab aliis.

Candor ſtudioſorum.

BENIGNIOR *æſtimator*) Al. atteſtator.

AD EPISTOLAM 18.

POLLICETVR Sabino Firmianis patronum ſe adfuturum.

FIRMANORVM) Al. Firmianorum.

Firmiū.

Firmium apud Ptolomæum, quod Strabo φίρμον vocat: caſtellum Firmanorū Plinio, hiſt.nat.3.cap.13. Picenorū in Italia ciuitas.

Honeſta petenti nihil denegandum.

PRO *patria petentis, &c.*) Indulget pietati hominis pro patria quaſi excubātis, & amici precibus iuſta & honeſta petentis. Nihil, inquit,

inquit, honestiùs quàm præsidio esse patriæ (pro qua mori vir sapiens ne quidem dubitarit, vt inquit M. Tull.) & nihil efficacius quàm ab amico pio, benéque in nos animato rogari. Singulos enim Plinij nostri verborum ductus, & sententiarum pondera si quis propiùs aduertat, facilè reperiet quàm cordatè omnia, quàm appositè & grauiter suadendi locos explicet, interpositis Oratoriis motibus, in quibus se egregium artificem præstitit. Verùm hæc obiter. Plinij scripta qualia

AD EPISTOLAM 19.

CANDIDATI qui honores petebant, pecuniis suffragatores corrūpere soliti, lege lata repressi sunt Traiano, qui & cauit tertiam patrimonij partem conferrēt, in eáque solo tenerentur, ex quo monet Nepotem, si volet Itala prędia vendere, & in prouinciis comparare, tempus idoneum esse.

HOMVLVS *noster vigilanter*) Vet. homulus deinde noster vigilat.

DESIDERIVM *vniuersorum principi notum facerent*) Desideriū, est libellus supplex, quam requestam nostri appellant, tritum in Iure verbum, l. 4. §. ingressus l. 9 §. obseruare, de offic. Proconf. l. 1. de postul. l. 15. de off. præf. & passim Dig. Suet. Augusto cap. 53. Desiderium quid.

FOEDOS *illos (malè frigidos, vt in quibusdā) & infames ambitus lege restrinxit*) Multas iam olim latas de ambitu leges, memini me loco iam alio docuisse. Leges multæ de ambitu.

PLVRA *venalia efficiunt*) Vet. officiunt.

VT *hic emant*) Hæc absunt à meis manuscriptis.

AD EPISTOLAM 20.

TACITO significat quæ passus esset, aut quantum metuisset ardente Vesuuio, dum Miseni, cum matre ab auunculo relictus esset, in hac epistola luculenter enarrat.

MISENI *relictus*) Vet. Miseni litus.

QVAMQVAM *animus meminisse horret*] Id hemistichium cōmodè vsurpatum ex 2. Æneidos ad periculum quod euaserit exprimendum.

ILLA *verò nocte*) Vet. ille verò nocte.

IRRVMPIT *cubiculum*] Alij, inuasit in cubiculum.

CONSTANTIAM *vocare*) Vet. rogare. sed malè.

VIX *consederamus*) Alij, viam deserueramus.

Metu mortis, optare mortem. ERANT *qui metu mortis, mortem precarentur*) Quod fieri solet in magna vel trepidatione, vel consternatione: vt ille apud Martialem,

Hostes cùm fugeret, se Fannius ipse peremit,
Dic mihi, non furor est, ne moriare, mori?

Aeterna mors. ÆTERNAMQVE *illam & nouissimā noctem mundo interpretabatur*) Vt apud Virgil. ad finem 1. Georg.

Impiáque æternam timuerunt sæcula noctem.
Et Catullus,

Nox est perpetua una dormienda.

Sic enim noctem pro morte non rarò accipi videmus.

INDICIVM) Vet. iudicium.

MOX *dies verè sol etiam*) In aliis, verus sol.

CVM *deficit sol*) Alij cum deficere solet.

ABEVNDI *consilium*) Vet. adeundi.

DONEC *de auunculo nuncius veniret*) Verbum id, veniret, in vetustis non est.

NON *scripturus leges*) Alij, nos scripturos leges.

SI *digna*) Al. si dignæ.

AD EPISTOLAM 21.

MORES & doctrinam Virginij commendat, qua occasione suorum temporum ingenia, in honore se haberi cõfitetur ingenuè, secus quàm alij, qui vetera tantum suspici malunt.

SVM *ex iis qui mirer antiquos, &c.*) Pindar. Olymp. 9. αἴνει παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. Lauda, inquit, vinum vetus: flores autem hymnorum recentium. quod magis perspicuum fit verbis Lactantianis, 2. cap. 8. nec quia nos illi (veteres intelligit) temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecessisse putandi sunt; quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Pertinet huc Aristid. sophistæ, oratione de Rhetor. ὅστις ἂν κάλλιστ' ἀγωνίσηται τοῦτον στεφανοῦν, καὶ πρῶτον ἀναγορεύειν χρὴ, κἂν ὕστατος εἰσελθὼν τύχῃ. Qui pulcerrimè decertarit, hunc

Auctores recentes nō aspernandi.

coronare, primóque victorem coronare oportet, tametſi poſtremus in arenam deſcenderit: Horat.ad Auguſtum epiſt.1.lib.2. & Quintil.dialogo de Oratoribus (quem plerique Tacito tribuunt) id vberimè docent, neque virtutem aut eruditionem annis æſtimandam cenſent: qua de re & nos olim quædam non pœnitenda fortaſſe commentati ſumus.

NEQVE *enim quaſi laſſa*] quaſi, ab. à vet. in quo ſic: neque enim laſſa & effœta natura nihil tam laudabile parit.

AVDII *Verginium Romanum*] Al. audi Vergilium Romanum.

NESCIO *an noris hominem*] Vet. neſcio, mireris hominem.

Comœdiæ initiũ — AD *exemplar veteris comœdiæ*] Cuius initium inde cœpit, quod veteres Athenienſes, cum per pagos adhuc diſperſi eſſent, & agriculturæ operam darent, cum ab opere & laboribus ceſſarent, iidémque genio indulgerent, atque inter ſe dicta ridiculis iociſque referta iactarent, quod in plauſtris factitabant. Idque tandem in dicteria flexerunt, & extemporanea quædam poëmata, ex quo Satyræ & veteres ortæ comœdię. de his Horatius 1. ſermon. & de arte poëtica.

Mimiiambi. — SCRIPSIT *mimiambos*) Verſus iambici à mimis vſurpati, & mimiiābi. vnde poëtæ mimographi, & mimologi dicti; de quibus Suidas & Athenæus. Vide 6. dialogum de poëtis Lilij Gregorij.

Ornare virtutes, inſectari vitia. — ORNAVIT *virtutes, inſectatus eſt vitia*) Ex quibus alterum, an ſine altero commodè, veréque fieri poſſit, alij viderint. certè ne-

mo virtutem & animo colat, nisi qui simul vitium oderit, quo nomine grauiter apud festiuum poëtam notatur Callistratus, qui quemuis citra discrimen commendaret:

Ne laudet dignos, laudat Callistratus omnes,
Cui malus est nemo, qui bonus esse est?

Poetis *mētiri licet*) Id est opinione vulgari, quia figmenta plerique pro mendaciis habent. alia tamen mens, & aliud iudicium Lactantij Firmiani libro 1. cap. vndecimo, à poëtis totum fictum non est, quod narratur aliquid fortasse traductum, & aliqua figuratione obscuratum, quo veritas inuoluta tegeretur. dein sequitur: Multa in hunc modum poëtæ transferunt, non vt Deos mentiantur, quos colunt, sed vt figuris, variisque coloribus venustatem ac leporem carminibus suis addant. idem lib. 2. cap. 11. veros poëtas dixeram, non omnino mētiri solere, sed figuris inuoluere & obscurare, quæ dicant: non dico esse mentitos, sed primum omnium Prometheum simulacrum hominum formasse, &c. Huc pertinet Maximi Tyrij disputatio, qua quærit, vtri de Diis meliùs tractarint, poëtæ an philosophi. Poëtæ an mēdaces.

AD EPISTOLAM 22.

MONET Tironem Calestrium, sortitum Bęticæ proconsultatū, ne cui suorum facilè credat, exemplo Brutiani, qui dum in prouincia esset, déque Atticinij flagitiis ad Cæsarem scripsisset, accusatus ab eo, absolutus est, Atticinio damnato.

Κατὰ κεφάλαια

KATA' κεφάλαια.) Alij habẽt κεφαλαίων, quaſi dixeris, capitatim, vel per ſingula capita, ſigillatim: vt cùm ordine varium dixerimus, non vno faſce complectimur.

ILLE *cum diluere non poſſet, ita receſſit*) al. ſeceſſit, al. reiecit) *vt dum defenditur, turpis: dum accuſat, ſceleratus probaretur*) Sceleris accuſatio arguebat ſuſpicionem patrati flagitij: at ipſa turpitudo apparuit, ex eo quod crimen non dilueret, ſed augeret eo defendẽdo, aut improbè refellendo.

Impudẽs ſcelus.

Non enim pro ſcelerato eſt continuò habendus qui ſceleris accuſatur, ſed demum qui conuincitur. At tum turpis eſt, qui factum verum, aut impudenter, aut ignauo animo conatur refellere vel excuſare.

BRVTIANO *iuſtiſſimum integritatis teſtimonium redditum*) In aliis, præmium.

Parte inaudita quis damnandus non eſt.

PLVRIMVM *tibi credas, nec cuiquam ſatis fidas*] Sententia hęc aurea planè, ac à multis vſurpata: ſic vetus quiſpiam, μὴ πίστευε τάχιστα πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψῃ: ne crede citiſſimè, ne prius exitum videris. Epicharmi laudatur illud etiam à Clemẽte 5. Stromat. νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Ex eo multi celebrarunt ἀπιστίαν, non quidem vt omnino fidem abrogandã omnibus putarent: ſed vt nullo non loco circunſpecti veniremus. Demoſthen. enim eam vnam ait omnibus, qui ſapiunt, conceſſam à natura cuſtodiã ſalutis & fortunarum. Homerus Vlyſſem, quem prudentiſſimum facit, non alio vſum præſidio dicit, neque alia ratione terræ mariſque pericula euaſiſſe, quàm quod nemini crediderit, & callidè

Creduli tas.

ſua conſilia texerit. Heſiodus non abs re monet, vt neque fratri quiſquam adeo fidem habeat, aut etiam aliquid cum eo, vel ioco tranſigat, niſi adhibito teſte. Sanè vt vno verbo, plures in veterum libris, ipſáque vita quotidiana reperiri amicorum queſt⁹, quam inimicorum accuſationes, Ouid. 3. de Arte.

Nec citò credideris, quantum citò credere lædat,
Exemplum vobis non leue Procris erit.

Aurel. Victor in Valentiniano: Si ei infidus Romulus, quibus ſeſe, quaſi fidiſſimis prudentiſſimíſque dederat, carere, aut probatis, eruditíſque monitorib⁹ vti licuiſſet, perfectus haud dubiè princeps enituiſſet. Præclara vox Hieronymi ad Cælantiam, nihil tam inquietat animum, nihil eſt quod ita mobilem mentem ac leuem faciat, quàm facilè totum credere. Vide Dionis Chryſoſtomi Orationem ſane pulchram περὶ ἀπιστίας.

TE *quod abominor fallat*) Alij feſellerit.

QVA *tamen ne ſit opus*) Al. vſus.

NEQVE *enim eſt tam iucundum vindicari, quàm decipi miſerum*) Sententia hęc grauis ſanè & acuta, ſoluit quod dicturus eſſet Tiro, ſiquis eum feſellerit, vltionem paratam. ſatius enim eſt morbo, cùm vacat, occurrere; quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere, ait iuriſconſultus.

AD EPISTOLAM 23.

POLLICETVR ſe patronum adfuturum eius cauſæ, quam commendarat

Triarius, sub ea tamen lege, vt secum agat Cremetius Ruffo clarus adolescens.

Mos veterum in iuuenib' prouehēdis.

Mire *concupisco bonos iuuenes ostendere foro)* Is animus boni ciuis, vt boni œconomi, qui serat arbores alteri sæculo profuturas. Hic obiter aduerte morem veterem cōscribēdi in album causidicorum bonæ spei iuuenes, cuius vmbram etiam nunc videmus, obseruari in superioribus curiis iudicum. Mos ille fuit, vt ab accusatione aliqua insigni, quasi tirocinium facerent: cuius rei exēpla multa sunt apud Tullium, & Fab. lib. 12. cap. 7. quam officij partem principes viri non detrectauerunt, adeò vt ita se obsidem reipub. dare suam fidem crederentur, si improbos accusassent: quod nisi ex fiducia bonæ mentis putabatur ab iis fieri. Morem eum Plutarchus notat in Lucullo.

Magnitudini *causæ suffecturum)* Vet. satisfacturum, rectiùs aliquanto. Hæc enim vox, suffecturum, mihi valdè suspecta est, quamquam in membranis quibusdam ea legitur.

Paupertas ingenijs bonis obest.

Neque *enim tam clarum ingenium vt possit emergere nisi illi materia, occasio, fautor etiam, cōmēdatórque contingat)* Dionysius Halic. lib. 4. οὐ γὰρ ἄν γένοιτο, φρόνημα εὐγενὲς ἐν ἀνδράσιν ἀπορουμένοις τῶν καθ' ἡμέραν ἀναγκαίων. Nihil generosum sapere potest, qui quotidiani victus penuria vrgetur. Ennius,

——— multi aliquid aduentant
Quorum paupertas obscurat nomina.

Sed quid transilio Horatiana,

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Iuuenalis 7. Saty.
——— *cantare sub antro*
Pierio, thyrsumne potest cōtingere sana paupertas?

AD EPISTOLAM 24.

EXCVRRIT in communem locum de fama: rerum quarumdam vel obscurarum augeri; alias quanquam egregias obliuione deleri: idque exemplo suæ cuiusdam municipis adprobat.

QVAM *multum interest quid à quoque fiat: eadem enim facta claritate, vel obscuritate facientiũ aut tolluntur altissimè aut humillimè deprimũtur)* Ex Gellio 11. cap 4. citantur ista; Cum opulenti loquũtur pariterque & ignobiles, eadem dicta, eademque oratio æqua; nõ æquè valet, sic sæpe interest nõ tam quid, quàm à quo dicatur, quia in negotiis humanis auctoritas semper vna secum habeat vel tacitam Suadelam, cuius rei exempla suppetunt ex Val. Max. cap. de maiestate, de fiducia sui, 4. de grauiter dictis & factis, & passim. Quid à quoque fiat, interest.

AD EPISTOLAM 25.

HIC de Robusto equite, qui cũ Attilio Scauro Ocriculum vsque iter faceret, & quod nusquam comparuissent, neque de iis nuntium vllum redditum esset, pollicetur Hispano se de re omni sedulo percontaturum.

SCRIBIS *Robustũ)* Vet. scribit Robustus.

OCRICVLVM) Al. Otriculum.

ITER *fecisse*) Al peregisse.

VT *Scaurus*) Vet Carus.

PIETATE *summa*) Vet. pietate, mora etiam sagax.

HISPANO) In quibusdam est Vipsano.

AD EPISTOLAM 26.

SERVIANO gratulatur filiam suam Fusco Salinatori elocare destinanti.

Iuuenis corpore, mente senex.

COMITATE *iuuenis senex grauitate*) Egregia laus, quam & plerisque aliis tributam lego. Æschylus in ea, cui nomen fecit, septem ad Thebas:

Γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει.

Mentem senilem habet in iuuenili corpore. Pindarus 4. Pythior.

Κεῖνος γὰρ ἐν παισὶ νέος, ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς:

Iuuenis inter pueros, consiliis verò senex. Simile quid de Basilio Magno, Gregorius Nazianzenus retulit, vt de Macario Nicephorus.

CONTINGET) Al. contingeret.

AD EPISTOLAM 27.

SEVERVS consul designatus, petierat à Secundo, quid in principis honorem faciendum esset; cui respondet quam materiam sibi sumere debeat ob res notas & ma-

iores nuper ab Imperatore Traiano gestas.

TAMEN *quod sentiam, indicabo*) Al. scribam tamen quod sentiam, vel quod malim indicabo.

DVBITO *num idem*) Vet. dubito vnum idem tibi suadere.

RECORDABAR *plurimos honores pessimo cuique delatos: à quibus tunc optimus separari non alio modo magis poterat, quàm diuersitate censendi*) Et malis principibus delati honores, quibus indignissimi essent, de quibus plena antiquitatum monumenta, plenæ sapientum voces. Plinius verò noster in Panegyrico rationes in medium confert, cur mali principes æquè ac boni laudarentur; de quibus, cùm ad eum locum peruentum erit, æstimaturi sumus. Indignis delati honores.

NON *omnibus eadem placent, nec conueniunt quidem*) Γνώμη duplex: cuius particula prior, ad id respexit, suum cuique pulcrum; &, Suum cuique pulcrum.

——— *trahit sua quemque voluptas.*

altera respicit præceptum τοῦ πρέποντος, & personarum, vt ita dicam, decētiæ: quæ nos monet variādas esse laudationes aut reprehensiones pro varietate personarum. Est enim ridiculū eosdem colores, & pigmenta eadem aliis atque aliis personis tribuere. Decorū.

FACIENDI *aliquid aut non faciendi ratio cùm hominum ipsorum, tum rerum etiam ac temporum conditione initur*) Legunt alij mutatur, vtrumque rectè. Et hîc locus pulcer & elegans de circunstantiis obseruandis, in quibus versatur omnis hominum prudentia & ratio: qua de re multa grauiter Cicero 1. de Officiis. Circunstantiæ

ALIQVID *aut non faciendi*) Hæc absunt à meis manusc.

CONDITIONE *innititur*) Vet. conditio nunciatur.

AD EPISTOLAM 28.

PONTIVS excusarat se quod sibi non venisset obuius. id excusat Plin. simúlque laudat oblata sibi à Pontij seruis donaria pene vltra modum.

DICES, *me oportere tuis rebus, vt meis vti, etiã: sed perinde illis ac meis parco*) Quamquam ex illa vetere Pythagoreorum lege, πάντα τὰ κοινὰ φιλῶν, se tueri amicus possit, meminisse tamen debet in primis verecundiæ, quia, vt rectè in Lęlio Tullius: Maximum ornamentum amicitiæ tollit qui ex ea tollit verecundiam. Itaque in iis perniciosus est error qui existimant libidinum peccatorúmque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum enim amicitia adiutrix, non vitiorum comes.

Verecundia in amicitiis.

AD EPISTOLAM 29.

MONET Quadratum, quas agere causas debeat, multum studiis operæ ponat, vt paratior sit ad dicendum, quod ipse se fecisse docet.

ET *cui*) Vet. & quo.

THRASEAE] Thraseæ Pæti, viri inculpati, & malis temporibus clari, semper

Traseas Pętus.

honorifica mentio fit apud historicos. inter eum, & Neronem peracres inimicitiæ fuerunt: cui viro cum grauiter infensus Nero, nullum nõ lapidem mouit, vt eum quoquo modo de gradu deiiceret, simultatis non vna causa fuit. Nàm Thrasea senatu egressus dicitur, cum epistola legeretur de matris Agrippinæ nece, déque natali eius inter nefastos habendo referretur: deinde quia in suo municipio tragœdiam egisset, die quodam festo, qui tricesimo quoque anno celebrari solitus esset: tum quod in Iuuenalium ludicro Thrasea nõ interesset, aut non applauderet, vel operam suam assentando, vt alij, præstaret: denique quòd animum haberet alienum ab iis omnibus quæ placere Neroni intelligeret. Causæ hæ graues admodum Neroni visæ, quibus ad mortem Thrasea raperetur. ille audito indictę mortis nuncio, sibi venas abscîdit, cûmque cruor iam efflueret, Libemus, inquit, Ioui, liberatori. Dion, & Tacitus.

INDVCERETVR) Al. ducem haberent. vet. diceretur.

GLORIAE *& famæ, id est suam causam; hos terminos, quia me consuluisti, dignitati ac verecundiæ tuæ statuo*) Vet. sic nonnunquam gloriæ & famæ, idem dignitati ac verecundiæ tuæ statuo.

VSVM *esse & haberi optimum dicendi magistrum*) Quòd de stilo dicitur à Tullio 1. de Oratore sub Crassi persona, caput autem est, quid verè dicam, minimè facimus: est enim magni laboris, quem plerique fugimus, quamplurimum scribere, stilus opti- Vsus dicẽdi magister.

mus & præstantissimus dicendi effector & magister. idem repetiit. & in Orat. ad Brutum. Sic. Fab. 10. cap. 3.

SED *& illud quod vel Pollionis, vel tanquam Pollionis verum experior*) Vet. ita: sed & illud vel Pollionis accepi verissimum experior.

Exercitatio. COMMODE *agendo factum est vt sæpe agerem: sæpe agendo, vt minus commodè*) Sententiam torquet ad suum vsum, non vt vulgo putatur. Sunt enim qui volunt sępius agendo, tandem fieri vt bene agatur: vt quod sæpe fiat, aliquando commodè fiat: à quo non dissensit tamen Fabius.

Isocrates. NEC *verò Isocrati quominus haberetur summus orator, &c.*] Isocrates ἰσχνόφωνος, tenui voce fuit & verecundus, adeo vt quia os non haberet, à foro abstinuit. Cic. in Bruto 2. de Oratore, in oratore ad Brutum, Plutarchus, alij.

BAEBIVM *Nassum*) Bæb. Bassum.

INCVSTODITVM *nimis & incautum*) Vet. & cautum.

AD EPISTOLAM 30.

CONCVSSA prosoceri villa ex nimia vetustate, ait præficiendum ei esse durum aliquem & laborum patientem rusticum.

NATALES *tuos*) legitur in al. nouales.

NOBIS *ibi præstare*) Al. noui sibi.

AD EPISTOLAM 31.

De his ad Corneliam scripsit, quæ acta sunt in consilio Traiani; dum ad Centumcellas secederet, ad quod cum senatoribus aliquot vocatus erat Plinius, ad finem epistolæ portum describens eleganti & rotunda oratione.

Corneliano *suo*) Vet. Cornelio.

Hoc *loco nomen*) Vet. hoc longo nomine.

Centurionem *exautorauit*) Adulterij pœna, militiæ abdicatio, & relegatio.

Sed *maritum non sine aliqua reprehensione patientiæ, amor vxoris retardabat*) Vt qui lenocinium fecisset, l. quamuis 30. C. ad l. Iul. de adult. & l. ita nobis, eo. Lenocinium mariti.

Communiter *epistola scripta*) Veter. comiter.

Remitterent) Alij mitterent.

Nec *ille Polycletus*) Alij, Polydytus.

Nec *ego Nero*) Vet. nec ille Nero.

Cuius *tempore exacto consederat auditurus, à parte Hercillum, &c.*) Vet. cuius tempore exacto, consederat: auditurus apertè: heredum intrauerunt duo.

Conversus *ad nos ἐπίσατε, quid facere debeamus*) Subscribo doctissimo H. Stephano, cui vox non placet ἐπίσατε, pro qua substituit, κατασήσατε, siue κατασήσασθε, ex vet. exempl. hoc est, statuite, decernite.

Ex *consilij sententia*) Alij, consulis.

Adhibebamur *quotidie cœnæ: erat me-*

dica si principem cogites) Vet. adhibebamur quotidie: cœna erat modica, si principem cogitares.

Acroamata. Acroamata *audiebamus*) Hoc est, recitationem, vel narrationem aliquam, vt opinor, ab ἀκούειν, audiendo: sic enim videtur Tul. accipere in Verr. 6. & pro Licinio poeta: non me tamen fugit accipi pro musico cantu. Sic Macrob. Saturnal. Delectatus Cæsar inter cœnam symphoniacis, eos frumento tantùm donauit, cum in alia acroamata fuisset nimis liberalis.

Xenia. Xenia *sunt missa*] Munera hospitibus mitti solita, vt & verbo intelligitur, nempe ἀπὸ τῶν ξένων. Victruu. lib. 6. cap. 10 cùm essent Græci delicatiores, & à fortuna opulentiores, hospitibus aduenientibus instruebant triclinia, cubicula, cum penu cellas: primóque die ad cœnam inuitabant, postremò mittebant pullos, oua, olera, poma, reliquásque res agrestes: ideo pictores ea quæ mittebantur hospitibus, picturis imitantes, xenia appellauerunt. Et hæc quidem ille de nominis etymo, quod nomen posteà fuit acceptum promiscuè pro quocumque munere, vel honorario, vt apud Plinium nostrum lib. 5. epist. ad Valerian. vt in l. 6. D. de offic. Procons. l. vn. ne dona prouincialibus. in Cod. Theodos.

Velut *amphitheatrum*) Abest à vet.

Construuntur, *eminet iam & apparet*) Vet. construuntur eminentia, & apparet saxeum.

AD EPISTOLAM 32.

DONO dat filiæ Quintiliani nuptæ Nonio Celeri nūmūm quinquaginta millia, plus etiam donaturus, si putaret id se per modestiam patris impetraturum.

DEBET *secundùm conditiones mariti, veste, comitatu augeri*) Mulieres enim illustrantur maritorum radiis, ex l. mariti, de dignitatibus, Cod. lib. 12. & l. fœminæ, D de senat. Mulieres illustrantur radiis maritorum.

VESTE, *comitatu augeri*] Verbum istud augeri, non reperio in libris manuscriptis: quæ lectio etiam viris doctis probatur.

AVGETVR *dignitas*] Vet. agitur dignitas.

ORNATVR *tamen et instruitur*) Al. ornatus tamen instruitur te.

AD EPISTOLAM 33.

APVD Centumuiros pro Accia Variola se egisse ait, magna auditorum frequentia.

TOLLITE *cuncta, inquit, cœptósque auferte labores*) Auspicatur à carmine Virgiliano, Æneid. 8. vbi Vulcanus Æneæ arma fabricaturus suos Cyclopas deponere iubet quæcumque in manibus haberent, vt ei vni rei se totos dederent.

EXHEREDATA *ab octogenario patre*) Accia Variola fuerat à patre sene, nulla iusta causa exheres facta, quam indignitatem cùm non ferret, mouit inofficiosi querelam Accia Variola.

patrono Plinio:de qua eſt epiſt. 2. lib. 1. ad hanc verò querelam titul. Pandect. ſpectat 1.& ſequen.lib.28.& Cod.6.

QVAM *ei nouercã, amore captus, induxerat*) Non eſt,ait Caius, aſſentiẽdum parentibus qui iniuriam liberis ſuis teſtamento inducunt, malignè circa ſanguinem ſuum inferentes iudicium nouercalibus delenimẽtis, inſtigationibúſque corrupti. Vide l. 1. & 3. D. de inoff.teſtam.

COLLIGVNTVR) Al.conſcribuntur.

INGENS *vtrinque aduocatio*) Vet.aduocatorum,& numeroſa ſubſellia præſtantiam.

DVOBVS *conſiliis vicimus, totidem victi ſumus*) Duo conſilia ſunt hîc duæ iudicum decuriæ. quod autẽ dicit ſe viciſſe totidem iudiciis,id eam rationem habet, quia inter pares numero iudices ſi diuerſæ ſententiæ proferantur in liberalibus cauſis,ſecundum quod à D.Pio conſtitutum eſt, pro libertate conſtitutum obtinet: ſic enim Paul. tit. Digeſtor.de re iudicata.

DEDIMVS *vela indignationi*) Quod vnũ, vel certè maximum ex officiis oratoris; vt qui fidem facere non debeat modò, ſed & motum adhibere animis: qua de re, multa Cicer.2.de Orat.Huic ſimile quod de Aiace Ouid.13.Metamorph.

Talibus atque aliis in quæ dolor ipſe diſertum Fecerat.

Actio ſingulatum partium orationis

EAM *orationem precipuam vt inter meas,* ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος) Cic. in oratore ad Brutũ;itaque hic quem præſtitiſſe diximus cæteris, in illa pro Cteſiphonte oratione longè optima,ſummiſſiùs à principio,dein-

de dum de legibus disputat pressiùs, post sensim incedẽs,&c. ea est oratio περὶ στεφάνου, quam Cicero reliquis antepofuit, quam & Latinam fecerat, vnà cum Æschinis contra Ctesiphontem oratione, quæ ambæ interierant.

AD EPISTOLAM 34.

MVNVS gladiatorum in funere vxoris Maximi exhibitum celebrat.

CVIVS *memoriæ aut opus aliquod, aut spectaculum, atque hoc potissimùm, quod maximè funeri debeatur*] Ita in aliis, cuius memoriæ, vt opus aliquod; ita maximè funebre debeatur. De muneribus gladiatoriis, quæ in funere dari solita, & ex testamento heredem obligarent, multa apud varios. sed id omne cõplexus est nuperrimè vir politus & elegans Lipsius lib. Saturnalium, qui de gladiatoribus.

AVT *opus aliquod, aut spectaculum, atque hoc potissimùm quod maximè funeri debeatur*] Vet. ita: vt opus aliquod maximè funebre debeatur.

ILLA *tempestate detenta*) Rectè ita, non in vulgatis quibusdam, detentè.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. VII. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

HORTATORIA est ad Geminium, patienter vt morbum ferat, ídque suo exemplo, ne prauo affectu obsecundet, sed medicis pareat.

RESTITVTO *suo*) Alij libri hab. Geminio, al. Gemino. Fortasse id cognomen fuit.

Doloris impatientes. VEREOR *ne quid illi in tuos mores liceat*) Etenim sunt qui toto vitæ genere moderatissimi, nullum dolorem nisi admodum impatienter ferãt: vt quasi fortitudinis habitũ vel febriculæ occursu auelli sibi patiantur.

SCIANTQVE *si dederunt*) In alio, nescio quàm contorte, sciatisque si dederitis.

ATQVE *ita spe balinei*) Pro spe, vet. habet sæpe.

RVRSVS *non secus*) Al. versus.

HAC *epistola quasi pignore obligauissem*) Vet. sic: ipse ad eandem temperantiam astringerer hac epistola, quasi pignore.

AD EPISTOLAM 2.

IVSTO pollicetur se de scriptis suis aliquid ad eum missurum, exacta æstate.

QVAE *vix ab ociosis impetrare aliquid perituri temporis possunt*) Modeste id de suis scriptis, quæ non putat esse tanti, vt legantur ab erudito homine, certéque occupato, quasi

Carmina quæ possunt oculos, auréisque morari,
Vt Horat. ad Vinnium.

PATIAR *æstatem nobis inquietam & exercitam trāscurrere*) Puto legendum inexercitā: sin minus cōgruet verbi prioris, inquietám, cum proximè sequenti verus sensus.

ET *ideo*) Vet. & vel eò.

AD EPISTOLAM 3.

REVOCATVR ad negocia vrbana Pręsens, vt fiat ocium iucundius, negociorum intermissione.

QVOVSQVE *regnabis*) Ab. à vet.

NVSQVAM *toga feriata*) In al. quousque tog. fer.

TEMPVS *est reuisere molestias nostras*) Vrbana officia repetere, quæ vix possunt vacare molestiis. hoc quasi classico excitatur vir ocio immersus, & longioris fortè rusticationis mollitia fractus ad vrbis strepitus & necessarias procurationes.

NE *voluptates istæ satietate languescant*) Iuuenalis sic;

——— *voluptates commendat rarior vſus.*

Q V E M *reuocare conor*] Vet.euocare.

Feriandũ aliquando. Q V O D, *ſcilicet ocium, alrumpi non intermitti volo*] Eſt enim aliquando feriandum, ociãdum, & quieti danda opera, ſed non paſſim, non ſemper, neque ita remiſsè quaſi ad ludum, iocũmque te natum putes.

AD EPISTOLAM 4.

QV o s cùm primùm rei poëticæ operam dederat libros exſcripſerit, Pontio indicat.

Endecaſyllabi Plinij. E N D E C A S Y L L A B O S *meos*) Librum hunc quem etiam aliàs, vt iudicio ſuo probatum laudat, meminit & locis aliis.

V T *ipſe fateor*] Vet.ipſe patior.

T R A G O E D I A M *ſcripſi, neſcio, tragœdia vocabatur*] Lepidè id ab erudito ſanè, minimeque vano homine. quiuis enim tragœdiæ quandam imaginem adũbrate poteſt, actus, ſcenas, numeros exprimere, & alia quibus

Tragœdiæ habitus. externus tragœdiæ habitus concipitur: at materiam eam induere, qualis tragœdiam decet, nempe τὸ ἐλεεινὸν καὶ φοβερὸν repræſentare, perſonis grauibus paria verba ſenſũſque accommodare, & tanquam ſpeculũ oſtendere rerum miſerabilium, variáſque principum virorũ cataſtrophas, hoc opus, hic labor.

C V M *è militia rediens*] Al.è Sicilia.

Tiro Ciceronis. E P I G R A M M A *Ciceronis in Tironem ſuum*) Cicero ſuum libertum Tironem virum ſanè doctum & elegantem ita complexus eſt,

vt filium, quem & libros quosdam edidisse testantur veterum monimenta.

CVM *libros Galli legerem, &c.*] Versus hi Pliniani in Gallum Asinium, qui librum de comparatione Ciceronis & Plinij maioris ediderat: in quo non prætermiserat summũ Tullij amorem in suum Tironem, quem ipsemet epigrammate Tullius expresserat. Gallus Asinius.

LASCIVVM *inueni lusum*] Al. lasciuum inuenit versum.

SED *quid ego tã furiosè?*] Al. gloriosè. Vulgata lectio respicit ad poëticum furorem, quem Enthusiasmum appellant: ac si, gloriosè, legas, ad φιλαυτίαν Poëtarũ referas. Furor Poetarũ.

QVAMQVAM *Poëtis furere concessum est*) Plato triplicem furorem statuit: vnum, quẽ Poëtis Musæ immittant: alterum, quem Apollo vatibus: tertium, quem Cupido amãtibus. Certè si eum furorem tollas, & ipsam poësim omnem sustuleris. Ouidiana hæc eò spectant; Poetis furere concessum.

Est Deus in vobis, agitante calescimus illo,
Sedibus æthereis spiritibus ille venit.

Idem alibi,

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Sunt etiam qui nos numen habere velint.

NON *de meo, sed de aliorum iudicio loquor: qui siue iudicant, siue errant, me delectant*] Id ex innata Poëtis φιλαυτία, inquã, de qua & ipse & alij multa satis. Cic. 5. Tuscul. de Dionysio tyrãno, cum Musicorũ perstudiosum accepimus, Poëtam etiã tragicũ, quàm bonũ nihil ad rẽ: in hoc enim genere, nescio quo pacto magis quàm in aliis suum cuiq; pul- Poetarũ φιλαυτία.

erum est: adhuc neminē cognoui Poëtarū, quin sibi optimus videretur. Plato sub persona Socratis, cùm se mirari dixisset, quod Cephalus qui opes suo ipse sibi labore pepererat, immodicè tamē eas nō amaret; hac comparatione vsus est, ὥσπερ γὰρ οἱ ποιηταὶ τὰ αὑτῶν ποιήματα, καὶ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας ἀγαπῶσι, &c. Quem locum Arist. transtulit 4. de Morib. ad Nicom. καὶ πάντες ἀγαπῶσι μᾶλλον τὰ ἔργα αὑτῶν, ὥσπερ οἱ γονεῖς καὶ οἱ ποιηταί. Quod & apertiùs lib. eiusdem operis 9. Cic. ad Attic. 14. E Pompeianis nemo vnquam Poëta, vel orator fuit, qui quenquam meliorem quàm se arbitraretur, hoc etiam malis contigit.. Sed huic Pliniano loco conuenit Mart. illud, ex lib. 5.

Quid tamen hæc prosunt quanquam venerātia multos?
Non prosunt sanè, me tamen ista iuuant.

AD EPISTOLAM 5.

AD absentem vxorem, se magno eius teneri desiderio.

IN *imagine tua vigil exigo*) Nimirum qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

AD *diætam tuam ipsi me pedes ducūt*) Totum hoc amatorium videtur ex illo Poëtæ;

Quò te Mœri pedes? vel quò via ducit?

ÆGER, *& mæstus, & similis excluso*) Vet. denique æger victus, ac simil. excl. Et hunc ardentem quidem (quod dixerim obiter) mariti affectum in vxorem bellè Seneca expressit

expressit epist. 105.

AD EPISTOLAM. 6.

DE causa Vareni de qua iam suprà ad Traianum remisi, quam tamen Bithynij volebant esse desertam.

EGO *ad me habeo decretum*) Rectiùs, apud me. vt in quibusdam vet.

EX *diuerso liquet*) Vet. libet.

ACCEPI *non minùs interdum oratorium esse tacere, quàm dicere*) Prudēs enim orator, multa interdum præterit, vt qui locorum, vel temporum circumstantiis inseruiat: vel subticet quæ lædant, vel aliquam malam causæ suæ ingerant suspicionem: vt qui non tā veritatem, quàm probabilitatem sibi propositam habeat. Hor. Carm. 3. Interdū tacere oratoris est.

Est & fideli tuta silentio merces.

SERVIANO] Vet. Suburano.

RETRACTANTI) Al. retractandi.

SED *quo tam bene*] Al. si quid iam bene. Vet. sed quidem tam bene huius nepos.

SED *non parum calidus*) Vet. sed parum.

ROGO, *inquit, Seruiane*) Vet. rogo, inquit, Suburane.

VNVM *versum adiicere*) In al. verbum adicere.

NON *facilè me repeto tantùm consecutum assēsum agendo, quàm tu tunc non agendo, similiter nunc & prob.*) Sic in vet. Fauierij: nō facilè me repeto tantum iam adsensum agendo similiter nunc & probatum, &c.

PRO *Vareno hactenus non tacui*) Vet. libri

negatiuam non habent. Sic, Pro Var. hactenus tacui.

AD EPISTOLAM 7.

COMMENDAT amicitiæ officia mutua inter Priscum & Saturninum.

NAM *ille quoque ex amicitia tua voluptatẽ se capere profitetur, certátque tecũ honestissimo certamine mutuæ charitatis*) Amicitia virtus est, quę καθ' αὐτὸ per se, non autem καθ' ἄλλο expetitur, vt Cic. præclarè in Lælio.

ALTERAM, *vt ais ipse, finieris*) Vt ais, non leg. in vet.

AD EPISTOLAM 8.

EPISTOLAE huius argumentum, idem cum eius quæ proximè antecedit.

NEC *ad breue tempus, nã cùm virtutibus al ũdat, tũ hac præcipuè quod habet maximã in amore constantiam*) Nisi amicitia tenax est, altásque in animo radices egerit, minimè cẽseri virtutis appellatione debet, quandoquidem virtus ex sui natura τὶ ἔμμονον ἐστι, miniméq; varium & inconstans.

AD EPISTOLAM 9.

HORTATORIA est ad studia liberalia, potissimùm verò vt Græca Latinè, & rursum illa Græcè transferantur: vt lecta

repetantur, nonnũquam oratoria intermittantur, & ad historiam aut poëticen opera conuertatur.

FVSCO) Legunt alij, Tusco.

VTILE *in primis & multis præcipiunt*) Al. vtile mihi primùm, & multis præcipuè erit.

PRAETEREA *imitatione*) De qua iam nonnihil ante, & Fab. Quintil. lib. 10. cap. 2. quidpiam hic noster epist. 5.

QVOSQVE *subsequi*) Vet. quousque.

LABORIOSVM *istud & tædio plenum, sed difficultate ipsa fructuosum*) Pro tædio, studio leg. vet. Vulgatũ illud Isocratis, vt Aphthonius retulit, Virtutis radices amaras esse, fructus autem dulces: hoc est τῆς παιδείας ῥίζαν πικρὰν, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρπούς. Virtutis radices amaræ.

BELLATORIVM *stylum*) Vet. bellorũ stylum.

VT *terræ variis, mutatísque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur*] Probat lectionis, & studiorum varietatem, quę quidem quibusdam placet, & eruditis sanè viris. Senecæ displicet epist. 2. de qua quæstione quid in totum statuam, non possum nisi alio loco & pluribus dicere. Studiorum varietas.

NAM *sæpe in orationes quoque nõ historica modò, sed propè poëtica descriptionũ necessitas incidit*) Vet. sic: nam sæpe in orationes quoque non historicæ modò, sed propè poëticæ descriptionis necessitas incidit.

VOLO *carmina*] Abest à vet.

LVSVS *vocantur, sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quàm seria consequuntur*) Horat. in Arte.

——— *cur ego amicum*

Offendam in nugis? hi lusus seria ducunt.

Plinij epigramma.

V T *laus est ceræ*) Plinij epigramma quod similitudine conficitur: è cera bonus artifex non rem aliquam vnam, sed multas effingit, vt Martem, Pallada, Venerem, Cupidinem: item ex fontibus non incendium modò restinguitur; sed & inde prata irrigantur, floresque lauantur: sic ingenium erudita rerũ varietate alendum.

I V S S A *fiat opus*) Al. fingat.

P R A T A *iuuant*) Al. lauant.

Legendũ multum, nō multa.

S V I *cuiusque generis auctores diligẽter eligere, aiunt enim multum legendum esse, non multa*) Delectus auctorum prodest, cõfusio nocet: itaque certi auctores, iique non ita multi sunt in manibus habendi, vt quibusdam ingeniis assuescamus, quod Seneca disertè monet epistol. 2. & 44. his planè verbis: Lectio certa prodest, varia delectat. Qui quò destinauit, peruenire vult, vnam sequatur viam, nõ per multas vagetur: nõ ire istud, sed errare est.

A D *vitam pertinent*) Tò pertinent, in menbran. non est.

P R O V O C A T V M Q V E *est*) Al. prouulgatum.

E P I S T O L A *me extendi*) Al. epistolam extendi. Vet. epistola mea tendi.

AD EPISTOLAM 10.

QV E M euentum habuerit Vareni & Bithynorum causa, exponit.

Q V A M *dubium*) quia dubium.

A G A T Q V E *pœnitentiam pœnitentiæ suæ*)

Non reuocet decretum illud, pœnituit Varenum accusasse: lepidè dictum profectò ab homine lepido Plinio. Similis dicendi lepos apud Quintil.lib.6.cap.1.de quodam Cossutio Capitone, quem ait veritum fuisse, ne Cæsarem vereretur. Agit pœnitētiam pœnitentiæ suæ.

AD EPISTOLAM 11.

HERMES libertus Plinij, vendiderat agros hereditarios Corelliæ precio minore, idque quia non probaretur prosocero Fabato, ei suæ venditionis rationes reddit.

EX *septingentis mil.*] Al. sex septem.

IVBENTE *secerno*) Al. vincente.

HAS *epistolas Hermes*) Vel, his epistolis Hermes, vt in vet.

HAS *epistolas Hermes tulit*) Tulit, à manuſ. abest.

IVRA *sunt*) Sunt, etiam deest.

AD EPISTOLAM 12.

MINVTIO libellum mittit, hoc est accusationis vel defensionis formulam, qua amicus vtatur. epistola hæc amicè scripta & facetè, quod ipsa lectio satis arguit.

NE *tempus emendandi eum, id est disperdendi haberes*) Vet. ne tempus emendandi, nescio vti que disperdendi haberes.

Ὑμεῖς γὰρ κακόζηλοι) Οἱ ἄζηλοι, al. ἀεὶ ἰσχνοί.

VT *in eo quod annotatum inuenies*) Vt in eo, quod adnotandum adnotatúmq; inuenies. In alio, Vt in eo, quod adnotatum inuenies, ex ſupraſcripto aliter explicetur. At Fauierian. adnotatum inuenies.

SVPRASCRIPTO *explicitum*) Vet. & ſupraſcriptum aliter explicitum.

QVOD *impendi data opera*] Al. quod impendit operam.

Amicitia gratuita. NEGABISQVE *vllius precij eſſe, cuius precium repoſcas*) Quia veræ amicitiæ officium omne gratuitum, neque aliquo precio nummario æſtimãdum, vel alio quocunque metiendum, ſin aliter perit gratia, cùm repoſcitur quaſi ἀντίδωρον.

AD EPISTOLAM 13.

ARGVTA hæc breuíſque epiſtola, qua Iulij Ferocis litteras elegantes & politas eſſe oſtendit.

STVDERE *& non ſtudere*] Lepos hic ex contradicentibus videtur, ni fallor, cõplecti amicã quandã, ſi non apertã reprehenſionẽ, ſaltem tamen adiunctionem tacitam, qua amicum ſub inuolucto verborum ſcripta vel excuſantem ſua, vel commẽdantem arguat.

SVPER *omnes*) Vet. ſuper omnia.

AD EPISTOLAM 14.

DVCENTA ſeſtertia Corelliæ remittit, pro agris quos ille emerat.

ERGO *vt non solùm quod te, verùm etiã quod me deceat, aspicias*] Simile apud Plutarch. Alexandri Macedonis responsum ei in quem donum immensum contulerat: Non tam te aspicere quid donem, quàm quid me donare deceat, æquum est. Munerãratio.

AD EPISTOLAM 15.

AIT se Reipubl. negociis, & amicorum interesse.

NEGOTIA *curare*] Al. negociis, simpliciter legunt, sed verbum fuit adiiciendum aliquod, vt seruire, adesse. Et puto, alludit ad id quod suprà: curare negocium publicum, maximam esse philosophiæ & quidem partem vtilissimam.

QVOD *minus*] Vet. quo minus.

QVOD *tam iucundè*] Al. cùm iucun.

AD EPISTOLAM 16.

FABATO prosocero commendat Tironem Calestrium, vt proficiscentem in prouinciam Bæticam, eum à recto itinere Comum reuocet, eíque vindicta manumittendos seruos quosdam committat.

FAMILIARISSIME) Vet. familiarissimum.

SI *voles vindicta liberare*] Manumissionis genus per vindictam, notum ex Iurisconsultis; ex quo illud Persij sub persona Damæ cuiusdam nuper manumissi, Manumissio, vindicta.

Vindicta postquam meus à Pratore recessi,
Cur mihi non liceat iussit quodcumque volūtas.

Meminit huius manumittendi formæ Cicero in Topicis ad Trebatium: & titulus est in nostro Iure, De manumissis vindicta D. & in Cod. de vind. liberté. Eam virgam, quam Persius festucam nominat, à Vindicio seruo dictam Liuius auctor est lib. 2. & Plutarch. à vindicando tamen Grammatici deriuant. Eum enim vindicem vocant, qui seruum manumittit.

IVCVNDVM *est quod ego*) Id, quod ego; deest in vet.

AD EPISTOLAM 17.

DE recitatione hîc multa satis, tum de scriptorum emendatione.

VT *certè fugit*) Alij, vt curte fugit.

ADMONEAR) Vet. admoneat.

REQVISIERIM] Vet. requisieris.

Historia & oratio quid differant.

QVAE *non assentationis, sed fidei veritatísque comparatur*) Qua nota in primis differt historia ab oratione, tum poëtica, tum forēsi, tum philosophica. Poëtica est μίμησις, ait Aristotel. adeo vt poëtam non tam versus faciat, quàm figmentum. oratio ergo poëtæ nisi figurata sit ingeniosis figmentis penè ipsam naturā exprimentibus, poësim non facit, sed aliud nescio quid. Ex eo Lucretium, Manilium, Lucanum, non poëtas esse, sed ex iis priores philosophos; hūc verò historicum rectè asseuerem. Forensis oratio, probabilitatem sibi proponit, seu quæ similia

veris appareāt,& ad vulgi ſenſum,captúmque accommodatiora. At philoſophorum diſputationes,quamquam veritatem ipſam rerum conſectentur,aut etiam inueſtigent, non tamen eodem modo, atque hiſtorici eam tractant:cùm philoſophi pręceptis ſeu decretis; hiſtorici exemplis, illi quid verum,alij quid factum ſit, explicent:nemóque neſciat longè aliud eſſe de virtute præcipere aliquid;aliud,virtutum ſimulacra ob oculos ponere.

SCENAM *& actores*] Vet. ſcenam & actionem.

SI *quoſdam meos*] In quibuſdam,alio.

SOLICITVS *intendo*) Vet. intendo aurem.

NONNE,*ſi locuturus es cum aliquo, quamlibet docto vno tamen minus commoueris, quàm ſi cum multis indoctus?*) Facit huc præclarus Tullii locus 2. de oratore:fit autem vt quia maxima quaſi oratori ſcena videatur concio, natura ipſa adornatius dicendi genus excitetur,habet enim multitudo vim quandam talem:vt quemadmodum tibicen ſine tibiis canere, ſic orator niſi multitudine audiente eloquens eſſe non poſſit. Orator eloquentior multitudine audiētiū.

FAMILIARIOR *amicus tollendum, ipſe retinendum arbitraretur*) Vet. familiarior amicus tolleret, dum ipſe vel arb.

AD *populum prouoco*) Cuius tamen iudicium vt plurimum ſolet à ſapientibus eleuari, vt belluæ multorum capitum. Seneca epiſt. 7. & 29. itē de vita beata cap. 28. ad Gallionē initio, Plin. noſter 2. epi. 14. & 19. Sanè apud veteres imperitiæ argumentū fuit, Ad populum prouoco.

probari vulgo, vt Athen. 14. πάλαι παρὰ τοῖς ὄχλοις εὐδοκιμεῖν, σημεῖον τῆς κακοτεχνίας. adeo vt Antiſtenes non ſibi laudi verteret, cũ quis diceret à multis laudari ſeſe, τί κακὸν πεποίηκα, inquit: quia omnis honeſtæ rei peſſimus iudex ſit populus, quódque πλείονες οἱ κακοὶ. verùm oratorum, qui ſunt artifices populares idem iudicium non eſt, qui probari vulgo volunt. Cic. in Bruto; ad oratoris laudem perficiendam, vulgi approbationem requirat. Idipſum, inquit, ſummi oratoris eſt, ſummum oratorem populo videri. quare tibicen Antigenidas dixerit diſcipulo ſanè frigenti ad populũ, Mihi cane & Muſis: ego huic Bruto dicenti, vt ſoleat apud multitudinem: Mihi cane, & populo; mi Brute, dixerim: vt qui audiat quid efficiatur, ego etiam cur id efficiatur, intelligam. Idem Val. Maxim. lib. 3. cap. 7. Muſæ nihil aliud ſunt, quàm melos harmonicum: paulopoſt, apud eund. Tull. Ego quæ ſit de me opinio populi, neſcio: de reliquis hoc affirmo qui vulgi opinione diſertiſſimi habiti ſunt, eoſdem quoque intelligentium iudicio fuiſſe probatiſſimos: nec enim poſſe idẽ Demoſthenes dicere, quod dixiſſe Antimachum Clarium poëtã ferunt: qui cùm auditoribus conuocatis legeret, eos magnũ illud quod nouiſtis volumen ſuum, & eum legentem omnes prȩter Platonem reliquiſſent: Legam, inquit, nihilominus; Plato enim mihi vnus inſtar omnium eſt.

Timor, emendator acerrimus.

TIMOR *eſt emendator acerrimus*) Vet. aſperrimus. timor hîc pro verecundia, cuius

magnas esse vires, in ingenij rationibus, nemo est qui nesciat.

COGITO *quam sit magnum dare aliquid in hominum manus, &c.*) Seipsum enim subiicit omnium examini & doctorum hominum, & indoctorum, qui scriptorum aliquid in lucem edit, adeo vt antequam id faciat, sæpe vnum idémque retractare debeat, & quasi sub incudem reuocare, si velit effugere reprehensionem hominum, aut, id quod lucubrarit, posteris tradi. Arduum, aliquid scriptorũ edere.

AD EPISTOLAM 18.

CVM Plinio Caninius consultarat de epulo perpetuo Comensibus promisso, vt qui metueret ne lapsu temporis, vt omnia ferè, irritum fieret, is ergo quid agẽdum in ea re sit, monetur.

NE *dilabatur, des agros, vt publici negligantur*) Vet. sic: ne dilab. ad sacros: vt publicè negligenter eundem. mutilè id prorsus, & id negocij otiosis lubens permitto.

INGENVORVM, *ingenuarúmque*) Illud ingenuarum obreptitium est, & in manusc. meis non habetur.

EXACTORI *publico*) Alij, actori publ.

OPORTET *priuatis vtilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre*) Publica, priuatis potiora: vt in Iure l. 3. §. fin. C. de caduc. toll. Aut. res quæ Cod. Comm. de leg. Est enim quod rectè Horatius, Publica priuatis potiora.

——*sapientia prima,*

Publica priuatis secernere, sacra profanis.

AD EPISTOLAM 19.

FANNIAE morbum dolet, lectissimæ fœminæ, cuius virtutes ita numerat, vt quasi exemplar videatur ob oculos ponere sanctissimæ, patientissimæ, laudatissimęque matronæ.

Tussim vbi febris auget.

INSIDENT *febres, tussis increscit*) Alij insidens febris tussim inrecit. vet. ita: insidens febris, tussis, orexis, summa macies. Febris autem tussim ingerit, si humoribus liquefactis fluxio in pulmones fiat: quæ si ferina & acris erit, pulmones exulcerat, vnde macies seu tabes & virium summa defectio.

TVLIT *in exsilium exsilij causam*) Elegans hoc noëma: quale hoc Didûs Ouidianæ,

Præbuit AEneas & causam mortis, & ensem.

QVAM *veneranda*) Al. verecunda.

QVAS *si Deus*) Al. quæ si Deus.

AD EPISTOLAM 20.

SVMMAE inter Plinium & Tacitum beneuolentiæ, & ex studiis honestissimis, quæsitæ amicitiæ, testis epistola.

Conuitia irrita.

NEQVE *enim vlli patientius reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur*) Conuitia enim in se torta, quia putent ad se minimè pertinere, pro nihilo habent, neque succensent obtrectantibus: sicuti nec medici morbo laborantibus.

NVNC *ad te*) A te, rectiùs, vt in vet.

DVOS *homines, ætate, dignitate, propemodum æquales)* Vet. duos homines ætate, propemodum æquales.

COGOR *de te parciùs dicere, quia de me simul dico)* Qui enim impensiùs amicum, hoc est, alterum seipsum laudat, in eo sobriè agere debet, ne sub amici nomine, suas ipse laudes efferre videatur. Noster hic alio loco sub grauissimi viri persona sic: Cogor de Secundo parciùs dicere, qui nihil non ex meo consilio facit. Laudatio amici sobria.

CVM *iam tu fama, gloriáque floreres*] Vet. cùm iam tua fama, gloriáque floreret.

SERMO, *vnà nominamur)* Sermo vnus, nominamur: vt vet.

STATIM *occurro)* Vet. statim occurrit.

NAM, *hoc ego primus)* Al. nam in hoc ego primus.

EADEM *legata & quidem pariter accepimus)* Absunt hæc à manusc.

AD EPISTOLAM 21.

AIT se parere amici consilio valetudine oculorum impeditum; tum de gallina missa iocatur.

ET *non stilo)* Vet. & hic non stilo.

INTERIORIBVS *fenestris)* Al. inferioribus fenestris.

fuisse & eundem inculpatum, qualis Cato Vticensis à Plutarcho: Piso ille, qui à Galba fuerat adoptatus, à Cornel. Tacito.

SOLERE *spectare pantomimos, sed cùm factura esset alterutrũ, semper nepoti suo præcepisse, abiret, studeretque*) Iuuenal. Satyr. 14.

Debetur puero reuerentia

——— velocius & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica:

Et dein,

Nec dictu fœdum, visúque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est: procul hinc procul inde puella
Lenonum & cantus pernoctantis parasiti,
Maxima debetur puero reuerentia, siquid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos.

Quàm multis id exaggeret Cicer. in Verrem 3. & 5. dicere longum esset. vide Val. Max. de Nota censoria.

EXVLTABANT, *plaudebant*] Id alterum, plaudebant, in manusc. non est.

QVI *non spectabat*) Vet. non suspiciebat hæc: quia soles si quid accidit noui non inuitus audire.

IVCVNDVM *est mihi*) Al. sic: iucundum est, in hoc.

HAEC *scripsi, quia soles si quid incidit noui inuitus non audire*) In vetust. cod. ita reperi: quorsum hæc? quia soles, si quid incidit noui non inuitus audire.

C. Cassi'.

QVOD *domus etiam C. Cassij*) Is Iurisconsultus fuit ex vetusta Rom. familia, is est Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, Sulpitij Seruij neptis, qui prope hereditariam Iuris ciuilis scientiam exercuit, cúm proauum Sulpitium, Tuberonem auum, maternos habuerit. huius honorifica men-

tio apud Pompon. de Orig. Iuris initio Pādectarum.

AD EPISTOLAM 25.

ADMIRATVR ingenium Terentij Iunioris, qui quanquam vitam priuatā & paganicam ageret, expeditam tamen eloquentiam vtraque lingua, vir multiſcius contineret: qua occaſione nōnullos ait eſſe qui priuatim degentes vel pudore, aut modeſtia, vel etiam ocio ſubtrahuntur famæ.

AVT *modeſtia ipſorum*) Quorumdam nempe is pudor eſt, vt quanquam multa norint, multúmque ſapiant, vt ſuæ Reipublicę permultùm eſſe vſui poſſint, ſic tamen in ſua pellicula continentur, vt in tacito ſinu gaudere malint, quàm cum periculo in aliqua nominis celebritate verſari. Sed ex iis alios fortuna deſtituit, ait, conſilio, certóque animi propoſito ſibi viuunt, ſtántque gratis, & cum ſilentio; quod ait Martialis, neque ab aura populari pendent. Id tamen inſtitutū vitæ, alioqui quietum & tranquillum laudatur paucis, probatur ferè nemini, quia nemo magni ducitur, niſi aliquem in ſua ciuitate locum occupet, quo ſe vindicet à vulgi contemptu, & nemo omnium ſatis putatur ſcire, niſi qui imperij aliquid in alios habeat. & id vnum eſt ſapere, quod Pudor quorundam ſtudioſorū.

Maxima pars hominum morbo iactatur eodē.

SVNT *enim vt in caſtris, ſic etiam in litteris noſtris plures cultu pagano, quos cinctos & armatos ardentiſsimo ingenio inuenies*) Mihi videtur

VT *in eo quod annotatum inuenies)* Vt in eo quod adnotandum adnotatũmq; inuenies. In alio, Vt in eo, quod adnotatum inuenies ex suprascripto aliter explicetur. At Fauierian. adnotatum inuenies.

SVPRASCRIPTO *explicitum)* Vet. & suprascriptum aliter explicitum.

QVOD *impendi data opera*] Al. quod impendit operam.

Amicitia gratuita.

NEGABISQVE *vllius precij esse, cuius precium reposcas)* Quia veræ amicitiæ officium omne gratuitum, neque aliquo precio nummario æstimãdum, vel alio quocunque metiendum, sin aliter perit gratia, cùm reposcitur quasi ἀντίδωρον.

AD EPISTOLAM 13.

ARGVTA hæc breuísque epistola, qua Iulij Ferocis litteras elegantes & politas esse ostendit.

STVDERE *& non studere*] Lepos hic ex contradicentibus videtur, ni fallor, cõplecti amicã quandã, si non apertã reprehensionẽ, saltem tamen adiunctionem tacitam, qua amicum sub inuolucro verborum scripta vel excusantem sua, vel commẽdantem arguat.

SVPER *omnes*)] Vet. super omnia.

AD EPISTOLAM 14.

DVCENTA sestertia Corelliæ remittit, pro agris quos ille emerat.

ERGO *vt non solùm quod te, verùm etiã quod me deceat, aspicias*] Simile apud Plutarch. Alexandri Macedonis responsum ei in quem donum immensum contulerat: Non tam te aspicere quid donem, quàm quid me donare deceat, æquum est. Munerã ratio.

AD EPISTOLAM 15.

AIT se Reipubl. negociis, & amicorum interesse.

NEGOTIA *curare*] Al. negociis, simpliciter legunt, sed verbum fuit adiiciendum aliquod, vt seruire, adesse. Et puto, alludit ad id quod suprà: curare negocium publicum, maximam esse philosophiæ & quidem partem vtilissimam.

QVOD *minus*] Vet. quo minus.

QVOD *tam iucundè*] Al. cùm iucun.

AD EPISTOLAM 16.

FABATO prosocero commendat Tironem Calestrium, vt proficiscentem in prouinciam Bæticam, eum à recto itinere Comum reuocet, eique vindicta manumittendos seruos quosdam committat.

FAMILIARISSIME) Vet. familiarissimum.

SI *voles vindicta liberare*] Manumissionis genus per vindictam, notum ex Iurisconsultis; ex quo illud Persij sub persona Damæ cuiusdam nuper manumissi, Manumissio, vindicta.

Vindicta postquam meus à Prætore recessi
Cur mihi non liceat iussa quodcumque voluit

Meminit huius manumittendi formæ Ci ro in Topicis ad Trebatium: & titulus in nostro Iure, De manumissis vindicta & in Cod. de vind. libert. Eam virgam, qua Persius festucam nominat, à Vindicio serv dictam Liuius auctor est lib. 2. & Plutarc à vindicando tamen Grammatici deriuan Eum enim vindicem vocant, qui seruum manumittit.

IVCVNDVM *est quod ego*) Id, quod ego deest in vet.

AD EPISTOLAM 17.

DE recitatione hîc multa satis, tum de scriptorum emendatione.

V *t certè fugit*) Alij, vt cur'te fugit.

ADMONEAR) Vet. admoneat.

REQVISIERIM] Vet. requisieris.

Historia & oratio quid dif-ferant.

QVÆ *non assentationis, sed fidei veritatísque comparatur*) Qua nota in primis differt historia ab oratione, tum poëtica, tum forensi, tum philosophica. Poëtica est μίμησις, ait Aristotel. adeo vt poëtam non tam versus faciat, quàm figmentum. oratio ergo poëtæ nisi figurata sit ingeniosis figmentis penè ipsam naturã exprimentibus, poësim non facit, sed aliud nescio quid. Ex eo Lucretium, Manilium, Lucanum, non poëtas esse, sed ex iis priores philosophos; hũc verò historicum rectè asseuerem. Forensis oratio, probabilitatem sibi proponit, seu quæ similia

veris appareāt,& ad vulgi ſenſum,captúmque accommodatiora. At philoſophorum diſputationes,quamquam veritatem ipſam rerum conſectentur,aut etiam inueſtigent, non tamen eodem modo, atque hiſtorici eam tractant:cùm philoſophi pręceptis ſeu decretis; hiſtorici exemplis, illi quid verum,alij quid factum ſit, explicent:nemóque neſciat longè aliud eſſe de virtute præcipere aliquid;aliud,virtutum ſimulacra ob oculos ponere.

SCENAM *& actores*] Vet. ſcenam & actionem.

SI *quoſdam meos*] In quibuſdam,alio.

SOLICITVS *intendo*) Vet. intendo aurem.

NONNE,*ſi locuturus es cum aliquo, quamlibet docto vno tamen minùs commoueris,quàm ſi cum multis indoctis?*) Facit huc præclarus Tullii locus 2. de oratore:fit autem vt quia maxima quaſi oratori ſcena videatur concio, natura ipſa adornatius dicendi genus excitetur,habet enim multitudo vim quandam talem:vt quemadmodum tibicen ſine tibiis canere, ſic orator niſi multitudine audiente eloquens eſſe non poſſit. Orator eloquentior multitudine audientiū.

FAMILIARIOR *amicus tollendum, ipſe retinendum arbitraretur*) Vet. familiarior amicus tolleret, dum ipſe vel arb.

AD *populum prouoco*) Cuius tamen iudicium vt plurimum ſolet à ſapientibus eleuari, vt belluæ multorum capitum. Seneca epiſt. 7. & 29. itē de vita beata cap. 28. ad Gallionē initio, Plin. noſter 2. epi. 14. & 19. Sanè apud veteres imperitiæ argumentū fuit, Ad populum prouoco.

probari vulgo, vt Athen. 14. πάλαι παρὰ τ… ὄχλοις εὐδοκιμεῖν, σημεῖον τῆς κακοτεχνία… adeo vt Antiſtenes non ſibi laudi vertere… cũ quis diceret à multis laudari ſeſe, τί κα… κὸν πεποίηκα, inquit: quia omnis honeſta rei peſſimus iudex ſit populus, quódque πλέονες οἱ κακοί. verùm oratorum, qui ſunt artifices populares idem iudicium non eſt, qui probari vulgo volunt. Cic. in Bruto; ad oratoris laudem perficiendam, vulgi approbationem requirat. Idipſum, inquit, ſummi oratoris eſt, ſummum oratorem populo videri. quare tibicen Antigenidas dixerit diſcipulo ſanè frigenti ad populũ, Mihi cane & Muſis: ego huic Bruto dicenti, vt ſoleat apud multitudinem: Mihi cane, & populo; mi Brute, dixerim: vt qui audiat quid efficiatur, ego etiam cur id efficiatur, intelligam. Idem Val. Maxim. lib. 3. cap. 7. Muſæ nihil aliud ſunt, quàm melos harmonicum: paulopoſt, apud eund. Tull. Ego quæ ſit de me opinio populi, neſcio: de reliquis hoc affirmo qui vulgi opinione diſertiſſimi habiti ſunt, eoſdem quoque intelligentium iudicio fuiſſe probatiſſimos: nec enim poſſe, idẽ Demoſthenes dicere, quod dixiſſe Antimachum Clarium poëtã ferunt: qui cùm auditoribus conuocatis legeret, eos magnũ illud quod nouiſtis volumen ſuum, & eum legentem omnes pręter Platonem reliquiſſent: Legam, inquit, nihilominus; Plato enim mihi vnus inſtar omnium eſt.

Timor, emendator acerrimus.

TIMOR *eſt emendator acerrimus*) Vet. aſperrimus. timor hîc pro verecundia, cuius

magnas esse vires, in ingenij rationibus, nemo est qui nesciat.

COGITO *quam sit magnum dare aliquid in hominum manus, &c.*) Seipsum enim subiicit omnium examini & doctorum hominum, & indoctorum, qui scriptorum aliquid in lucem edit, adeo vt antequam id faciat, sæpe vnum idémque retractare debeat, & quasi sub incudem reuocare, si velit effugere reprehensionem hominum, aut, id quod lucubrarit, posteris tradi. Arduum, aliquid scriptorũ edere.

AD EPISTOLAM 18.

CVM Plinio Caninius consultarat de epulo perpetuo Comensibus promisso, vt qui metueret ne lapsu temporis, vt omnia ferè, irritum fieret, is ergo quid agẽdum in ea re sit, monetur.

NE *dilabatur, des agros, vt publici negligantur*) Vet. sic: ne dilab. ad sacros: vt publicè negligenter eundem. mutilè id prorsus, & id negocij otiosis lubens permitto.

INGENVORVM, *ingenuarúmque*) Illud ingenuarum obreptitium est, & in manusc. meis non habetur.

EXACTORI *publico*) Alij, actori publ.

OPORTET *priuatis vtilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre*) Publica, priuatis potiora: vt in Iure l. 3. §. fin. C. de caduc. toll. Aut. res quæ Cod. Comm. de leg. Est enim quod rectè Horatius, Publica priuatis potiora.

——*sapientia prima,*

Publicaq́ priuatis secernere, sacra profanis.

AD EPISTOLAM 19.

FANNIAE morbum dolet, lectissimæ fœminæ, cuius virtutes ita numerat, vt quasi exemplar videatur ob oculos ponere sanctissimæ, patientissimæ, laudatissimęque matronæ.

Tussim vbi febris auget. INSIDENT *febres, tussis increscit*) Alij insidens febris tussim iniecit. vet:ita : insidens febris, tussis, orexis, summa macies. Febris autem tussim ingerit, si humoribus liquefactis fluxio in pulmones fiat: quæ si ferina & acris erit, pulmones exulcerat, vnde macies seu tabes & virium summa defectio.

TVLIT *in exsilium exsilij caussam*) Elegans hoc noëma: quale hoc Dîdûs Ouidianæ,

Præbuit AEneas & caussam mortis, & ensem,

QVAM *veneranda*) Al. verecunda.

QVAS *si Deus*) Al. quæ si Deus.

AD EPISTOLAM 20.

SVMMAE inter Plinium & Tacitum beneuolentiæ, & ex studiis honestissimis quæsitæ amicitiæ, testis epistola.

Conuitia irrita. NEQVE *enim vlli patientiùs reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur*) Conuitia enim in se torta, quia putent ad se minimè pertinere, pro nihilo habent, neque succensent obtrectantibus: sicuti nec medici morbo laborantibus.

NVNC *ad te*) A te, rectiùs, vt in vet.

DVOS *homines, ætate, dignitate, propemodum æquales)* Vet. duos homines ætate, propemodum æquales.

COGOR *de te parciùs dicere, quia de me simul dico)* Qui enim impensiùs amicum, hoc est, alterum seipsum laudat, in eo sobriè agere debet, ne sub amici nomine, suas ipse laudes efferre videatur. Noster hic alio loco sub grauissimi viri persona sic: Cogor de Secundo parciùs dicere, qui nihil non ex meo consilio facit. Laudatio amici sobria.

CVM *iam tu fama, gloriáque floreres]* Vet. cùm iam tua fama, gloriáque floreret.

SERMO, *vnà nominamur)* Sermo vnus, nominamur: vt vet.

STATIM *occurro)* Vet. statim occurrit.

NAM, *hoc ego primus)* Al. nam in hoc ego primus.

EADEM *legata & quidem pariter accepimus)* Absunt hæc à manusc.

AD EPISTOLAM 21.

AIT se parere amici consilio valetudine oculorum impeditum, tum de gallina missa iocatur.

ET *non stilo)* Vet. & hic non stilo.

INTERIORIBVS *fenestris)* Al. inferioribus fenestris.

AD EPISTOLAM 22.

MINVTIANVM dignum Tribunat ob egregias virtutes, Falconi com mendat.

Elogium viri maxi mi.

RECTISSIMVS *iudex, fortißimus aduocatus, fidelißimus amicus*) Elogium viri publicè, priuatímque optimi & vilissimi, quale illud ferè Catonis senioris, quem Tull. ait fuisse bonum Imperatorem, oratorem fortem, bonum etiam agricolam: & illud Asinij Pollionis ex Horat. 2. Carm.

Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti Pollio Curiæ,
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Hoc est, optimus tum patronus, tum senator, tum imperator.

AD EPISTOLAM 23.

RVRSVM hanc ad Fabatum prosocerum epistolam, quem monet domi Tironem proconsulem Bæticæ expectet, neque ei occurrat.

CVM *àme: vt frater diligatur, non debet ab eo, quem ego parentis loco obseruo, exigere officium, quod parenti suo remisisset*) Prudenter id & circumspectè, ne cùm officium præstandum sit pietatis & obsequij, reuerentiæque, incideret in vitium contrarium, alienum à pudore ac religione amici hominis. Scio

quid contrà dici posset & exempla superesse quibus constet maiores honores deberi magistratui, quàm ipsis parentibus, qui etiã ipsis filiis subiaceant magistratibus, idque ex Iurisconsultorum maximè placitis, sed vt alia ratione vrbanę potestatis & prouincialis, ita magnum illum apparatum, & qualem magistratum deceret potuisse impunè prætermitti, facilè crediderim. Honor magistratui debitus.

AD EPISTOLAM 24.

COMMENDATVR educatio Quadratilli nepotis Numidiæ Quadratillæ.

DECESSIT *honestissimo testamento)* Ius testamenti faciendi summæ auctoritatis, summæque olim dignitatis, vt quod ciuiũ Romanorum esse norunt omnes, sed causam testati quàm intestati fauorabiliorem & commendatiorem extitisse, soli prudentes agnoscunt. Testati causa.

RELIQVIT *heredes, ex besse nepotem, ex tertia parte neptem)* Nihil est quod magis hominibus debeatur, quàm vt supremę voluntatis liber sit stilus, & licitum quod iterum non redit, arbitrium, ait Constantin. in l. 1. C. de sacros. ecclesiis: quin & Reipub. maximè interest vt supremæ hominum voluntates exitum sortiantur, vt Iure & moribus constitutum. Ius testamentorũ

OMNES *sermones malignorũ & puer & iuuenis euasit)* In eo ætatis flexu, & quasi lubrico magnum est effugisse linguę maledicę aculeos, vt nõ parua laus existimetur, iuuenem Continẽtia adolescentis.

fuisse & eumdem inculpatum, qualis Cat Vticensis à Plutarcho: Piso ille, qui à Galb fuerat adoptatus, à Cornel. Tacito.

SOLERE *spectare pantomimos, (sed cùm facta essent alterutrû, semper nepoti suo præcepisse, abiret, studeretque*) Iuuenal. Satyr. 14.

Debetur puero reuerentia

———— velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica:

Et dein,

Nec dictu fœdum, visúque hæc limina tangat
Intra quæ puer est: procul hinc procul inde puellæ
Lenonum & cantus pernoctantis parasiti,
Maxima debetur puero reuerentia, siquid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos.

Quàm multis id exaggeret Cicer. in Verrem 3. & 5. dicere longum esset. vide Val. Max. de Nota censoria.

EXVLTABANT, *plaudebant*] Id alterum, plaudebant, in manusc. non est.

QVI *non spectabat*) Vet. non suspiciebat hæc: quia soles si quid accidit noui non inuitus audire.

IVCVNDVM *est mihi*) Al. sic: iucundum est, in hoc.

HAEC *scripsi, quia soles si quid incidit noui inuitus non audire*) In vetust. cod. ita reperi: quorsum hæc? quia soles, si quid incidit noui non inuitus audire.

C. Cassi'. QVOD *domus etiam C. Cassij*) Is Iurisconsultus fuit ex vetusta Rom. familia, is est Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, Sulpitij Seruij neptis, qui prope hereditariam Iuris ciuilis scientiam exercuit, cùm proauum Sulpitium, Tuberonem auum, maternos habuerit, huius honorifica men-

tio apud Pompon. de Orig. Iuris initio Pādectarum.

AD EPISTOLAM 25.

ADmiratvr ingenium Terentij Iunioris, qui quanquam vitam priuatā & paganicam ageret, expeditam tamen eloquentiam vtraque lingua, vir multiſcius contineret: qua occaſione nōnullos ait eſſe qui priuatim degentes vel pudore, aut modeſtia, vel etiam ocio ſubtrahuntur famæ.

Avt *modeſtia ipſorum*) Quorumdam nempe is pudor eſt, vt quanquam multa norint, multúmque ſapiant, vt ſuæ Reipublicę permultùm eſſe vſui poſſint, ſic tamen in ſua pellicula contineantur, vt in tacito ſinu gaudere malint, quàm cum periculo in aliquā nominis celebritate verſari. Sed ex iis alios fortuna deſtituit, ait, conſilio, certóque animi propoſito ſibi viuunt, ſtántque gratis, & cum ſilentio; quod ait Martialis, neque ab aura populari pendent. Id tamen inſtitutū vitæ, alioqui quietum & tranquillum laudatur paucis, probatur ferè nemini, quia nemo magni ducitur, niſi aliquem in ſua ciuitate locum occupet, quo ſe vindicet à vulgi contemptu, & nemo omnium ſatis putatur ſcire, niſi qui imperij aliquid in alios habeat. & id vnum eſt ſapere, quod. Pudor quorundam ſtudioſorū.

Maxima pars hominum morbo iactatur eodē.

Svnt *enim vt in caſtris, ſic etiam in litteris noſtris plures cultu pagano, quos cinctos & armatos ardentiſsimo ingenio inuenies*) Mihi videtur

haud dubiè alludere ad illam præsumptam in iure militum imperitiam, cuius ratio illis testandi remissa fere solemnia omnia, concessáque militaris testamēti priuilegia. De hoc 29. Digest. & 6. Cod. Iustinianæi.

AD EPISTOLAM 26.

OCCASIONE morbi, quo grauiter amicus torquebatur, asseuerat *nos esse* vitiis solutos, cùm morbo aliquo *corporis* laboramus.

LANGVOR] In alio est ἑκτικὸς, languor.

QVEM *enim infirmum aut auaritia aut libido sollicitat*] Præclarus locus hic, sanéque philosophicus, quem vberiùs tractat Plutarchus ea disputatione, qua de vtilitate ab aduersariis capienda sermocinatur.

PERSEVEREMVS] Alij vet. perciperemus.

AD EPISTOLAM 27.

DE spectris pulcherrima hæc epistola, qua quærendo, seu etiam quodammodo addubitando, asseuerat esse φαντάσματα seu apparitiones, idque grauissimis exemplis.

φαντάσματα. Φαντάσματα] Visum seu spectrum, cùm inter vigiliam, & adultam quietem, in quadam (vt aiunt) primi somni nebula, adhuc vigilare se existimās, qui dormire vix cœpit, aspicere videtur irruentes in se, vel pas-

ſim vagantes formas à natura ſeu magnitudine, ſeu ſpecie diſcrepantes, ait Macrob. in Somniũ Scipionis lib. 1. quo loco quinque genera viſorum, ſeu inſomniorum facit: hîc tamen phantaſma etiam vigilanti offertur. cuius rei & multa exempla alia poſſem cõferre in medium, ſed ad alia me cõfero. Cęterum pro φαντάσματα, fortè nõ malè φάσματα legas, hoc eſt, viſio, ſpectrũ, apparitio: quod ex Macrobio verum eſſe colligimus.

INANIA *& vana*] Al. inanem & variam.

ITVRVM *enim Romam*] Al. & venturum.

NVMENQVE *aliquod putes, an inania & vana*] Vet. numénque aliquod putes inane: ſed variam ex metu noſtro imaginem accipere.

DIRAEQVE *noctes*] Vet. duræ noct.

MEMORIA *imaginis oculis inſerebat*) Al. inerrabat.

SEV *quis emere*] Hæc abſunt à meis manuſcript.

ATHENODORVS) Qui Athenis floruit Octauij Auguſti temporibus, Stoicæ doctrinæ alumnus, quem ferunt Areopagitæ Dionyſij præceptorem, vt Plutarch. Suidas, & alij. Athenodoro oblatum ſpectrũ.

AVRIBVSQVE *prætendere manum*) Al. auribúſque manum præt.

NE *vacua mens*] Vet. vt vacua mens.

INITIO *quale vbique ſilen.*] Vet. initio vbique ſilentium.

CAPITI *ſuo admonentem cultros*] Admonentem non eſt in vet.

NON *fui reus futurus*) Tò reus, abes etiam.

Reis est capillos submittere.

QVIA *reis moris est submittere capillum*) Legeram pridem apud Artemidorũ de insomniis, crinium amissionem portendere infortunium, aut graue aliquod detrimentum: qua de re multa quidem & varia Hadrianus Iunius, doctissimo de Coma commentario.

AD EPISTOLAM 28.

QVOD amicos commendare impẽsiùs, plurísque fieri, quàm fortè essent, à quibusdam argueretur, Plinius hac se non excusat modò, sed factum tuetur suum.

SEPTITIO) Vet. Septimo.

Culpa benignitatis.

AGNOSCO *crimen, amplector etiam, quid enim honestius culpa benignitatis?*) Neque id crimẽ propriè, à quo dolus absit, neque etiam culpa quæ reprehensionem non admittit, sed error aliquis, quo facilè excusatur, cùm in amore non ita exactum cõsilium semper exquiratur.

SED *vt norint*) Absunt hæc à manuscr.

Felix error.

FOELICISSIMO *errore*) Vt gratissimus mentis error dicitur Horatio 2. epist. sicuti & Cic. cùm in Tusc. dicit sibi eum errorem non passurum auelli ex animo, qui animos immortales esse credat. confer huc epist. 14. lib. 1. & 11. lib. 3. item vltimam lib. 8.

AD EPISTOLAM 29.

INdignatvr Pallāti liberto, homini nihili, sepulcrum operosè nimis exstructum.

Ridebis, *deinde indignaberis: deinde ridebis si legeris*) In vet. verba hæc, deinde ridebis, non leguntur: & puto interiecta temerè à quodam nimium diligenti.

Eqvidem *nunquam sum miratus quæ sæpius à fortuna quàm à iudicio proficiscerentur*) Eodem omnino modo, & satyrico felle insectatur Horat. Epod. 4. Menam quendam libertum Pompeij, quem populus Romanus ludos spectantem in quatuordecim ordinibus indignanter aspiciebat, momento statim ad summos honores euectũ: quin & Iuuenal. in quendam Crispinum, Honores] à fortuna.

Patricios omnes opibus cùm prouocet vnus,
Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat,
&c.

Sed ad mentem Plinij referre licet Timothei nimiũ fortunati honores, cui dormiẽti quidam inuidentes, pingebant vrbes in nassã vltro ingrediẽtes. Plutar. apophtheg. Regum & Imperat.

In *has sordes abijcerentur*) Vet. adiicerẽtur.

AD EPISTOLAM 30.

IMpedita Iulij Genitoris studia morte discipuli, summæ indolis, dolet. de suis scriptis, quæ à Genitore commendabantur impensissimè, modestè sentit ac sapit.

Qverelae *rusticorũ, qui auribus meis post longum tempus suo iure abutuntur*) Festiuè id Rustici, togatis obstrepere.

quidē & lepidè, quod idem ſanè experiuntur non raró togati viri, quibus ſi ruſticari detur, dum à forēſi omni turba ſe abductos putant; cumque ſuo genio in gratiam redire properant, mirum quantum importunis quorumdam ſalutationibus, aut intempeſtiuis alloquiis, vel denique libellis ſupplicibus interpellantur.

Modeſtia Plinij. S C R I B O *aliquid & lego: ſed cùm lego, ex cōparatione ſentio, quàm male ſcribam*] Sapiēter id & modeſtè. nam ferè fit, vt cùm ſoli ſapiamus, incluſi ſcribamus, neminem prẹter nos percontemur, nullum nobis exemplum proponamus ad imitādum, nobis videmur, quod ait Varro, Belli, feſtiui, ſaperdæ, cùm ſimus capri.

L I B E L L O S *meos de vltione Heluidij*] De quo quædam à nobis dicta meminimus lib. 3. epiſt. 11.

Aemulari, imitari. N O N *vt æmularer, improbum enim ac furioſū; ſed tamen imitarer ac ſequerer*) Plus in æmulando, quàm in imitando eſſe, locus hic arguit, quamquam vtroque verbo promiſcuè auctores vti ſoleant. Sic enim Tullius in multis conatus eſt æmulari Demoſthenē, imitatus tantùm: at Virgilius fœliciter eſt Theocritum, Heſiodum, Homerum æmulatus, nedum imitatus.

AD EPISTOLAM 31.

LAVDATIO eſt Claudij Pollionis, quē multis magniſq; virtutibus præditū virum, amicitia Tertulli digniſſimū eſſe dicit.

A C *pene vltro modum (si quis tamen vltra modum) verecundus*] Summa verecundiæ laus, quam custodem virtutum omnium rectè appellat in Partitio. Tul. Verecundia.

N V L L A *occasione correptus; ab instituto abstinentiæ more deflexit*] Significat fuisse ἀδωροδόκητον, id est, à muneribus capiundis abstinentem: quo verbo vsus Cic. ad Atticum 5. Libanius de Demosthene, Orat. de Pace, ἑαυτὸν ὡς εὔνοων τῇ πόλει, καὶ ἀδωροδόκητον: vt patriæ amantem, & à muneribus alienũ. Horat. 4. Carm. 9. Vir abstinens.

Iudex auaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ.

Cicer. 2. Officio. Nulla re conciliare faciliùs beneuolentiam multitudinis possunt ij, qui Reipubl præsunt, quàm abstinentia & continentia.

N V N Q V A M *secundis rebus intumuit*] Quod argumentum vel maximum constantis, sanique animi. Etenim fœlicitatis & moderationis diuiduum solet esse contubernium, ait Val. Max. 9. cap. 6. apud Aristoph. πλοῦτος ἄνους, καὶ τύφλος, immò verò τυφλοποιὸς effingitur: Eadem moderationis laude commendatur Nerua apud Mart. in 11. Constans animus in vtraque fortuna.

Tanta tibi est recti reuerentia Cæsar, & æqui,
Quãta Numæ fuerat, sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est opibus non tradere mores,
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam.

N V N Q V A M *officiorum varietate continuam laudem humanitatis infregit*] Et id certè arduũ, miniméque populare encomium, sic seruire multorum commodis, & iis morem gerere, Officium æquabile.

qui opera tua ac studio indigeant, vt cùm aliis adsis, aliis te minimè morosum aut cessatorem præstes.

Q v a *gloria dignum est, summo viro in tanta eligẽdi facultate præcipuè placuisse*) Summa laus

Laudari à laudato. est laudari à laudato viro, sed in magna eligendi facultate præcipuè placere, res longè maxima, grauissimáque, quòd dignis viris

Placere sapienti arduum. anteferri magnum sit, & placere magno & sapienti viro, arduum meritò iudicetur.

V a r i e t a t e *ipsa probandum*) Vet. ita: sed in vulg. raritate.

C v m *plerique hactenus defunctorum meminerint, vt querantur*) Vt cùm putant à se non satis honorificè habitos, aut ex besse institutos heredes, vel etiam fructuarios non pro-

Facilè vita fúctos incessere. prietarios in testamẽto scriptos: quid enim attinet ingratas aliorum querelas huc conferre, cum cuius ita facile sit, vita functos incessere?

A c *sic ama, tanquam gratiam referas*) Argutè hoc scitéque dictum, qui enim dignum benéque meritum amat, officium viri boni facit, & se memorem gratúmque exhibet.

AD EPISTOLAM 32.

Multos fuisse Comi manumissos à Calestrio Tirone Proconsule, ex eoque habitas gratias publicè priuatímque tũ sibi, tum Fabato prolocero.

Liberorũ numero complere ciuitates. C v p i o *patriam nostrã omnibus rebus augeri, maximè tamen ciuium numero*) Liberorum numero complere ciuitates, Reip. vtile est, l. 1. D. so-

D. solut. matr. ex quo non tantùm parentum esse, sed Reip. imprimis dicantur, l. 1. §. & generaliter. de vent. in pos. mit. l. hoc modò. de cond. & demonst.

V T *Xenophon ait*, *ἥδυσον ἄκουσμα ἔπαινος*) Sui audire laudem, iucundissimum. Cic. pro Aulo Licinio: Themistoclem illum summum Athenis virum, dixisse aiunt cùm ex eo quæreretur quod acroama, aut cuius vocem libentiùs audiret: eius à quo sua virtus optimè prædicaretur. Etenim οὐδεμία ἀνθρωπίνη ἡδονὴ ἐστὶ τῷ θείου ἐγγυτέρω, ἢ περὶ τὰς τιμὰς εὐφροσύνη. Laudari pulcrum.

AD EPISTOLAM 33.

PETIT à Corn. Tacito suis historiis inseri, intérque cętera, vt vocis fortis liberæque meminerit, aduersus Massam quam edidisset pro Bæticis.

AVGVROR, *nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras*] Vt Cice. ad Luceium lib. 5. ad famil. 12. qua epistola rogat inseri sese monumentis historiarũ Luceij, ea ętate historici nobilis. Historiæ Taciti.

V T *facies nostra ab optimo quoque artifice exprimatur*) Ea ratione laudis & gloriæ Alexander, qua maximè flagrabat;

Edicto vetuit, ne quis se præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum simulantia ——— Edictum Alexandri.

N O N *possit*] Vet. non possum.

C V M *sit*) Abest à vet.

D. *Nerua missis ad me litteris &c.*] Sic hone-

ſtum fuit laudari à viro laudato, Nerua nempe.

Veritas hiſtoriæ. Nam *nec hiſtoria debet egredi veritatem*) In qua enarranda præcipuè verſatur: quocirca hiſtorici id eſſe ſtudium imprimis dicit Tullius 2. de Oratore, Quis neſcit primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua ſit in ſcribendo gratiæ ſuſpicio, ne qua ſimultatis? Quod duobus verbis complexus eſt Lucianus, eo quem de hiſtoria

Duo hiſtoriæ obiecta. ſcribenda libro ſcripſit, παῤῥησιάζεσθαι, καὶ ἀληθεύεσθαι: Ex quibus alterum qui ſectati ſunt, altero prætermiſſo, videntur aut in cōmittendo, aut in omittendo deliquiſſe, & hiſtoricorum munus haudquaquam expleuiſſe:

Paulus Iouius. quo nomine inceſſitur à multis Paulus Iouius (vt de veteribus taceam) à ſuis popularibus, nedum aliis, & is de quo Sannazarius epigrammate lepido,

Pogius Florent.

Dum laudat ſocios, damnat dum Pogius hoſtē;
Nec malus eſt ciuis, nec bonus hiſtoricus.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. VIII. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

De aduersa libertorum valetudine, sed maximè Encolpij, quem vnicè Plinius adamabat.

ENCOLPIVS *lector, ille deliciæ, ille seria nostra*) Similes verborum blandiciæ sunt apud auctores veteres quosque, vt Cicer. 14. ad famil. Obsecro te mea lux, meum desideriũ, mea vita: apud Hor. 1. Carm. Amica verba.

O & præsidium, & dulce decus meum.

Martialis;

--si verum, lux mea, narras.

Vt Græcis ζωὴ & ψυχὴ, amicus, & amica dicitur. Pers. Sat. 5.

-- quantáque nostræ
Pars tua sit Cornute animæ.

Ita Suetonius scribit Titum, amorem ac delicias humani generis appellatum. & Petron. Arbiter: Tu desiderium, tu voluptas mea. Rutilius itineratio lib. 1. Proueća est animæ portio magna meæ. Paulin. ad seue-

rum, tu pars nostri maior & melior : tu requies nostra, tu gaudium. Apul.

Florea serta, meū mel, & hæc tibi carmina dono.
Longum esset alia sexcenta cogere, at hæc plus fortè satis.

AD EPISTOLAM 2.

Qvibvsdam suas vindemias vendidisse quæ cùm ex temperie cœli sterilescerent, ex eóque emptores damnum maximum passuri essent, aliis ex iis octauam; aliis decimam remisisse ait.

Iustitia distributiua. Erat *expeditum remittere æqualiter, sed non satis æquum*) Id prudentiç fuit & iustitiæ, quā appellāt *διανεμητικῆς*, remittere aliquid colonis ob acceptam calamitatem, sed ratione diuersi iuris non fuit æquum æqualiter iis remittere: ne in ista æqualitate committeretur quædam inæqualitas, quam ipse alibi prudenter improbarit.

Mihi *egregium in primis videtur, vt foris, ita domi: vt in magnis, ita in paruis: vt in alienis, ita in suis agitare iustitiam*) Sapienter id, & dignum homine cordato, veréque libero, qua innuit generale Iuris axioma, quod in suo quibuscumque tribuēdo versatur, ad omnes & singulos pertinere, nedum ad iuridicos. Iustitia enim colenda & exercenda est in vita, tum priuata, tum ciuili, tum honestè viuendo, tum abstinendo ab iniuriis: indignum esse maiorem in exteros, quàm suos bonitatem præstare, vel contra: aut arduis rebus consulere, paruas negligere: denique quod nostri

Iustitiæ officia & partes.

causa volumus, aliis non ægrè impartiri: vt perpetua inter omnes, quantum fieri poterit, seruetur æqualitas.

SI *paria peccata, pares etiam laudes*) Quod Stoicorum delirium fuit, in cæteris virtutem admirantium, sua placita arctè tenentium, accuratéque defendentium, sed in delictorum æqualitate statuenda nugantium. quos ideo acriter Cicer. 4. de finib. exagitat, & Plutarch. ridicula magis à Stoicis quàm à Poëtis asserta fuisse disputat. Horatius 1. Serm. Peccata an paria.

Queis paria esse ferè placuit peccata laborant,
Quum ventum ad verum est, sensus moresque repugnant.

NON *vna, vt dicitur, pertica*) Adagium quo significat non eodem modò, eadémve opera se fecisse: ductũ ab agrorum mensoribus, seu decempedis.

AD EPISTOLAM 3.

SIBI gratulatur librum placuisse amico Sparso: ita de oratione, quam proximè ad eundem missurus esset sibi pollicetur.

AD EPISTOLAM 4.

BELLVM Dacicum, quod Caninius adornabat, apertè laudat, quamquam impeditum opus, & ipsa rerum magnitudine communem fidem excedens, petítq; amici nomine, vt sibi vel recens & inchoatum committatur.

AMPLISSIMIS *operibus*) Al. amplissimè.

AD *lenitatem versus*) Al. bonitatem.

NECESSARIA *negetur*). Al. non detur.

IVRE *vatum inuocatis dis*) Solemne maximè Poëtis inuocare deos. Aratus enim sic auspicatur Phænomena,

Inuocatio numinis.

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα, &c.

Homerus Iliada,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος.

Virgil. Æneidem,

Musa mihi causas memora,

Ouid. Transformationum libros,

Dij cœptis (nam vos mutastis & illas)
Aspirate meis.

Quod & alio me puto loco vberiùs docuisse.

IN *scrinio nostro*) Vet. in sinu.

Ius amicitiæ.

VT *in ea quoque norim, quæ nosse neminem velles, &c.*) Id pro iure amicitiæ arctissimę petit, vt ea de suis scriptis ei credat, quæ in arcanis ita habeat, vt nemini cõmittenda vellet; vir enim vt studiosus, sic & cordatus dicenda, tacendáque callet, & candidè accipit: etiamsi quid in scriptis alienis vitij sit, aut minùs absolutum videri possit.

AD EPISTOLAM. 5.

DEFLET obitum vxoris Macrini, omni cõmendatione dignissimę fœminę.

Laudatio fœminæ lectissimę.

VIXIT *cum illa 39. annis, sine iurgio, sine offensa*) Breuis illa quidem, sed egregia tamen laus optimæ fœminæ: cuius illud primum, sine iurgio, refertur ad placidos, faci-

ëſ que mores, vt quæ abeſſet procul vitio familiari ſexui, rixis, querelis, iurgiis vt plurimum exundanti: alterum, ſine offenſa, pudicitiam indicat, vt de qua mentiri fama vereretur. Huic certè pulcro elogio adiūgi placet epitaphium vetus, inter Romanæ vrbis repertum monimenta:

Hoſpes, quod dico, paulum eſt, adſta ac pellege,
Heic eſt ſepulcrū haud pulcrum pulcrai fœminæ
Nomen parentes nominarunt Claudiam,
Souom mareitum corde deilexit ſouo.
Gnatos duos creauit, horumc alterum
In terra linquit, alium ſub terra locat:
Sermone lepido, tum autem inceſſu commodo:
Domum ſeruauit, lanam fecit. dixi, abei.

HABET *Macrinus grande ſolatium, quod tātum bonum tandiu tenuit*) Eiuſmodi ſunt apud Senecam multę conſolationes: quas in multis videtur æmulatus variis epiſtolis.

NAM *fruenti voluptatibus creſcit carēdi dolor*] Al. ferendi. Ita Cicero poſt redit. ad Quirites: amicitiæ, cōſuetudines, vicinitates quid voluptatis habeant, carēdo magis intelligimus quàm fruendo.

DVM *admittere auocamenta, & cicatricē pati poßit*) Sapienter id & prouide, quandoquidem temporibus medicina valet, &c. Sed — Conſolatio in feruenti doloris motu nō admittitur.

Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati,
Flere vetet? non hoc illa monenda loco eſt.

Crudum enim vulnus adhuc medentium manus reformidat, deinde patitur, atque vltrò requirit: ſic animi dolor recens cōſolationes refugit, ac reiicit, mox deſiderat, & vehementer admotis acquieſcit, ait noſter lib. 5. epiſt. 16. Omnia aduerſa fortuna habet

in querelis leuamentum, ait Seneca. itaque qui quęstus omnis quasi fibras stirpitùs auellit in primo doloris morsu, humanę naturæ quasi vim ådfert, ad quam sanandam veluti sensim sine sensu admouendæ blanditiæ sunt.

AD EPISTOLAM 6.

SENATVSCONSVLTVM acriter reprehendit de Pallante Libertino honorificè habito, vt prætoriis ornamentis insigniretur, cuius & meminerat lib. proximè superiore, epist. ad Montanum.

CONFERANT *se, non dico veteres, Africani, Achaici, Numantini, &c.*] Al conferant se, misceántque.

Vrbanus. VRBANOS *putem, aut miseros*) Verbum vrbanus, quo sensu à veteribus interdũ acciperetur, alio loco admonuimus. confirmat eam interpretationem, quod proximè sequitur, dicerem vrbanos, si senatum deceret vrbanitas.

PALLANTI *seruo pretoria ornamenta offerantur, quippè auferantur à seruis*) Nihil adeo tritum apud iurisperitos, quàm hoc, seruum cullam habere Iuris ciuilis communionem, um seruitutem mortalitati comparent: ergo seruus munerum publicorum vt & honorum particeps esse non potuit l. 33. & l. 210. de reg. Iur. sed maximè, 136. eo.

Aureorũ annulorũ AD *vsum aureorum annulorum*) Vsum annuli aurei primum equitibus fuisse concessum reperio, quo à plebe distinguerétur, vt

ipsi à senatoribus qui latum clauum, hoc est tunicam gestarent, de quo aliquid suprà. & cum quidem annulum aureum à solis ingenuis gestari solitum fuisse, nemo nescit: quod tamen ius annuli etiam libertis ab Imperatore permissum constat, l. sed etsi, §. patronum D. de in ius voc. l. cum ex curat. de excus.tut. sed apertius libro 6.cod. Tamen Plinius & alij nonnulli coniiciunt annulos fuisse vsus promiscui, tam senatoribus, quàm equitibus: quanquam ne senatores quidem Drusi tempore, hoc est Marsico bello, annulos gestasse, idem tradat.

NEQVE *expiata curia est*) L. ea iniuria.

TANQVAM *minùs recepisset*) In vetustis, nimis.

PRAETORIA, *sic quasi fœdera antiqua*) Al. prætoria ornamenta Pallantis.

NISI *vellet in oculis figi insolentiam suā Pallas, patientiam Cæsar, humilitatem senatus*) Indignitatem auget facti huius, verborum tum grauitate tum eloquentia. Sed hoc miretur quantumuis Plinius Secundus, magis certè obstupesceret si nostra ætate quæ nihil non monstrorum aluit, & Pallātis honores putaret alioqui tolerabiles; aut de Pallante ipso remissiùs statueret, si multa eiusmodi mancipia, impuros & inertes mimos, ganeones, strobylos ad summa honorū fastigia dicto citiùs peruenisse hos torquatos equites, hos prouinciis, & Reip. admotos procurationibus ab omni Reipub. cura toto cœlo alienissimos, alios etiam opimis sacerdotiis indignissimè donatos: in quo an insolentiam vilissimarum pecudum, an pa- Honores indignis delati.

tientiam nimiam procerum, an senatus verecundiam prius vel mirari vel indignari debeam; nondum habeo compertum.

EA *honorum vilitas*) Al. vtilitas.

QVAM *iuuat quod in tempora illa non incidi, quorum sic me, tanquam illos vixerim, pudet*] Et nos etiam pudet, tædétque maximè, quòd insolentiæ huius & vilitatis exempla adeo multa domi suppetant, vt nihil sit quod ita miremur veterum quorumdam fastus, & alienós à pudore mores, omnium nostrorum nos ita pudeat.

QVAM *sit tibi viuus & ingenuus animus*) Al. verus & ingenuus ani. in aliis leg. iustus.

AD EPISTOLAM 7.

CORNELIVS Tacitus librum quemdam suum miserat ad Secundum, vt legeret & obseruaret: se longo hyperbato verecundéque noster hîc excusat.

NEQVE *vt magistro magister*) Sententia ita directò accipienda librum misisti, nō vt moris est magistro ad magistrum: neque vt discipulus discipulo ad emendandum, sed misisti, vt magister eruditior suo discipulo.

Saturnalia. SATVRNALIA *extendo*) Festa hæc celebrari solita Decembri mense, vt Macrob. 1. Saturn. quæ ferè hilarioribus cœnis & geniali vita transigebant; quin & ipsi domini seruos suos conuiuiis liberalibus & oppiparis accipiebant, iísque ministrabant, vt & Athenæus lib. 14. Saturnalibus bellum inchoare nefas habebatur, & pœnas à sōtibus

exigere, piaculare erat. de his multi multa, nos ſtrictim omnia, ad alia properamus.

AD EPISTOLAM 8.

DESCRIBIT admirabilem Clitumni fontis vim & naturam.

QVI *lato gremio pateſcit purus & vitreus*) Vel patefacto gremio latè. vel, vt in aliis, quem facit gurgitem lato gremio patefacit, vel etiam, eluctatúſque facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit.

MINORES *capite diſcreti*) Capita fontium, & fluuiorum appellari veteribus ſolemne fuit quæ ſacra iis eſſent. Capita fontium.

Corniger Heſperidû fluuius regnator aquarum. ait Virgil. in 8. vt caput aquæ apud Victruuium libr. 8. cap. 1. de fontium capitibus, ita Seneca epiſt. 41. Magnorû fluminum capita veneramur, ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. coluntur aquarum calentium fontes, & ſtagna quædam vel opacitas, vel immenſa altitudo ſacrauit.

BALINEVM *Hyſpellates*) Hyſpellum locum in Vmbria, de quo Plin. 2. cap. 14. & Straboni εἰσπελλόν. memoratur colonia Iulia Hyſpella, vt in theſauro Goltzij; hodie Spello vocant.

AD EPISTOLAM 9.

STVDIIS omnibus vel in ſummo ſe habentibus otio negotia amicorum præfe-

tenda esse dicit.

QVID *ocium, quid quies, iners quidem, iucundum tamen nihil agere*) Id quale sit quámque verum sit, ex se ipso quisque reputet: vt rectè Ouidius,

Ocia corpus alunt, animus quoque pascitur illis.

NEC *secedere*) Al. nec sedere.

Studia intermittéda, amicorum. NVLLA *studia tanti sunt, vt amicitiæ officium deseratur, quod religiosissimè custodiendum studia ipsa præcipiunt*) Sed in primis, quæ mores, rectéque viuendi rationem docēt. Quorsum enim quod dicitur, non solùm sibi natos esse homines, sed ortus sui partem, partim vindicare patriam, partim parentes, partim amicos? Et quis nisi vel ignauus, aut parum sanæ mentis pingue illud ocium, quod priuatis studiis impenditur, necessariis amicorum negotiis, libenter non postposuerit? immò studendi occasio resumi potest, ad tempus amici subleuandi, eíque opem ferendi dum vrget: se ponendum omne aliud studium est, nec est quòd sibi quis blandiatur: quasi qui apud Sirenios scopulos molli captus illicio consenescere malit, quàm Vlyssem ducem sequi, & necessaria suorum officia persequi.

AD EPISTOLAM 10.

DOLET apud Fabatum, suam Calphurniam abortum fecisse, sed non desperat tamen quin & liberos alios postea paritura sit.

Prægnantium culpæ. PER *hæc quædam custodiēda prægnātibus omit-*

tit) Prægnantes si in victus ratione peccarint, facilè abortum faciunt, potissimùm si molles & delicatæ sint, & quæ à minimis quibusque offendantur: ideò & ab æstu nimio, & à nimio frigore, & ab arctiore vestitu, & à saltatione motúque corporis violento læduntur, omittendo custodienda, & faciendo omittenda.

ET *non subitae imagines relicturus*) Significat vetustam nobilitatem, quam olim imaginibus & stemmatis, à reliquo vulgo secretam fuisse diximus alio loco.

AD EPISTOLAM II.

SOLATVR Hispullam, Fabati filiam, de Calphurniæ abortu: idem argumentum atque superioris.

DILATVM *istud magis, quàm negatum*) Id prudēter interserit ad meliorem spem animo concipiendam. Nam quæ differuntur, non continuò auferuntur, vt etiam in ore omnium est: at quæ prorsus negantur, adeo vt omnis intercepta spes videatur, qualis maximè fœcūditatis, multò grauiùs vrget. Quæ differuntur non auferri.

AD EPISTOLAM 12.

PETIT excusare quòd interesse non possit negotiis, auocatus Titinij Capitonis recitatione, de morte illustrium virorum.

BENIGNITATE *mira*) Al. mera.

TANTO *turpius gratiam non referre, quantò honestior causa referēdæ*) Argutè id de referenda gratia, & ferè simile Valer. Maxim. cap. 3. lib. 5. Dandi & accipiendi beneficij commercium (sine quo, vix ita hominis constat) perdit & tollit, quisquis bene meritò parem referre gratiam negligit.

NE *dicam, soleo*) At. solo

NVLLAM *vicem*] Al. diem.

AD EPISTOLAM 13.

PROBAT Genialis studia, qui sua scripta cum eruditissimo patre legisset, à quo discere potuisset, tam quæ laudatione digna, tam quæ improbanda.

GENIATI) In omnibus ferè, Geniali.

Doctrina à patre. QVI *denique eum potissimum imitandū habes, cui natura esse te simillimū voluit*) Simile illud Agasiclis Lacedæmoniorum regis, cui cum diceret aliquis mirari sese, quòd cum magna discendi cupiditate flagraret, Philophane Rhetore non vteretur, τούτων ἔφη, χρὴ ἡμᾶς μαθητὰς εἶναι ὧν εἰμὶ καὶ υἱός, eorum me discipulum esse oportet, quorum sum filius. Plutarch. apophthegm. Laconicis. Ausonius ad nepotem protreptico.

Nunc ego te puerum, mox in iuuenilibus annis,
Iámque vir um cernam, si fors ita iusserit, aut si
Inuidia est: sperabo tamen, nec vota fatiscens,
Vt patris, vtque mei non immemor.

Et noster in 5. antè dixit, inuenio apud sapientes honestissimum esse maiorum vestigia sequi.

AD EPISTOLAM 14

TITVM Aristonem, sapiētissimum hominem & exquisitæ doctrinæ virum percontatur Secundus, an rectè fecerit qui cum de libertis Afranij Dextri quereretur incertum an sua vel suorum manu perempti, variantibus sententiis cum quidam seruos interficiendos, alij relegandos, nonnulli etiam absoluēndos esse censerent, petierit à senatu vt ij secernerentur qui relegauerint & qui interfici vellent.

CVIVS *pars senatorium est*) Etenim quod obiicit olim Scæuola Seruio Sulpitio, Turpe est patricio & nobili, & causas agenti; ius in quo versatur, ignorare. Pompon.l.2. de orig.Iur.§.Seruius. Turpe pātrono ius ignorare.

PRIORVM *temporum seruitus, vt aliarum rerum, sic iuris obliuionem induxit*] Qualia maximè tempora sub Tiberio primūm, dein Caligula, Nerone, Domitiano. quod ipsum ex Dione, Tacito, Suetonio cognoscere est.

QVOTVS *quisque tam patiens, vt velit discere quod in vsu non sit habiturus?*) Verè id grauitérque. simile ferè Tullianum hoc, honos alit artes.: iacentque ea semper quæ apud quosque improbantur. Non malè huc conferas quæ Socrates apud Platon. disputat. in eo cui ἐρασαὶ nomen, vbi colligit φιλοσοφίαν οὐκ πολυμαθίαν; sicuti neque φιλογυμναστίαν, οὐκ φιλοπονίαν εἶναι, vt qui ad vsum doctrinæ omnis laudem referret. Honos alit artes.

Non tam pręceptis quam exēplis.

ANTIQVITVS *institutum vt à maioribus natu, non auribus modò, sed & oculis disceremus*) Non tātùm præceptis, sed exemplis maximè: nam vt præcepta iuuent, quod nemo est qui nesciat, exempla tamen magis quàm verba mouent. Ad id videtur Cicero respexisse 1. Offic. quo loci ait esse adolescentis maiores natu vereri, ex iisque eligere optimos, & probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. Eius moris exempla passim apud Val. Max.

VT *imperare, parendo*) Nulla vel simplicior, vel exactior disciplina, quàm veterum fuit, qui ipsi facerent, quod præciperēt: nec enim eum bellè imperare posse iudicabant, nisi qui parere priùs imperio didicisset.

OMNEM *senatorium morem, quod fidelissimū præcipiendi genus, exemplis docebātur*) Exempla magis docent quàm verba, vt præclarè Lactant. diuin. Institut. lib. 4. cap 23.

Tyrannorum ætas.

CVRIAM *trepidam, & elinguem, cum dicere quod velles, periculosum; & quod nolles, miserum esset*] Tyrānici huius Imperij exempla longè multa apud Tacitum qui vnus scriptor & tacenda longè multa, & plura videnda suis tabulis arguto quasi penicillo expressit, ex quibus nefanda Tyrannorum vita propalàm haberetur, & posteris prodita in odium raperetur.

HOS *alius quis ego*) Al. aliquis ego.

NOVISSIMAM *periment*) In al. premāt.

QVAE *superior exierit*) Al. extiterit. in alio superiorem exegerit.

AD EPISTOLAM 15.

EXCVSAT se apud Iuniorem quòd libros quosdam suos legendos misisset: simúlque de vindemiarum tenuitate quædam adiicit.

AD EPISTOLAM 16.

DEFLET aduersas tum valetudines, tũ obitus seruorum, quos tamen & antè mortem manumiserit, & testamenta scribere permiserit.

ET *quidem iuuenum*] Al. & quidem inueni solatia duo.

PERMITTO *seruis testamenta facere*) Non certè vt seruis, sed vt iam libertis manumissis, vt iure præcipitur.

ALIOS *huiusmodi casus nihil amplius vocare, quàm damnum*) Damnũ à deminuendo dictũ esse Varro scribit. in Iure, damnum aliquãdo pro impensis, nonnunquam & pœna: est & damnum iniuria datum, &c. Hîc seruorũ amissionem (quia serui sunt in patrimonio) molliore verbo, damnum potiùs, quàm casum vocare mauult. Damnũ.

ADMITTERE, *non solatiis non egere*] In al. leg admittere, solatiis non egere.

EST *enim quedam dolendi voluptas, præsertim si in amici sinu defleas*) Ouidius 4. Tristium.

Fléque meos casus: est quædam flere voluptas:
Expletur lacrymis, egeritúrque dolor.

AD EPISTOLAM 17.

DE inundatione Tiberis.

FOSSA *quam prouidentißimus Imp. fecit*) Traianus, nempe.

ANIO, *delicatißimus omnium*) Fluuius Latij, quem & Anienum Statius nominat. vide Plinium Histor. natur.

EVEXIT *atque extulit*) Leg. in vet. erexit.

VIDERVNT *hîc quoque, &c.*) Huc cõferri velim vberam illam & luxuriantem, vt ita dixerim, descriptionem diluuij apud Ouid. 1. Transformationum.

DEIECTI *nubibus*) Al. adiecti: al. additi.

PRORVPTA *opera*) Al. proruta.

Aucta luctibus damna. AVCTA *luctibus damna*) Quod idem ipsũ queritur Cic. in Verrem 3. Etiámne hæc tot detrimenta, atque damna cum maximis iniuriis, contumeliísque perferre? Idem in 5. exaggerat Verris facinus de supplicio ciuium cruci affixorum, quos ille iusserat in ea parte figere quæ ad fretum spectaret; & hoc addidisse, palàm se illum locum delegisse, vt qui se ciuem Reipublicæ diceret, ex cruce Italiã cernere, ac domũ suam prospicere posset. Plin. lib. 6. epist. 8. Non ferret magnum & liberum ingenium cum contumelia damnum. Huc etiam quæ lib. 2. epistol. 12. Quid miserius quàm exsectum, & exemptum honoribus, &c.

PARVVLVM *differt, patiaris diuersa an expectes*) Immò interdũ quod metuitur grauius existimatur, vt bellè Ouid. in Heroid. epist.

Occurrunt animo pereundi mille figuræ,
Mórsque minus pœnæ quam mora mortis habet.

AD EPISTOLAM 18.

DOMITIVM Tullum, virum alioqui toto vitæ tempore nefarium habitum, tamen laudabile teſtamentum condidiſſe.

TESTAMENTA *hominũ, ſpeculum morum*) Vt quę arguunt hominis animũ ingeniúmque quale, quàm prouidum, quàm rectum iuſtúmque fuerit. quod tamẽ non vbicumque verum eſſe docemur exemplis longè multis, nedum Pliniana hac epiſtola. Nam & videmus multos eſſe locupletes homines qui legatis in pios vſus relictis, vel etiã ipſo hereditatis aſſe, vitę alioqui facinoroſę maculas, & infamię labem hoc laudabili exitu conentur abſtergere: & hi quidem de eo genere hominum qui vt eſt in Publ. Mimo, nunquam niſi cùm moriuntur, boni ſint. Teſtamẽta hominum ſpeculum.

ERGO *varij tota ciuitate ſermones*) Vt poſt hominum mortẽ liberrima eſſe iudicia ſolent, Seneca epiſtol. vnus dies de omnibus fert ſentẽtiam Plin. 7. hiſtor. nat. cap. 40. ita eſt profectò, alius de alio iudicat dies, & tamen ſupremus de omnibus. Pind. Olymp.

Ἡμέραι δ' ἐπίλογοι μάρτυρες σοφώτατοι,
Dies poſteriores ait eſſe teſtes ſapientiſſimos.

QVOS *ſic decipere pro moribus temporum prudentia eſt*) Quamquam à viro bono debeat imprimis abeſſe fraus omnis & calliditas, tamẽ quia non viuimus inter perfectos, eos Fallere fallentes.

qui fallũt aliquo vicissim modo capere nõ putatur non licitum: Ouid. in 1. de Arte,

Fallite fallentes, ex magna parte profanum
Sunt genus, in laqueos quos posuere cadant.

NAM *Curtius Mantia perosus*) Rectiùs in multis vet. Curtius mancipia perosus.

IN *quo omnibus affinitatibus, pro cuiusque officio, gratia relata est*] Vt cognationũ, sic & affinitatum sunt distincti gradus quos secernere nemo prudens ac bonus non debet.

TANTAS *opes oculis solis obibat*) Vir alioqui diues, sed adeò senex, & morbo confectus, vt ei opum quas haberet magna sanè copia fructus abesset.

IN *horreis quæ negligebantur*] Horat.

Exilis domus est, vbi non & multa supersunt;
Et dominum fallunt, & prosunt furibus.

AD EPISTOLAM 19.

MAXIMO librum quendam suum & legendum, & diligenter emendãdum committit.

ET *gaudium mihi & solatium à litteris*] Locus hic communis fusè à M. Tull. digeritur. Orat. pro Licinio Archia aliisque locis sanè multis, vbi ex currit in philosophiæ laudes.

INTENDE *libro*) Sic lego in quibusdam, Intende in librum meum.

PORRO *vt ex studiis gaudium, sic studia hilaritate proueniunt*) Et quod de Poëtica dixit Ouid. id generaliter ad studia litterarum alia conferre libet;

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

AD EPISTOLAM 20.

MVLTA de Vadimonis lacu miratu digna narrantur.

NATVRA *comparatum vt proximorum incuriosi, longinqua sectemur*] Id non tam natura; quàm consuetudine praua comparatum, vt quod de longinquarum peregrinationum mercibus, quas carissimè vendant propolæ, itidem de aliis ferè rebus sentiamus, quæ procul hinc comparari solent à nobis, earum interdum quas habemus fortè meliores obliti. Merces exterę cariùs venduntur.

ET *pressior sulfuris*) Al. pressior sulfure.

VELVT *cymbulæ*) Legunt al. corbulæ.

NAM *te, vt me nihil æquè ac naturæ opera delectant*) Sapiẽtum hominum is labor, ea cura, id studium, vt cùm naturam sequantur, eique pareant, naturæ etiam miraculis imprimis delectentur: quæ vna contemplatio tot eruditos homines per tot secula exercuit, vt pleriq; cùm in eo studio sint emortui, posteros tamen non modò non deterruerunt, sed & vehementer ad eam philosophiæ partem longè maximam & vberrimã illustrandam inflammarunt. Naturę opera.

AD EPISTOLAM 21.

IOCIS interdum liberalibus remittenda esse studia grauiora: tum de suis epigrammatis quædam.

Comitas seueritati admista.

IN studiis, vt in vita seueritatem, comitatemq; misceré] Ita comitate conditam grauitatem celebrat Cato Senior apud Tul. Auso. epist. Tetradio,

Qui felle carmen atque melle temperans,
Torpere Musas non sinis.
Pariterque fucas quæque gustu ignaua sunt,
Et quæ sapore tristia,
Rudes Camœnas qui fuesse præuenis,
Aeuóque cedis, non stilo.

Idem in Parentalibus;

Qui ioca lætitiámque colis, qui tristia damnas,
Nec metuis quemquam, nec metuendus agis,
Tu grauis & comis, cum iustitiaq; remissus,
Austeris doctus iungere temperiem.

In professoribus. Tiberio Victori,

Nullo felle tibi mens liuida, tum sale multo
Lingua dicax, blandis & sine lite iocis.

Itidem;

Facetè comis, animo iuuenili senex,
Cum felle nullo, melle multo mens madens,
Aeuum per omne nihil amarum miscuit.

IVLIO *mense, quo maximè lites interquiescũt*] Iustitiorum dies indicantur, ob nimios æstus, quod censet Cataneus: ex quo tamen mihi non facio satis. Videram iam ante dictos olim dies Halcyonides, seu Halcyonios in quibus fora cõticescunt. Sic Plautus dixit, Halcedones esse iuxta forũ: quod intelligitur de intermissis fori procellis & turbinibus. Sed ad rẽ: à forensi & litigioso strepitu iudiciorũ fuisse concessas remissiones quas Iustitiorũ nomine veteres appellabant, notum satis esse arbitror: vt apud Senecam in Claudij ludo; Feriis res proferũ-

Dies Halcyonides.

tur, inquit, quod tum meſſium, cum etiam vindemiarum tempore fieri ſolitum accepimus: duos tamen poſtea menſes ad id cõceſſos ex Minucij Octauio didicimus: Ad vindemiam feriæ iudiciariam curam relaxauerant. Idem Seneca Claudium taxans quod litigiis impenſiùs operam daret, vt etiam diebus feſtis ea nõ laxaret, ſic ait: Plus in eum ſeuerè animaduerti, nec illi rerum iudicandarum vacationem dari, eúmque quamprimùm exportãs, de cœlo intra dies triginta excedere, olympo intra diem tertium. Et Claudij ad Herculem verba hæc apud eundem: Ego eram qui tibi ante templum tuum ius dicebam totis menſibus Iulio & Auguſto. Ex quibus verbis facilè apparet Quintili & Sextili ferè menſe in foro ſolemnes fuiſſe ferias.

Vt *neceſsitatem voluptatibus, ſeria iucũdis anteferrem*) Rectè ille quicũque tandẽ fuerit;

Multa voluptati debentur, plura ſaluti:

Quam naturæ legem qui excedit, malè de ſe naturáque humana meretur: quæ cùm ſanè multa blandimenta dederit, quis tamen ſanus anteferat voluptates titillantes, & luſus & delicias rebus honeſtis, iiſque neceſſariis?

Delegatvs *ac ſimilis ignoto*] Malim, delicatus, vt ſententiæ accommodatius verbum.

AD EPISTOLAM 22.

IN eos qui grauiùs multò aliorum errores vellicant, aut reprehendunt.

QVI *omnino libidinum serui, sic aliorum vitiis irascuntur, quasi inuideant*) In quo non modò turpe & pudendum, si

Turpe si criminosus criminosum arguat.

Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum.

Sed & planè miserum, quòd se homines esse non meminerint, & ipsimet turpia castigantes inuidere videantur iis quos minùs vitiosos possunt agnoscere.

OPTIMVM *& emendatißimũ existimo, qui cæteris ita ignoscit, tãquam ipse quotidie peccet: ita peccatis abstinet, tãquam nemini ignoscat*) Nescio an grauiùs, an cordatiùs dictum: In reprehendendo non debemus ita vehementes esse, quin nos homines meminerimus. Nemo enim vitiis sine nascitur, id scimus;

Et hanc veniam petimusq́; , damusq́; vicißim.

Ergo qui in alium quid dicere est paratus, carere iis vitiis maximè debet quæ reprehendit, ne suo ipse gladio se confodiat.

QVOD *vir mitißimus, & ob hoc quoque maximus Thrasea; crebrò dicebat, Qui vitia odit, homines odit*) Non quòd nulla sit admittenda castigatio, sed vt qui reprehendit, seipsum priùs norit, & naturæ humanæ meminerit, quæ omni prorsus carere vitio non possit. Sic enim ille,

Qui vitia odit, homines odit.

Amici vitia si celes, facis tua.

Et Ouidius;

Corripis vt debes stulti peccata sodalis.

Sed id tamen Thraseæ lubens cum Mimo Publij conferam; Amici vitia noueris, non oderis: cuius hic sẽsus, Amicum vel quibusdam vitiis obnoxium ferre potes, non tamẽ

vt

vt personam ipsam amici oderis, quamquã vitia odisse debeas. Cõuenit & illud D. Hiẽronymi, Homines sunt diligendi, peccata odio habenda, c. odio. dist. 86.

AD EPISTOLAM 23.

IVLII Auiti, ædilitatis candidati mortem deflet, vt ornata & elegandi, sic tristi admodum oratione.

LATVM *clauum in domo mea induerat*) Latum clauum, insigne Senatorum, quo distinguerentur ab equitibus, in superioribus meminimus. Latus clauus Senatorum.

QVOTVS *quisque vel ætati alterius, vel auctoritati vt minor cedit*) Et hanc nostrorũ quorumdam nouiciorum vel impudentiam, vel petulantiam ferre, patique cogimur, quia legum silente voce, & de prauatis moribus eò processimus, vt nulla penè sit ordinum vel ætatum distinctio. Impudẽtia quorũdam iuuenum.

STATIM *sapiũt, statim sciunt omnia, neminẽ verentur, imitantur neminem*) Hoc dictum non sine dente in impudentes quosdam iuuenes è scholis Rhetorum, aut Sophistarum recẽtes, quibus quid vanius, aut intolerabilius, supra ex Petro Arbitro, qui qualésque sunt adumbrare conati sumus, qui quo loci de centumuiralibus causis Plinius.

TRIB. *ita intellexit & excepit*) Alter quidã, cœpit, habet simpliciter.

QVAESTOR *Consulibus suis & plures habuit*) Al. & prætoribus habitus.

TOT *spes, tot gaudia dies vnus in diuersa con-*

uertit] In al. aduersa conu.

N E *grauissimo dolori timore consuescerem*) Al. tempore.

S C R I B E R E M *hæc, scriberem sola*] In vet. meliùs, scriberẽ hæc méque, &c. Nam quod post additur, scriberem sola, valdè suspectum.

AD EPISTOLAM 24.

DE ordinanda Achaia prouincia, monet quo pacto prouinciales hi, vt qui libertati assueti, regendi sint.

N O N *vt præcipiam, neque enim præceptore eges*) Ea non rarò apud Tullium Ciceronem ἐπανόρθωσις qui orationis color modestiam arguit.

Præcepta & monita. N O N *vt præcipiam, admoneam tamen*) Modestè id, vt distinguat præceptum quod necessitatem quandam parendi habet, ab admonitione, seu consilio libero, quo relinquitur & quo suadetur aliquid facere arbitrium liberum.

Atheniẽsiũ laus. I N *qua primùm humanitas, literæ etiam fruges inuentæ esse creduntur*] Ciceronem videtur æmulatus, ex Orat. pro Flacco, Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ sunt, atque in omnes terras distributæ putantur. Et hæc quidem ille. Aristoteles autem non sine morsu dixit, Athenienses frumenta legésque inuenisse, at eos frumentis vti, non legibus.

R E V E R E R E *& ipsam senectutẽ, quæ in homine venerabilis, in vrbibus sacra est*) Et ipsum

quidem verbum γῆρας, id est, senectus, quasi γέρας, honos siue præmium dicitur, οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες; ait Plato Philebo, priscos nempe nobis præstantiores, Deóque propinquiores. Simile id l. semper. D. de iur. immunitat. Semper in ciuitate nostra senect' venerabilis fuit: namque maiores nostri eundem senibus honorem quē magistratibus tribuebant. Ita Val. Max. de institutis antiquis lib. 2. de senectute i;uuentutē olim ita cumulatū & circumspectum honorem reddidisse, tanquam maiores natu, adolescentium cōmunes patres essent. Eadem penè Gell. retulit 2. lib. Noctium, cap. 14. Sic Lycurgus honorem magnum non diuitum aut potentum, sed pro ætatis gradu, senum esse voluit, ait lib. 3. Iustin. idémq; Plut. in Lycur. Sed quid Ouidiana è 5. Fastor. prætercam? Laus veterum.

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inque suo precio ruga senilis erat.

Et Iuuenal. 13. Sat.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat.

SIT *honor antiquitatis, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque*] Elegans hic locus de honore antiquitati, canęque, vt ita dicam, virtuti exhibēdo, imò ad superstitionē vsq;, quasi fabulosis factis habēdus honos esse videatur. Sed vno verbo, antiquitas veneratione digna in multis, quæ vt plurimùm vera fabulosis implicat; non vt fabulas amplexemur; sed vt ipsos quasi canos vetustatis honore omni prosequamur. Tull. de Orator. Habet vt in ætatibus auctoritatem, sic in exemplis

antiquitas, quæ quidem apud meipſum valet plurimùm. Ouid. 1. Metam.

--mihi ſit pro teſte vetuſtas.

HABE *ante oculos hanc eſſe terram, quæ nobis miſerit iura, quæ leges non victa acceperit*) Idem expreſſum ex eo quē proximè vcitaui Tullij loco.

Lapſa gloria etiam verenda. RECORDARE *quid quæque ciuitas fuerit, non vt deſpicias quod eſſe deſierit*) Ciuitates hæ quondam magnæ ac felices imperio tādem Romano parere coactæ: & hæ conditionis ſuæ primę memores, vſurpārunt alioqui Æneæ illud;

Nos fuimus Troes, ———

Vel hoc alteriùs cuiuſdam;

Nos quoque floruimus, ſed flos fuit iſte caducus.

Non fuiſſe tamen ex eo commutato ſtatu minoris habendas, ſapienter præcipit optimus humanarum rerum æſtimator Plinius: qui fortunæ inconſtantiam non eſſe ſeruičtibus vt probrum obiiciendam, aut rapiendam in cōtumeliam velit: quaſi vno verbo, reuerere antiquam illam ciuitatum liberarum felicitatem: neque protinus aſpernere ſi ab ea exciderint.

AN *contemnitur qui imperium, qui faſces habet? niſi qui humilis, & ſordidus, & qui ſe primus ipſe contemnit*) Horum verborum certè grauiſſimorum tota vis pendet à prouerbio vetere, Magiſtratus virum arguit: cuius vim elegantiſſimè eſt Cicero perſecutus adhortatoria ad Qu. Fratrem, quæ eſt de prouinciæ adminiſtratione. Magiſtratus virū arguit.

MALE *vim ſuam poteſtas aliorum contumeliis experitur*). Nihil alienum magis à magiſtra-

tu, quàm si se contumeliosum aut petulantem in subditos præstet. Ergo circa eos quibus dicit ius, Proconsulē esse patientem oportet, l. 9. §. circa. D. de offi. procons. Celebrat imprimis Cicero Cyrum & Agesilaū Xenophontis, quorum imperio neminem vnquam verbum vllum asperius audiuisse: at cùm imperiū sit cura salutis alienæ, quod Ammianus Marcellinus ait, & magistratus imperij partem aliquam habeat, quis eum conuiciosum, petulantem, aut contumeliosam ferat? qui non modò indignū honore eo putet, sed & pœna aliqua mulctandum, qui cùm modestiæ omnis & æquabilitatis exemplum præbere debeat, nihilque nō facere pœnitendum, iis quibus ius dicit, iniuriosè appellet? Viderint hoc nostri plerique Decuriones, qui suæ dignitatis parū interdum memores, sic etiam aut pro tribunali sedentes, aut de plano statuētes aliquid, vel denique oblato supplici aliquo libello sic concitantur, vt satius aliquando sit naufragis miserrimis in scopulos decidere. Contumelia abſit à magistratu.

MALE *terrore veneratio acquiritur*) Quem metuunt, oderunt; & quem quisque metuit, periisse cupit. Meliùs Claudianus, Principis clemētia.

----peragit tranquilla potestas
Quæ violenta nequit, mādatáque fortius vrget
Imperiosa quies.

LONGE *valentior amor ad obtinendum quod velit, quàm timor*) Plùs amore quàm vi effici, exemplis longè multis veterū, & quotidiano vsu facile est cognoscere.

QVO *magis nitendum*) In al. interdum.

CVM *sit multò deformius amittere, quàm non*

Nihil miseriusquã ex beato miser.

assequi laudem) Benè Tull. durior est spectatę virtutis, quam incognitę conditio. vtque nihil miserius quàm ex beato miser, sic post comparatam laudem de gradu deiici, longè pudendum est & miserum.

NON *vereor in amore ne modum excesserim: neque enim periculum est ne sit nimium, quod esse maximum debet*] Id supra ferè eodem sensu complexus est, quo loci excusat se, quia pluris amicos fecisse videatur quàm fortè essent, lib. 1. epist. 14. lib. 3. epist. 11. & lib. 7. epist 28.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. IX. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

MAXIMVS scripserat libros quosdam in Blaterã: quo mortuo cùm publicationem differret ille, monetur à Plinio vt eos edat, ne videantur post hominis mortem compositi.

BLATERAM) Al. Platam: sed & in aliis plantam.

IMMÒ *& pro te & in illum*) Quales sunt orationes Ciceronis adeò multæ, vt illa pro Pub. Sestio, qua suam ipse potiùs Cicero causam, quàm Sestij tuetur, aduersus Clodium, Gabinium, Pisonem, &c.

SALVA *tibi sit constantiæ fama*) Vet. salua tibi sit constantia.

S*i notum æquis, iniquísq; fuerit non post inimici mortem scribendi tibi natam esse fiduciam*) Contra enim laruas luctari, hoc est mortuis obtrectare, nõ est hominis sobrij, quin potiùs vel suæ famæ iactura litteris & otio abutentis.

SIMVL *vitabis* ὅσιον, *&c.*) Versus est Homericus in Odyss. χ. quo significat ne-

Indignũ mortuis insultare.

fas esse viris interfectis insultare, aut quoquomodo maledicere: Laërtius Chilonem ait vetuisse mortuis obloqui, quòd ignauum videretur eos lingua incessere, qui respondere non possent. Ælianus Philostratum reprehendit, qui accusationem cuiusdam tyranni iam mortui scripserat. Institutũ illud tuum laudarem, inquit, si viuum accusasses. Viuentem enim tyrannum incessere, viri esse dico: at mortuo insultare, vel temerarii vel insani est, τὸν μὲν ζῶντα τὸν τύραννον ἐπικόπτειν, ἀνδρὸς εἶναι νομίζω, τὸ δὲ ἐπεμβαίνειν κειμένῳ, παντὸς καὶ δειλοῦ. Et Minutius Plancus cùm audisset orationes quasdam in se ab Asinio Pollione scriptas, quas tamen ante mortem editurus non esset, cum mortuis non nisi laruas luctari respondit. Demosthenes aduersus Leptinem, nemini mortuo maledicendum. Versui Homerico conuenit Maronis illud ex II. Æneid.

Nullum cum victis certamen & æthere cassis.

D E *viuente recitatum*) Abest à membr.

S I *editur*] Etiam abest.

T E M P O R I S *ratio*) In aliis, mortis ratio.

AD EPISTOLAM 2.

AIT se hominem rebus occupatum grauioribus, de rebus leuioribus minimè posse scribere.

V E R E B A R] Al. noui.

F R I G I D I S *negotiis, quæ simul & auocant animum & comminuunt*] Ea frigida curarum momenta voca. Horat. vti iam suprà epist. 3.

lib. I. vt & noster 8. lib 2.

NEQVE *enim eadem nostra conditio quae Marci Tull. illi & copiosissimum ingenium, & ingenio par materia*) Egregium hoc Ciceronis elogium ab egregio profectum viro, petitum nempe illud à duobus adiunctis, quorum prius animi, & naturae, ingenij nempe, cuius beata vena, subinde à multis celebrata, vt in quem eloquentiae vis omnis, qualis in homine esse potest transfusa videatur: alterum à materia, seu subiecto, in quo maximè elaborauit, quod felicibus rerum temporibus non potuit nõ magnum esse ac praeclarum: qui sanè quamquam eruditissimus si saeculo minus felici & alio Reipub. statu floruisset, eum, vt opinor, occasio rerum benè gerendarum, & tot scriptorum in lucem mittendorum impetus defecisset. Quotus enim quisque non videt fuisse vel nostra aetate quosdam qui nequaquam Cicerone inferiores videri possunt? M. Tullii laudatio

PARVO *ingenio materia*) Deest à vet.

INGENIO *par materia*) Vt Iuuenalis Satyr. I.

Ingenium par materiae.

SCHOLASTICAS, *atque vmbraticas litteras*) Hîc scholasticas & vmbratiles scriptiones opponit veris, & quae in vsu hominum quotidiano constant: vt alias Rhetorum σκιαμαχίαι opponi solent veris certaminibus & castris. Scholastici libri.

ARMA *vestra*) Plerique legunt armaturam.

AD EPISTOLAM 3.

AD famam nominis comparandum adhortatio longè pulcerrima.

A c *nihil nisi premium*) Vet. cod. habet, at mihi nisi præmium.

CONTENDERE *& non remitti, tum hos quiescere*) Alij lib. sic contendere eniti, hos quiescere, remitti: malum tamen quiescere, non remitti, vel: hos quiescere, non remitti.

Vita studiosorũ & inertium. V T *video multos misera simul & ingrata imagine industrie ad mortalitatẽ sui peruenire*] Salust initio Catilinarij: Quoniam vita ipsa, qua fruimur, breuis est, memoriam nostri quam maximè longam efficere debemus. dein sequitur: multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultíque, vitam sicut peregrinantes transegêre, quibus profectò contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum vitam mortémque iuxta æstimo, quia de vtraque siletur.

AD EPISTOLAM 4.

ORATIONEM quam in Classicum habuit, excusari vult vt longam satis, si vniuersum attendimus, sed in partibus breuem, quia tędium legenti non adferat.

Oratio forensis. S AE P E *incipere, sæpe desinere videatur*) Orationum cõtentiones forenses multis meandris ac flexibus deductę varios habent multiplicesq; ingressus & exitus, vel quia mul-

ta interdum capita non possunt vno contineri fasce, vel quia genus dicendi varium, sæpéque mutatum eas habet arguendi strophas quæ ad vertendum, & iudicem & auditorem flectendum valeant, qua de re pleni sunt oratorij Ciceronis libri & Fabij Quintiliani.

AD EPISTOLAM 5.

PROBAT Tironis Calestrij, simúlque laudat æquitatem in administranda prouincia Bætica.

INQVIRO *enim & perseuero*) Al. inquire enim & perseuera.

PLERIQVE *dum verentur ne gratiæ potentium nimium videantur impartiri, sinisteritatis, atque etiam malignitatis famam consequuntur*) Sic enim, Sinisteritas.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Vt enim plerique assentationis suspicionem fugiant, neque quicquam principibus viris obsequantur, quia seruile id turpéque, interdum etiam flagitiosum putant, incidunt in contrarium vitium sinisteritatis, quam vel duritiam vel maleuolentiam placet appellare, in quorum certè vitiorum medio, virtus, candor nominatur, vt alio iam loco meminimus.

VT *discrimina ordinū dignitatúmque custodias*) Discrimina ordinum. l. siquis indebitum, toto titulo, vt dignitatum ordo seruetur, cuius hæc verba legis: siquis indebitum sibi locum vsurpauerit, nulla se ignorantia defendat, sitque planè sacrilegij reus, idem in Cod. Theodosiano

lib.6.tit.1. Nobilis est Tauri Philosophi dissertatio apud Gell.lib.2 cap.2.

AD EPISTOLAM 6.

QVAM nihil fecerit Secundus ludos Circenses, ad quos populi omnium ordinum cõcursus fiebat, hîc disertè aperit.

Circenses ludi. NVNC *fauent panno, pannum amant*) Id de coloribus Circensium certaminum: quem morem veterem quia plerique non ita notũ habent, hæc pauca: In certaminibus erant factiones in coloribus iuxta anni quatuor discrimina. Prima factio erat prassina, propter virorem dicatum Veri: secunda rosea, Æstati: tertia alba, Autumno: vltima veneta quæ & cærulea, Hyemi: in his spectantium ora, & fauores populi attendebantur, gratiáque valebat plurimum, & studio non parum certabatur: quisque suo clamore & plausu fauebat suis, adeo vt ij magis panni colore & clamore fauentium, tum excitante, tum impellente, quàm virtute niterentur, ex quo fiebat vt populus & principes inter se magnoperè factionum affectatione certarent. Martial. sæpe meminit, alijque. vide Lactan. lib 1. & 7. cap. 1.

MEDIOQVE *certamine*] Alij, non mediocri.

Vulgus panno vilius. APVD *vulgus, quod vilius tunica est*) Dicitur hóc non sine stomacho ad eleuandum populare studium. & id sanè νόημα, seu παρεκβολὴ, quales multæ apud auctores, vt Ouid.

——————*quæ vestra libido est.*

Item illud,

Quæque latent meliora putat——

Et Horat.

Digne puer me lucre flamma.

Sed hæc apud Rhetores. De vulgi vilitate alij multa. Eadē fermè sententia Seneca 42. nihil est cuiq; se vilius. quo loci disputat de iis quæ carissimè constant, plurisque ex eo fiunt, quòd nobis nostra cupiditas imperet.

SED *ego apud graues homines quos ego cum recordor in re inani, frigida, assidua tā insatiabiliter desidere,*] Acutè hoc & sapienter, quod facilè torserim in nostros togatos, viros graues & ad exemplum publicum natos qui se rebus ludicris, aleę, pilæ, nonnūquam choreis, interdum etiam mimorū cœtibus totos dies immisceant, vel etiam obtrudunt sese, vt eos sæpè pœniteat, & quasi conquerantur se tempus amisisse, quia non perdiderunt.

CAPIO *aliquam voluptatem, quod hac voluptate nō capiar)* Argutè id & eleganter, quò refertur Platonis illud, cum diceret eum beatissimum cui vel in senectute sanè opiniones contigerint. Rectè autem cordatéque Secundus, qui suum ipse animum oblectet, quòd vulgari illa Circensium voluptate non capiatur; vt qui iam pridem se à vulgi ludicris & inanibus ineptiis exemerat. Ita Seneca epi. 18. nec per omnia nos similes esse pileatę turbę par est; nec per omnia dissimiles, nisi his fortè diebus maximè sit imperandū, vt tunc voluptatibus solus abstineat, cū in illas turba omnis procubuit. certissimum argumentum firmitatis suę ca-

pit si ad blāda, & luxuriam trahentia nec it neca dducitur. Hoc multò fortiùs est ebrio ac vomitante populo siccum ac sobrium esse. Illud temperantiùs non excerpere se, nec insigniri, nec misceri omnibus, & eadem, sed non eodem modo facere, licet enim sine luxuria agere festum diem.

AD EPISTOLAM 7.

Plinij villæ.

DVAS villas iuxta lacum Larium, vnam in demisso colle, alteram in edito colle sitas, ob oculos ponit: & ioculari quodam modo, hanc comœdiam, illam tragœdiam nominat.

NON *dissimile*] Vet. non dissimulo.

ILLAM *quòd quasi cothurnus, hanc quòd quasi socculus sustinetur*) Iocosè id à Secundo, qui suas villas eruditis appellationibus Tragœdiæ & Comœdiæ insigniat Hîc verò de cothurnis tragicorum, & comicorum soccis dicere aliquid non video quàm sit necesse.

HIC *spaciosissimo xysto leuiter inflectitur*) Desunt hæc in membr.

ILLA *editissimo dorso duos dirimit*) In aliis, illam durissima dorsa dirimunt.

ILLIC *recta gestatio longo limite super littus extenditur*) Variat hîc lectio: nam alij legunt, illic recta venatio, hîc gestatio longa mirè super litus extenditur.

SPACIOSISSIMO *Xysto*) De Xysto dictum in superioribus.

AD EPISTOLAM 8.

VERETVR laudare Augurinum à quo laudatus erat.

ET *ego quæ de me vel optima lego*) Alij, sic legunt ea quoque de me peto optima.

AD EPISTOLAM 9.

COLONIS fidem & tenacem amicitiam laudat, qui mortem Quintiliani dolenter ferret, viri ea laude propter magnas animi dotes dignissimi.

A c*ne simulant quidem*) Ab. à vet.

NON *vt plerique qui tantùm viuentes amant, seu potiùs amare se simulant, ac ne simulant quidem, nisi quos florentes vident*) Plena simulatorum omnia, plena ingratorum, & assentantium: quod triplex vitiorum agmen hoc loco incessitur.

QVOD *iudicium*) Deest in membr.

AD EPISTOLAM 10.

CORNELII Taciti hæc epistola, qua superiori Plinianæ quæ legitur 6. lib. 1. respondet se commodè venationi & studio simul operam dare non posse, vti senserat Plinius.

IN *vehiculo feruntur*) In aliis, feruntur.

ID *genus operis inamabile, inamœnum*) Alij,

operis & in famam vile & inamœnum.

AD EPISTOLAM II.

POLLICETVR Geminio aliquam partem se suorum scriptorum notaturum qua inseratur eius nomen, atque non sine sua laude scripta quæ iam edidisset venalia esse Lugduni.

IVCVNDISSIMAM) Alij, iucundissimè.

LIBELLOS *meos quibus peregrè manere gratiam, quam in vrbe collegerint; delector*) Alij, meis & peregrè inire gratiam quam in vrbe legerint.

INCIPIO *enim satis absolutum existimare de quo tanta diuersitate regionum discreta hominum iudicia consentiũt*) Alij, discrepata, perperàm.

AD EPISTOLAM 12.

NOn esse seuerè agendum cum adolescente filio, cum nemo sit ex omnibus quin vitio sit alicui obnoxius.

NON *omnes homines aliquo errore ducuntur?*) Horat.1.Serm.

Nemo vitiis sine nascitur, optimus ille,
Qui minimis vrgetur.

Affine illud Plinij maioris: nemo omnibus horis sapit.

PRO *amore mutuo*] Al. more.

ATQVE *ita hoc quòd es pater, vtere*) Nullus amor est qui paternum vincat, vt consulti

aiunt, στοργὴν φυσικὴν Graeci: quem affectũ certè vehementem appellamus, vt Cic. ad Atticum: cum & patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere. l. Diuus. D. ad l. Pompeiam. de parricid.

AD EPISTOLAM 13.

SIGNIFICAT quomodo se gesserit in tractanda perorandáque Heluidij vltione, & quid inde secutum sit.

FVERAT *mihi cum Heluidio amicitia quanta potuerat cum eo qui metu temporũ nomen ingẽs, paréſque virtutes secessu tegebat*) Tyrannis enim quia suspecti boni, sese in sua continere pellicula coguntur, vt ne quidem hiscere audeant. Vide Ælianum lib. 14. variæ historię cap. vlt. & Aristot. 5. Politicorum cap. 10. & sequentib. Heluidius.

INDVCERE *in animum quominus illi codẽ die facturum me inducerem*) Al. induceret in animum quò minus illi crederem non facturum me.

AVDIO *imperturbatus*) Al. inturbatus, sed & in quibusdam interturbatus.

RESIDO; *aguntur alia interea*) Hoc in aliis ita interpungitur: resido, aguntur alia interea me quidem.

ET *famosissimum*) Non est in cod. manusc.

OMNIA *percepi atque animo mecum ante peregi*) Ex Virgil. in 6. Æneid. verba Æneæ ad Sibyllam.

FAB *Posthumius*) Vel. Maximinus.

AMMIVS *Flaccus*) Al. Annius.

DATVM *se à consulibus tutorem*] Ea tutelæ species, quæ datiua nostris dicitur.

RELATIONEM *quidem de eo Cæsar ad senatum non remisit*] In vet. sic, relationis quidem die Cæsar abfuit.

IMAGINEM *menti eius hanc oculis oberrasse*] Al. inerrasse.

ME *sibi cum ferro imminere*] Al. Heluidium respondere mihi.

TANQVAM *videret me sibi cum ferro imminere*] Vet. sic, tanquam videret Heluidium respondere mihi.

SI *modò epistolam cogitas*) Al. si modum epistolæ.

AD EPISTOLAM 14.

HORTATIO ad Corn. Tacitum vt sibi famam nominis immortalem scriptis comparet.

ID *enim superbum*] Abest à manus.

Fama nominis. QVOD *vt paucos in lucem famámque prouexit, ita multos è tenebris & silentio protulit*] Pauci sunt sempérque fuerunt eruditionis nomine illustres viri, si cum reliqua hominum multitudine conferātur, qui famam nominis ex studiis quæsiuerunt: qui tamen ipsi longè multos, sanéque innumerabiles ab obliuione vindicarunt, quod Cicero, Horatius, Sallustius, aliíque inculcant.

AD EPISTOLAM 15.

CONCESSERAT Secũdus ad Tuſcos, ocij & ſtudiorũ cauſa, quod cùm ageret, ſe moleſtis ruſticorũ interpellationibus exerceri queritur.

FALCONI *ſuo*) Vel Mamiliano, vt in aliis.

ACTIVNCVLAS] Al. retiunculas.

ET *frigidum, & acerbum*) Al. & ſerum.

AD EPISTOLAM 16.

STERILES fuiſſe vindemias indicat, ſed pro muſto ait ſe nouos verſus confecturum.

AD EPISTOLAM 17.

PERMITTENDAM ſuam quibuſque voluptatem exemplo monet.

QVIA *nequaquam me inſpectatum feſtinúmve delectat, ſed quid molle à cynædo, petulãs à ſcurra, ſtultũ à morione præſtatur?*] Elegans & acuta διάνοια, qua prudentis hominis τὸ πρέπον effingitur, qui in iis quæ ipſe improbet, patientiam ſibi poſſit imperare. Seruiendum enim aliquando ſcenæ ac tempori, ne cùm ſemper nimiſque rigidè vitia inceſſimus, eadem exuperemus, nóſque aliis ridendos propinemus: vt enim rerum aliarum, ſic reprehenſionum ſua tempeſtiuitas eſt, vt qui non opportunè vitia reprehendat, infelix operam perdat, Et Seruiendũ ſcenę Sapere vltra modum.

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui
Vltra quam ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.

DEMVS *alienis oblectationibus veniam, vt nostris impetremus*) Te tua delectant, me mea, inquit ille, & trahit sua quemque voluptas: & quid? num quędam habes vitia? certè alia atq; haud fortasse minora: vt Hora. I. Serm. Nihil igitur erit quod tuis vitiis condones, nisi ad aliena vtcunque conniueas.

Trahit sua quemque voluptas.

AD EPISTOLAM 18.

POLLICETVR se libros suos Sabino daturum, sed ordine aliquo seruato ne memoria oneretur.

Digesta.

QVASI *digesta*) Qualia quæ ordine, certáque ratione ita digeruntur, vt simul & ingenio consulatur & memoriæ; eo nomine vocantur Latino verbo Digesta Iuris, Græcóque Pandectæ, quibus iuxta edicti perpetuum ordinem compositis, Ius omne Romanum compositum est.

AD EPISTOLAM 19.

AN in laude maiore minoréque Virginius, qui monumentum sibi extrui curauisset, an Frontinus qui prohibuisset.

Sepulcri cura.

QVOD *voluerit omnino sibi monumentũ fieri*) Vt Cato qui malebat sibi statuam non poni: aut vt ille apud Tul.

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit; Quantum extenditur hominum memoria? aut quam habent æternitatẽ saxa & tumulorum extructiones? apud sapien-

tes igitur facilis iactura sepulcri.

REPREHENDIS, *miraríque, atque ita miratus*) Multò correctiùs in membr. leg. reprehendis, adeóque miratus: sic enim sibi constat sententia, expuncta voce, miraríq;, quæ videtur librariis obrepsisse.

AD *hoc sic illum, Cluuine tu ignoras*] Al. sic: Ad hæc Virginius tu, ô Cluui, Cluui, túne ignoras?

IMPENSA *monimenti superuacua memoria nostri durabit, si vitã meruimus*) Al. vita. Id Seneca ad Gallionem, Insepultus iacebis, quid aliud respondeam quàm illud Maronis,

——— *facilis iactura sepulcri.*

Si nihil sentio, non pertinet ad me iactura corporis insepulti: si sentio, omnis sepultura tormentum est: insepultus iacebis, cœlo tegitur qui non habet vrnam: quid interest ignis me an terra consumat? sic Horatius Carminum 2.

Vltima compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte superuacuos honores.

MEMORIAM *suam*) Al. sui.

AD EPISTOLAM 20.

ET gratam sibi Venatoris epistolã fuisse; & quid ruri agat, exponit.

AD EPISTOLAM 21.

CONATVR Sabinianum libertũ quendam qui peccauerat reconciliare.

VERE *credo emendatum, quia deliquisse se sentit*) Quem peccasse pudet, penè est innocens, quod ex senario Græco didicimus eum minimè improbis adnumerandum, qui vereatur, aut rubore aliquo suffundatur, quod est indicium seipsum corripientis. Ex Stobæo cap. 29. πᾶς ἐρυθριῶν χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ. Vir erubescens optimus esse mihi videtur; sicuti apud Comicum,

Peccantis verecundia.

Erubuit salua res est.

AD EPISTOLAM 22.

AEGRE fert Paulum Passienum detineri morbo, virum tum bene moratũ, tum elegantis doctrinæ, vt qui Propertium, gentilem suum elegis numeris imitetur, lyricis Horatium.

VETERES *æmulatur*) Quæ non postrema laus in iis quæ vel morum, vel doctrinę sunt.

ÆMVLATVR, *exprimit, reddit, Propertium imprimis*) Sic alius, æmulatione exprimit, reddit Propertium.

REDDIT *Propertium*) De hoc vide quid Lilius in suis poëtis, dialogo nempe quarto.

PLANE *in Propertij domo scriptum*) Meliùs aliquãto in vet. Planè vt à Propertio, id est optimè scriptum.

MAGNA *mobilitas*) Al. mollitas.

GRATVLARE *mihi, gratulare etiam litteris*] Al. sic: gratulare quòd illum, & me recepi.

AD EPISTOLAM 23.

GLORIAE vt plurimùm studiosus Plinius, sibi gratulatur se doctorum virorum numero, sed vnà maximè cum Tacito adnumerari.

SE *cum Circensibus proximis equitem Romanũ*) Al. se Circensibus proximum equiti.

AN *si Demosthenes iure lætatus est, quòd illum anus Attica*) Retulit M. Tul. 5. Tusc. Leuiculus sanè, ait, Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat, aquam ferentis mulierculæ, vt mos in Græcia est, insusurrantísque alteri, Hic est ille Demosthenes. Quid hoc leuius? Simile illud de Telamone, ob cuius os Graij ora obuertebant sua: vt idẽ Cicer. Confer huc quæ Plinius suprà epist. 12. lib. 4. Omnium qui gloria famâque ducuntur, mirum in modum assensio, etiam à minoribus etiam profecta delectat. Demosthenes laudis cupidus.

AD EPISTOLAM 24.

SABINIANO ad quem ante scripserat, gratias agit, quòd libertum suum domũ redeuntem receperit, eíque condonarit.

QVOD *te talem video, vt in ira regi possis*] Aliter, sic tam tractabilem video.

AD EPISTOLAM 25.

MAMILIANVS negociis castrensibus occupatus, petebat aliquid sibi dari de scriptis Plinianis: quod ne satis conuenire dicat, nihilo tamen minus pollicetur se missurum aliquid, postquàm nouas actiones absoluerit.

POST *iudicium tuum viri grauissimi, eruditissimi, ac super ista verissimi*) Ita noster 7. epist. 31. Etenim qua gloria dignum est summo viro, in tanta eligendi facultate præcipuè placuisse. Non enim paruum; vti ante diximus, laudari à laudato viro. Seneca consolatione ad Albinum: Brutus eo libro quem de virtute composuit, ait se vidisse Marcellum Mitylenis epulantem, & quantum hominis natura pateretur, beatissimè viuentem, &c. adiicit, vilum sibi se magis in exsilium ire, qui sine illo rediturus esset, quàm illum in exsilio relinqui. O fortunatiorem Marcellum eo tempore quo exsilium suum Bruto adprobauit, quàm quo Ro. Pop. consulatum: hæc Seneca. Mart. lib. 7. de Cæsio, ad quem libellos mittit:

O quantum mihi nominis paratur!
O quæ gloria, quàm frequens amator!
Te conuiuia, te forum sonabit,
Vni miseris, omnibus legeris.

Auson. Drepanio eodem fermè sensu;

Pacatum haud dubiè Poëta dicis,
Ipse est, intrepidè volate versus.
Et nidum in gremio fouete tuto,
Post hunc, iudicium timete nullum.

TV *passeribus et columbis nostris inter aquilas vestras dabis pennas*) Iocosè id, ex quo humilem

lem studiosorum conditionẽ quam columbis & passeribus æquiparat,cum militum& castrorum sublimitate,quam nomine aquilarum intelligit,poëtico more confert.

AD EPISTOLAM 26.

AGITVR hîc de genere dicendi, quod elatũ esse & grãde nonnumquã debet, aliquando etiam sæpius materiæ quæ tractatur consentaneum.

NIHIL *peccat, nisi quod nihil peccat*] Vitio datum Isocrati, quod in compositione esset exactior, & fortè superstitiosior: nec minus est Protogenes reprehensus qui manum de tabula ponere nunquam posset. Itaque Ouidius pulchrum corpus sibi non probari dicebat, nisi in quo aliqui næui essent. Nihil peccat, nisi quod nihil peccat.

DEBET *enim orator*) De officio oratoris multa & copiose & variè Tul. Orat. ad Brutũ scribit dialogis oratoriis, vt & Fab. Quin.

NVLLA *laus, illis nonnulla laus*) Al. vis nulla, illis nonnulla vis.

QVI *per funem in summa nituntur, quantos soleant excitare clamores*] Horat. in Arte, videtur ita funambulum, hoc est σχοινοβάτην describsisse; Schenobates,

Namque per extẽsum funem mihi posse videtur
Ire Poëta meum qui pectus inaniter angit.

QVAE *maximè insperata*] Al. inspectata.

Παράδοξα] Vulgarem opinionem excedentia, qualia fuisse iectantur Stoicorum placita quædam. Paradoxa.

QVAE *grandi sunt subiecta discrimini*) Hæc absũ à vet.

ADMIRANTE *nullo*) Al. laudante.

CVRVATVR *arbor*) Sic al. turbatur.

GVBERNACVLA *gemunt*) Ita apud Poëtam.

——*gemuit sub pondere cymba.*

Lectionem aliquanto diuersam video in memb. sic: Expecto vt quædam ex hac epistola, vt illud gubernacula gemunt, & Diis maris proximus.

ET *libra*) Id non est in vet.

INCREDIBILIA *& immania*) Malè, al. inania..

LAXANDOS *esse eloquentiæ frænos*) Vberem esse & copiosam orationem debere, nō siccam & ieiunam, qualis illa Stoicorum, vt Cic. præclarè 2. de Orat. Nec enim probatur vbicumque Pompeius, qui primus eloquētiæ frenos dicitur imposuisse.

REFRINGENDOS] Alij restringendos.

Θαύματα, non *ῥήματα* vacantur) Portenta, non verba dicta Æschini, Demosthenis quędā supra vulgi cōsuetudinē ac modum.

HVNC *quoque ob ista culpari*) Ita al. ob dicta culp.

ILLA *custoditiùs*) Al. commodius.

TV *me timidum*) Al. tumidum.

AD EPISTOLAM 27.

ID ad historiæ laudationem, occasione recitationis libelli de cuiusdam sceleribus, cuius libelli partem cùm recitaret, in alium diem distulisset, rogarunt alij vt id

quicquid esset, supprimeret.

LATERANO) Al. Paterno.

TANTVS *audiendi quæ fecerint pudor, quibus nullus faciendi quæ audire erubescunt)* Grauiter id & accuratè in eos quos verum audire pudeat, nempe cùm quid vel facti parum sobrij, aut etiam scelerati audiunt, se vt in speculo ita deformes vident, vt in quadam depictos tabula molestissimè ferant. Quos verum audire pudet.

AD EPISTOLAM. 28.

RESPONDET ad quasdam Virginij litteras.

EADEM *commendas Popilium)* Al. eundem commendas pupillum.

MVLTA *te nunc dictare)* Al. multa de te nunc dictari.

SI *me illa ipsa quæ scribis aut dictas, legere voluisses)* Sic in al. si illa ipsa legere potuissem,

PERFRINGERE), Vel effringere.

PRO C. *Lario)* Al. pro C. Lanio.

QVAS *ego (non parciùs possum) centesimas computabo)* Quam ego, nec parcius possim, centesimam computabo.

AD EPISTOLAM 29.

VVLT excusari scripta sua, vt quæ varia multipliciáque.

VT *satius est vnum aliquid insigniter facere, quàm plurima mediocriter, si nō possis vnū aliquid insigniter)* Video qui sic legi emendatiùs pu-

Satius pauca perficere.

tent, insigniter quàm plura mediocriter, it satiˀ facere plura mediocriter. Plato ī Theę teto, κρεῖττον που σμικρὸν εὖ, ἢ πολὺ μὴ ἱκα-νῶς περᾶναι. Satius est parua bene sufficienter perficere. Et in Euthydemo, ἐλάττω πράτ-των, ἐλάττω αὖ ἐξαμαρτάνει, Qui agit pauciora, ratiùs errat. Arist. 2. Polit. ἓν ὑφ' ἑνὸς ἔργον, ἄριστ' ἀποτέλαται. Vnicum ab vno rectè raró peragitur.

ITA *singulis veniam, vt non singulis dabis)* Al. ita de singulis, vt non singulis iudicabis.

AD EPISTOLAM 30.

QVOD sit verè liberalis ex comparatione ostenditur.

Viscata dona.

SED *amicis dico pauperibus)* Sic al. sed iis dico pauperibus.

VISCATIS *hamatisque muneribus)* Dona viscata, qualia comparantur ad homines inescandos. Huc illa Matt. pertinēt, vt in Gargilianum, lib. 4.

Munera quòd senibus, viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum Gargiliane vocem?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius vno,
Qui potes insidias dona vocare tuas, &c.

Item in Quintianum lib. 5.

Odi dolosas munerum, & malas artes,
Imitantur hamos dona.

Et eodem libro ad Stellam;

Quòd non argentum, quòd non tibi misimus aurum.

Et quæ sequuntur. Item libro 6. ad Marianum.

Scis te captari, scis hunc qui captat auarum,
Et si qui captat quid Mariane velit.
Munera magna quidem misit, sed misit in hamo,
Et piscatorem piscis amare potest?

Item lib. 7. ad Regulum.

Æra domi non sunt, superest hoc Regule tantùm,
Vt tua vendamus munera, nunquid emis?

Item lib. 8. in Gaurum;

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure senique,
Si sapis & sentis, hic tibi ait, morere.

Plin. Panegyrico. Nonne vt Regum, ita Cęsarum munera, illitos cibis hamos, opertis præda laqueis æmulantur?

ORBE *quodam societatis*) Al. in ver. socialitatis.

TAM *rarum est etiam imperfectæ liberalitatis exemplar*) Sicalij, tam rara sunt etiam imperfectæ liberalitatis exempla, tãta inuasit.

AD EPISTOLAM 31.

LAVDAT Sardi librum, eíque gratias agit quòd ab eo laudatus sit.

QVAM *non eadem de eodem*] Al. eadem de eodem iugo, tamen diuersa dixisti.

AD EPISTOLAM 32.

SCISCITATVR quid rerum agat Titianus atque se nolle pluribus scribere.

QVID *agis, quid acturus es?*] Al. sic, quid agis, an quod ago ruri, ipse vitam.

NIHIL *est pinguius delicatis, aut curiosius o-*

Delicati ignauiores. *ciosis*] Γνόμ, delicatis adiũcta ferè pigritia; ociosis curiositas; qua ratione dicitur Prouerbio, Ignauis semper ferias esse, nemo nescit deliciis frangi, debilitarísque animi & corporis viribus, vt mens nihil superum aut excelsum sapiat. At de curioso, id occurrit festiuum Martialis,

Occurris quocumque loco mihi Posthume clamas,
Protinus & prima est hac tua vox, quid agis?
Hac si me decies vna conuenerit hora
Dicis; habes puto, tu Posthume, nihil quod agas.

AD EPISTOLAM 33.

DE Hipponensi quodam Delphino mira: ex quo Caninium monet, id argumentum numeris poëticis exornare.

ISTO *letissimo*) Al. scholastico.

MAGNA *auctoritas, fides, tametsi quid poetæ cum fide?*) Al. auctori fides, si quid tamen poëtæ cum fide.

OMNIS *hic ætas piscandi*) Al. æstus.

NATANTES) Vet. nantes.

DELPHINVS *occurrit*) Al. incurrit.

AGNOSCIT *se, amari putat, amat ipse*) Hinc φιλάνθρωπος Delphin quibusdam dictus. Delphin φιλάνθρωπος. Conferenda historia de Arione citharædo, de quo Herodot. lib. 1. post eum Gellius lib. 16. cap. vlt. Item Ouid. 2. Fastor. sed quia id fabulosum putatur, aduocarẽ in medium similem penè historiam quam Plutarch. symposio mandauit scriptis, de Enalo quodam adolescente. Idem de Telemacho puerulo; quod & eo quo quærit, an sit aliquid in mu-

tis animantibus rationis.

RVSVS *ad puerum venit, fugit ille cum ceteris. Delphinus quasi inuitet*) Vet. rurſus ad puerum fugit: venit puer, fugit ille cum ceteris Delphinis, quaſi inuitet.

EXILIT) Al. exiliunt.

IMPLICITAT) Vet. implicat.

PERTRACTANTQVE *præbētem*] Vet. præeuntem.

MONENTESQVE *ibat vnà*) Alij, vet. monentéſque ne timeat.

OCTAVIVM *Auitum*) Vet. Octauium Habitum.

NOVIS *ſumptibus*) Al. nouiſſimum partibus atteres.

AFFINGAS *aliquid*) Leg. alij, affigas.

AD EPISTOLAM 34.

PETIT à Tranquillo, vt Encolpium libertnm ſuum recitantem experiatur, cùm ſibi ipſi recitanti diffidat.

HOC *quoque familiare quod elegi*) Hic quoque ſimiliter quem elegi.

SED *melius ſcio lecturum*) Vet. ſit meliùs lecturus.

AD EPISTOLAM 35.

POLLICETVR ſe librum Appij emendaturum, in eóque modum ſeruaturum.

APPIO) Al. Oppio.

ALIOQVI) Vet. aliquid.

Nimia cura. Nimia *cura deterit magis quàm emendat*) Vt in rebus aliis, sic in emendando maior esse cura non debet, vt rectè etiam Quintilian. lib. 2. cap. 4. itémque lib. 10. cap. 4.

AD EPISTOLAM 36.

Vitae suæ rationem Fusco per partes exponit..

Mire *enim silentio & tenebris animus alitur*] Al. cum silentium & tenebrę ab iis quæ auocant.

Si *cum vxore, vel paucis liber legitur*] Agnosce hinc ardens Plinij studium, qui nunquam ne in summo quidem ocio, à litterato negocio cessaret.

Si *cum Comœdus*) Al. Comœdia.

Interveniunt) Sic al. interim veniũt.

Lassato *mihi*) Al. lasso.

Vt *quamuis nihil ceperim, nonnihil referam*) Idem antè, epist. 6. lib. 1. & lib. 2. epist. 8.

AD EPISTOLAM. 37.

Qvòd non possit esse Romæ Kal. Ianuariis, ineunte consulatum Paullino, excusat sese.

Nec *tuæ naturæ est translatitia hæc*) Nec tua natura est translatiua, vt vet.

Locandorum *prædiorum*) Vet. Fauierij: Tuscianorum prædiorum.

Inde *plerisque*) Vet. inde plerique.

Post *magnas remißiones*) Nempe remi-

ferat Plinius de canone à ſuis colonis penſitando, quod faciendum eſſe & iura præcipiunt. l. 17. D. locati. Sueton. cap. 20. publicanos remiſſionem petentes tertia mercedum parte releuauit. Columella lib. 1. cap. 7. Si ſedulò ager colitur, plerumque compendium, nũquam niſi cœli maior vis, aut prædonis inceſſit, detrimentum adfert, eóque remiſſionem colonis petere non audet. Penſitationum remiſſiones.

OCCVRRENDVM *eſt augeſcentibus vitiis & medendum*) Perſius Satyr. 3. Occurrendum malo.

——— *venienti occurrite morbo.*

Notum illud Ouidij,

Principiis obſta: ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

SI *non nummo, ſed partibus locem*) Sic in vet. ſi nos vni, ſed pluribus locem.

OPERI *cuſtodes*) Fortè legendum, operis exactores.

QVASI *in veteri morbo qualibet mutationis auxilia tentanda ſunt*) Frequenter enim accidit vt multa & varia remediorum genera aduerſus vnum & eundem morbum, vel per ſe, vel ex accidenti conueniſſent. Empirici ſolebant, ſi vno aliquo præſidio morbus diuturnus non ceſſiſſet, ad aliud tranſire. Id ita cenſet Steph. Gormelus, Pariſinus Medicus doctiſſimus vir, & qui mihi πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, eo quòd vel maximè raram quandam & politam eruditionem moribus adornat.

AD EPISTOLAM 38.

Rufum commendat ex se laude dignum hominem, nedum quia Saturninus id à Plinio petiisset.

Neque *soli iudicant qui malignè legũt*) Arguta hæc ætiologia quæ proximè accedit ad Antisthenis illud qui dicebat, hominibus maximè conducere vt amicos habeant & inimicos; nam ab iis admoneri blandè, ab illis acriter reprehendi posse; sua tandem errata vt videant & corrigant. Eò spectat pictoris laudati consilium qui suas tabulas propalam haberet, ipséque latitando omnium iudicia exciperet, vt ex singulorum reprehensionibus obseruaret si quid esset in iis immutandum.

Fidis amicis & acribus inimicis opus esse.

AD EPISTOLAM 39.

Ad Cereris ædem reficiendam consilium init cum Mustio.

Faciendum, *vel emendum ipsius Deæ signum*) Quidam tollunt, & emendum, tanquam interpollatum à quodam non satis erudito verbum.

Suffugium] Rectè ita, non vt in aliis, suffragium.

Quia *antiquum illud è ligno quibusdam suis partibus vetustate obtruncatum est*) Et nescio an rectè huc cõferre placeat scitum Atheniensium, qui Phidiam tulerunt, quãdiu is mar-

more potius, quàm ebore Mineruam fieri debere aiebat, quòd diutius nitor mansurus videretur: sed vt adiecit, & vilius, tacere iusserunt. Val. Max. lib. De neglecta religione.

ISTINC *esse*] Al. statim.

NISI *tamen*) Sic alij, nisi tantùm.

POSSVNT *circundari*] In al. quibusdam possum circumdare.

AD EPISTOLAM 40.

QVID hyeme, & instante vere agat in Laurentino, exponit.

ILLA *quæ dictaui identidem retractantur*) Ex hoc loco & aliis multis intelligere est quàm diligẽs exactor Plinius fuerit, emendatórque eorum quæ scripsisset, vt eadem non semel recognosceret, sed & eruditis hominibus recitaret, iudiciúmque aliorum potiùs exquireret, quàm suum. itidem fecisse Politianum, Picum, Ficinum, alióśque Mediceæ domus alumnos audio, qua ætate litteræ politiores reuiuiscere tandem cœperunt. Plinius diligens scri ptorum suorum exactor.

ADDAS *huc licet*) Sic vet. non addas.

ADDAS *huc licet autumnum, quæ inter hyemem æstatémque media*) Ita vet. cod. non meliùs, vt opinor: tantum, quæ inter hyemem, æstatémque mediam. sic emẽdatiùs ex aliis quibusdam, habes ætate, hyeme consuetudinem: addas vt licet ver, & autumnum, quæ inter hyemem, æstatémque media, vt nihil de die perdunt, ita de nocte paruulum acquirunt.

IN C. PLINII SECVNDI EPISTOLARVM LIBR. X. NOTAE ET EMENDATIONES.

AD EPISTOLAM I.

TRAIANO principi laudatissimo gratulatur, quòd breui postquam à Nerua est adoptatus, Imperium acceperit.

TVA *pietas optauerat, &c.*) Pius Imperator. Hoc est, tu qua es in patrem pietate, solemne tamen id verbum pietatis tributum Imperatoribus, vt in l. decernimus, C. de sacros. Eccl. vt & sacrae pietatis. l. quoties, C. vbi senatores, & alia sexcenta.

SVCCEDERES *patri*) Adoptitio, Neruae, de quo Dion, & Aurel. Victor. talem is se Reipub. praebuit, qualem vix, aegréque potuerunt exprimere summorum virorum ingenia.

TIBI, *& generi humano*) Sic in Panegyrico: quod precatus es vt illa ipsa ordinatio comitiorum benè ac feliciter eueniret nobis, Reipub. nónne tibi tale est, vt nos hunc ordinem votorum conuertere debeamus? Deos denique obsecrare vt omnia quae fa-

cis,quæque facies proſperè cedāt tibi, Reipublicæ,nobis:vel ſi breuiùs ſit optandum, vt vni tibi.in quo & Reſp.& nos ſumus.

DIGNA *ſæculo tuo contingant*) Longum eſſet hîc attexere auctores qui fœlicitati ſeculi principum vel feriò,veréque,vel aſſentando gratulati ſunt: adeóque in criminis incidebant ſuſpicionem qui parum commodè de ſæculo principis dixiſſent. Sæculum principis.

FORTEM *te,& hilarem*) Ex duabus virtutibus,fortitudine & hilaritate, vna reſpicit imperatoris officium præcipuum:altera perſonam,nempe vt magno animo ſit circa belli paciſque artes: deinde ſit placabilis & comis. quod vocabulum hilaritatis ſolemne fuit,vt opinor,vt & lenitatis,vt in l. 1. C. Imp inter pupill.& ſerenitatis, vt in l. nemo,C.de paganis. Item manſuetudinis in l. decernimus,C.de ſacroſ. Eccleſ. denique & clementiæ in l.humanum C.de leg. Fortis,hilaris.

IMPERATOR *optime*] Optimi elogium Traiano cur attributum,ex Plinij Panegyrico cognoſcere eſt. Optimus Traianus.

ET *priuatim & publicè opto*) Priuatim mihi, meíſque:publicè, omnibus. primum illud grati animi argumentum. nolebat enim Plinius eorum quæ acceperat à Traiano beneficiorum eſſe immemor, & honorum augmenta ſperabat:alterum verò ciuis boni, qui publicæ rei per principem velit eſſe optimè conſultum.

AD EPISTOLAM 2.

AGIT gratias Imperatori, quòd ius trium liberorum impetrarit.

DOMINE) Vocem, domini, fuiſſe demum vſurpatam temporibus Reipub. ſeneſcentis, plerique coniiciunt. Sanè me non fugit accipi à Virgilio pro Rege, ſummoque principe; cum ait, lib. I.

——— *Romanos rerum dominos.*

Et in 4. ſub Hiarbę perſona per contẽptum,

Domin'. *Dominum AEnean in regna recepit.*

Hoc vocabulo ſolitos fuiſſe ſalutare aliquẽ honoris gratia, vt in l. Neſennius, D. ad l. Falci. Hincque vir & vxor, dominus & domina viciſſim dicebantur, Nouell. 74. & in l. Vitia. §. qui Marco D. de annuis legat. Itẽ l. vlt. de auro, & arg. leg. Et dominus in iure feudorum opponitur vaſſallo ſeu clienti fiduciario. Martialis ſæpe dominum ſenſu eo accipit, quo nos eum qui in aliquem imperium habeat. Sed de voce iam ſatis.

Ius trium liberorũ. ME *dignum putaſti iure trium liberorum*) Dionyſ. Halic. lib. 3. meminit iuris huius, ídque repetit à tergeminis illis in quorũ gratiam conſtitutum eſt. Id poſtea ampliatum à Numidio Cenſore, poſt etiam à Iulio & Auguſto, à quibus edictũ eſt, ancillis quæ tres peperiſſent, vacationem: quæ quatuor, libertatem dari. Quin & ex Senatuſconſulto Tertulliano mulieri quæ trium liberorum mater eſſet, concedebatur inteſtatorum filiorũ ſucceſſio, ſi modò ingenuæ eſſent: itẽ,

ius testandi, & libertas rerum suarum sine curatore administrandarum. Denique & qui trium liberorum pater esset, legationibus publicis liberabatur Olim etiam apud Spartanos trium liberorum parens immunis erat ab vrbis custodia, & excubiis: & qui quatuor haberet, ab omni prorsus onere, ait Arist. 2. Polit.

IVLII *Seruiani*) Is consulatum bis sub Traiano gessit: cui tãtum tribuit Traianus, vt eum Imperio dignũ cẽsuerit, & quẽ sibi successorem facere aliquãdo cogitarit, Dio.

Ex *rescripto*] Impetrari nõ poterat ius illud triũ liberorum sine rescripto principali.

DII *melius, qui omnia integra tuæ bonitati reseruarant*) Quippe me beare noluerunt liberis, quos etiam sub Tyranno Domitiano exoptaueram, sed id gaudij ad fœliciora tui principatus tempora distulerunt.

AD EPISTOLAM 5.

A Traiano petit, Voconium in ordinem senatorum cooptari.

VOCONIVS *Romanus*) Ad eum epist 1. lib. 2. & 15. lib. 6. &c. huius sepulcro id elogium ascriptum fuisse meminimus suprà,

Lasciuus versu, mente pudicus eras.

A diuo patre tuo) Nerua: diuorum autem appellationem tributam Imperatoribus fato functis, notũ ex historicis, & innumeris Iuris nostri locis. Diuus imperator.

QVIA *mater Romani liberalitatem sestertij quadringenties, quòd conferre se filio codicillis ad*

patrem tuum scriptis, professa fuerat) Ad explendum censum senatorium opus erat sestertij quadringenties decies centenis millibus: quæ erāt sestertiûm octingenties. Plin. lib. 14. hist. nat. id queritur: posterius, inquit, laxitas mundi & rerum amplitudo damno fuit, postquam senator censu legi cœptus, pessum ire vix pretia. laudatur autē census in senatore, ne splendor amplissimi ordinis rei familiaris angustiis obscuretur. id & ante Seneca expostulatus erat, lib. declam. 2. quo loco ait: senatorum gradum census ascendere facit: census & equitē Romanum à plebe discernit: census in castris ordinem promouet, censu in foro iudex legitur.

Fundos emancipare.

FVNDOS *emancipauit*) Dominio & possessione priuauit sese, & filio agros concessit liberè. rectè enim in Iure dicuntur res nostri municipij, quæ nostri dominij seu patrimonij sunt.

ET *cætera quæ in emancipatione solent exigi, consummauit*) Emancipationem fieri solitam per quædam nexus solemnia ex Romano iure didicimus. Vide Caj Instit. Lib. 1.

QVOS *mores & liberalia studia exornant, & eximia pietas*) Egregia laus naturæ optimæ disciplinis humanioribus cultæ, pietatéque singulari.

AVGET *hæc natalium splendor, & paternarum facultatum*) Prudenter id interiectū & quasi collatum in postremum elogij locum, vt significet nobilitatem generis, & opes adiicere ornamenti aliquid & adiumenti: quæ per se quidem laudatum hominem non faciant, virtuti tamē robur aliquod adiiciunt.

AD EPISTOLAM 4.

PETIT ciuitate Romana donari Harpocratem medicum: & Quiritium ius Antoniæ Maximillæ, Heliæ & Antoniæ.

IATRALIPTEM *assumpsi*) Is est Medicus vnguentarius, ἰατραλείπτης, ab ἰᾶσθαι καὶ ἀλείφειν. Plinius maior lib. 29. discipulus eius Prodicus Selymbriæ natus instituens, quam vocant iatralipticem, reunctoribus quoque medicorum, ac mediastinis vectigal inuenit. Iatraliptes.

AD EPISTOLAM 5.

QVOD Harpocras sit factus ciuis Alexandrinus, lætari se dicit: rogátque vt litteras ad Ægypti præfectum mittat, quibus certior factus Imperatori quàm lõgissimè obuius esse possit.

SECVNDVM *institutionem principum nõ temere eum dare proposuisses*) Ius id ciuitatis quale, quantúmque fuerit, non nisi multis enarrari commodè potest, sed ne plura, suppetit lib. Sigonij 1. de Iure ciuium Rom.

Νόμον μεμφυτικὸν) Sic alij νόμου μεμφύτου, hoc est, Memphiticæ præfecturæ vt rectè Cat. nihil enim causæ est cũr νόμος hic pro lege accipiatur. Νόμος μεμφυτικὸς.

PRAEFECTVM *AEgypti amicum tuum*] Qualis præfectus Alexandriæ, quem iuridicum nostræ leges appellant, 1. Dig.

AD EPISTOLAM 6.

PRopinqvis Medici sui ius etiam petit ciuitatis.

Ita *vt sint in patris potestate*) Iuris ciuitatis effectus is fuit, vt qui donaretur ciuitate, liber homo censeretur, eóque patriæ potestatis ius consequeretur, aliáque multa de quibus in nostro Iure.

Ius patronatus.

Vtqve *in libertos seruetur ius patronorum*) Et ius patronatus longè peruulgatum iam olim: vt qui manumissi essent, sanctam haberẽt patroni & liberorum eius personam: vt obsequia & operas eidem præstarent, & alia de quibus toto tit. de obs. à lib. & libert. præ. & de iure patron.

Ivs *Quiritium*) Hoc est Romanorum, quod & ciuile appellant κατ' ἐξοχὴν, de hoc Caius in Instit. lib. 1. initio ferè.

Abascantio) Al. Abascanto.

AD EPISTOLAM 7.

SVrae amico Præturam petit.

Memoriae *tuæ quæ est benefaciendi tenacissima*) Quàm sæpè à multis celebretur egregia Traiani bonitas, adeò notum esse video, vt hîc silere quàm pauca dicere satiùs videatur.

Magistratus quales sub Imperatoribus.

Praetvra *exornare digneris*) Constat ex hoc & aliis multis auctorum locis, sub Imperatorum temporibus omnes maiores

magiſtratus tributos fuiſſe ad principum arbitrium: quod ſuprà etiam memini, cùm de Plinij tribunatu ageretur.

ALIOQVI *quietiſſimam*) Vet. quietiſſimum.

NATALIVM *ſplendor*) Cui aliquid dandum propter maiorum dignitatem qui ſuũ in minores ſplendorem tranſtulerunt.

SVMMA *integritas in paupertate*) Hoc eſt in opum mediocritate, & quod ille ait, in tenui re: ſic enim paupertatis nomen interpretor, vt ſuprà, quo loci quid inter hanc & egeſtatem differentiæ eſſet, admonui. In opum inquam tenuitate incorruptus animus alioqui, vt Horat. dicit, magnum pauperies opprobrium iubet quiduis & facere, & pati. Paupertas.

FOELICITAS *temporum, quæ bonam conſcientiam ciuiũ tuorum ad vſum indulgentiæ tuæ prouocat*) Fœliciſſimi principatus argumentum eſt, cùm bonis artibus euehuntur ad honores, & cohoneſtantur dignitatibus qui digni ſunt. Fœlix principatus.

AD EPISTOLAM 8.

PETIT ſibi ab Imperatore tribui vel Auguratum, vel Septemuiratum.

MAIORVM] Al. morum.

BONI *principis iudicio exornari*) Vt laudari à laudato viro pulcrum, ita maximè honorificum à bono principe commendari. Laudari à laudato.

QVIA *vacant*] In vet. vacat.

AD EPISTOLAM 9.

Traiano gratulatur ob partam victoriam.

AD EPISTOLAM 10.

Servilivm Prudentem legatum venisse Nicomediam ſcribit.

AD EPISTOLAM 11.

Commendat Imperatori Roſianum Geminum.

Quæſtor. Habvi t *illũ Quæſtorē in Conſulatu*) Quod neceſſitudinis maximè vinculũ interceſſit ex Reipubl. procuratione. Cæterùm variè acceptum id nomen variis temporibus, norunt ij quibus antiquitas iuris Romani cognita: ſed ne multa, vide Sigon. de ant. iure ciu. Rom. 15. c. lib. 2.

Commilito Cęſaris. Ex *commilitio*) Fuit enim ex Cæſaris cõmilitonibus: commendationis id argumentum longè magnum, ſiquidem Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Charitas. Propter *charitatem eius*) Charitatis emphaticon verbum, & multò ſpecialius quàm amoris, aut beneuolentiæ, vt apud Græcos τῆς ἀγαπῆς, quàm τῆς φιλίας.

AD EPISTOLAM 12.

PETIERAT à Traiano vnà cum ſocru ſua mitti in Bythiniam Clemētem Cælium Proconſulem, id cùm obtinuiſſet, agit gratias.

AD EPISTOLAM 13.

AD Traianum mittit tabellarium Sauromatæ Regis, vnà cum Regis Lycormæ tabellario.

A *Boſphoro*] Boſphorus Thracius Ptolomæo, ab Italis fretum Conſtantinopoleôs, Arriano fretum Myſium, Straboni ⸗ Bizantium. De eo Petrus Gillius in ſuo Boſphoro. Boſphorus.

AD EPISTOLAM 14.

AIT ſe diploma dediſſe tabellario Sauromatæ.

AD EPISTOLAM 15.

QVÒD diu legatum Sauromatæ retinuerit, excuſat ſe Traiano.

AD EPISTOLAM 16.

AD Traianum mittit Callidorum quēdam multorum seruum.

CONFVGISSE *ad tuam statuam*) De iis qui ad statuas confugiunt, tit. Iuris est, Cod Iustin. 1.

A *Susago in Mœsia*) Susagus is Decibali regis Dacorum præfectus.

Pacorus. *A Decibalo muneri missum à Pacoro*) Pacorus Parthiæ, Misiæque rex, temporibus Vespasiani, vt ex Iosepho cognoscere est.

DVM *requiro gemmam, quam sibi habentem imaginem Pacori*] Locum hūc & alios auctorum multos illustrare sum conatus meo de symbolis commentario.

SICVT *glebulam*) Al. bullam.

Quadriga symbolū Plinij. SIGNATA *est annulo meo, cuius est aposphragisma, quadriga*] Aliquid vide simile in multis veterum symbolis in æs incisis, de quibus satis multa spero me coniecisse.

AD EPISTOLAM 17.

COMMENDATORIA est Maximi, liberti.

PROCVRATOREM *tuum*) Quod officiū fuerit Procuratoris Cæsaris, cognoscere est ex lib. Dig. 1. cap. 19.

AD EPISTOLAM 18.

BASSVM Gabinium commendat.

PRAEFECTVM *oræ Ponticæ*] Alij, Ponti.

ET *milites & pagani*] Discrimen paganorũ & militum ex Iure nostro cognoscitur: Paganinẽpe qui nulli militiæ sacramento adstringebantur, erántque ij qui domi relinquebãtur ad agriculturam & ciuilia munera: Iuuenal. Sat. postrema, Pagani.

--citius falsum producere testem
Contra paganum possis, quàm vera loquẽtem,
Contra fortunam armati, contráque pudorem.

RETRIBVERANT] In al. pertribuerant.

AD EPISTOLAM 19.

APVD Imperatorem celebrat Nymphidium Lupum.

PRIMIPILAREM *commilitonem*) Primipilaris à primipilo, administro annonę militaris, quæ primipili centurionibus mãdari solita fuit, l. 3. 7. 8. Cod. de cohort. princ. l. 3. & 4. Cod. de primipilis. Primipilus.

QVIETI *eius inieci manũ*] Ei ocioso esse, seu in vita manere priuata, non ampliùs sustinui. iniectio manus, Iuris est formula. Iniectio manus.

IVLII *Ferocis*] Huius mẽtio in 11. epi. 2. li.

FVSCI *Salinatoris*] De quo & lib. 6. epi. 11.

AD EPISTOLAM 20.

QVIA ærario præfectus suum patrociniũ denegasset Afris aduersus Mariũ Priscum, id tamen muneris exigente Senatu præstitisset, excusat sese apud Imp.

Plinij aduocatio qualis. OMNIBVS *aduocationibus quibus alioqui nō eram promiscuè functus*) Ex hoc agnosce purū, simplicémque & illibatū, vt ita dicam, Plinij animū, qui passim aut omnibus sine delectu suum patrocinium minimè commodaret, secus quàm alij longè multi, quorum vænalis lingua nihil non lucri causa captat.

VT *toto animo delegato mihi officio vacarem*) Existimabat enim longè difficile, patronū agere, & præfecturam ærarij sustinere.

Sortitio. PATEREMVR *nomina nostra in vrnam cōiici*) Per sortitionem, quæ olim in iudiciis vsurpabatur, vti ex libris Iureconsultorum didicimus, & Asconio Pæd. Iudicum etiam nomina tabellis insculpta, inque vrnam iacta per sortem promebantur: præterea Cōsules, Proconsules, & Prætores prouincias sortiebantur: vetabatúrque lege Curiata vltra prouinciam emptum credere, hoc est ne alter prouinciam alterius sibi suo iure tribueret, sed missis sortibus eas ducerent, præcipiebat.

AD EPISTOLAM 21.

TRAIANI hæc epistola, Plinij factum approbantis, quòd se cùm ciuis & Senator esset, permiserit iudicem adnumerari in Afrorum causa.

CIVIS & *Senatoris boni partes functus es*] Suam fidem & religionem probauit, in vita tum priuata, tum publica.

AD EPISTOLAM 22.

EPISTOLA hæc cum superioribus 4. 5. 6. quia eiusmodi argumenti sit, coniungenda est.

CIVITATEM *Romanam*) Ius Romani ciuis, de quo iam antè.

ANNOS *eius & censum ederem*) De censu ciuium Rom. eruditè Sigon. lib. de iur. ciuium. 1. cap. 14.

EGO *quia inter Ægyptios, ceterósque peregrinos nihil interesse credebam*) Quia ius idem omnium ciuium Romanorum, ex leg. Iustiniani. Ius ciuiũ Roman.

A *peregrina manumissum*) Quæ manumissio nihil habere iuris poterat, vt quæ à non ciue Romano, sed peregrina concessa esset.

AD EPISTOLAM 23.

DE iure ciuitatis Alexandrinæ Harpocrati concesso.

TV *ex quo nomo sit*] Νόμος hîc vt antea, pro præfectura.

POMPEIVM *Plantam*] De quo suprà epistol. 5.

AD EPISTOLAM 24.

COMMEATVM petit à Traiano, vt excurrat in oppidum Tifernum, & in

ſuos agros ad excitandum fanum, in quod eſſet principum ſtatuas tralaturus.

Decuriones. STATIM *Decurionibus ſcripſeram*] Quinā Decuriones olim, & quod eorū munus, ex 10. Cod.Iuſtin. perſpicuè intelligitur.

Mēſtruū. MENSTRVVM *meum Calendis Septembris finitur*) Officij ratio ſeu exactio potius mē-ſis, nam præfecti Prætorio id munus ſuum alternis menſibus adminiſtrabant. Sic menſtruum tempus à Varrone, & menſtrua Luna Virgilio dicitur.

Cōmeatus. INDVLGEAS *commeatum*) Ita Plin. 3. epiſt. ad Macrinum. cōmeatus meminit Suet. in Claudio, cap 23. commeatus à Senatu peti ſolitos beneficij ſui fecit. Idem Tiberio cap. 10. Tunc autem bonorum ſocietatem prætendens commeatum petiit: eo ſenſu accipiendum quod dicitur in l. 34. D. ex quib. cau. mai. commeatu accepto. Formula dandi commeatus legitur apud Caſſiodorum lib. 7. variar. 36.

Remiſſiones colonis factæ. CONTINVAE *ſterilitates cogunt me de remiſsionibus cogitare*] Dictū iam ante à nobis remitti aliquid colonis ſolitū ſterilitatis aut alia violenta cauſa, vt in l. 16. & 17. D. locati. Suet. in Iul. cap. 20. Publicanos mercedem petentes tertia parte releuauit. Columel. 1. cap. 7. Si ager ſedulò colitur, plerumque cōpendium nunquam niſi cœli vis maior, aut prædonis inceſſit, detrimentum adfert, eóque remiſſionem petere colonis non audet.

AD EPISTOLAM 25.

QVOD rogarat Plinius episto. superiore, Traianus permittit, quę Imperatoris responsio vtrum amicior, an modestior, vel cordatior sit, vix possim verbis assequi.

AD EPISTOLAM 26.

SE in Ephesum venisse dicit, itineris reliquum in Bithyniam facturum.

Ὑπὲρ Μαλέαν) Supra Maleas, Cic. dixit in 4. ad famil. Id promontorium est Peloponesi ad Laconicum sinum: Maleū Plinio dicitur: hinc sinus Maleus, qui & aureus vocabatur à latronibus, inquit Florus lib. 3. cap. 6. nomen habuit à forma, asini maxilla. ὄνου γνάθος, auctore Isacio ad Lycophronem. Supra Maleas.

ORARIIS *nauibus*) Exiguis scaphis seu lembis, & nauiculis ad celerius transmittendū, potiùs quàm onerariis & Lyburnicis, de quibus iam suprà nonnihil. Orariæ naues.

CONTINVAE *nauigationi Etesiæ reluctantur*] Seneca nau. quæst. 5. cap. 10. flare incipere æstati dici quibusdam, & à solstitio illis initium, vltráque ortum caniculæ non valere. Cicero verò 2. de natur. Deorum, Etesias ventos oriri è terra, & eorum flatu nimios calores temperari, ab iisdem etiam maritimos cursus celeres, & certos dirigi: Eurum eum ventum alij nominant. Sed lege Pliniū hist. mundi lib. 2. cap 47. nonnihil lib. 6. cap. 17. Etesiam tamen eundem ac Aquilonem facit lib. 18. cap. 34. Ethesiæ.

AD EPISTOLAM 27.

PROBAT Imperator Plinij consilium.

AD EPISTOLAM 28.

SIGNIFICAT se in eam venisse prouinciam in quam missus esset: rogátq; mẽsorem mitti ad opera publica.

Pergam'. PERGAMI *substitit*) Troadis vrbs est Pergamus in Asia minori: in qua chartæ vsus primùm inuentus, quæ ideò pergamena.

Bithynia. BITHYNIAM *intraui*) Asiæ minoris regionem, olim Mydoniam, & Bebriciã Martianus Capella tradit.

QVAEDAM *nimiè*] In aliis veterib. minime.

Curatores operũ. PECVNIAE *posse reuocari à curatoribus operum*) Curatores operum, seu redemptores, qui & ergolabi, de quibus in Cod. de monopol. & conuentu ergolab.

Prussa. PRVSENSIVM) A Prusa vrbe Bithyniæ ad Olympum sita montem: ea est Prusias Ptolomæo.

A.D EPISTOLAM 29.

TRAIANVS ait se ab vrbe mensorem non posse mittere.

ELECTVM *te esse qui ad eosdem mei loco mitteteris*) Missus erat Plinius in prouinciam

Ponti & Bithiniæ pro prætore cum potestate Consulari. Plinius Procõsul in Bithynia

AD EPISTOLAM 30.

AN per publicos ciuitatum seruos, an per milites debeant fieri custodiæ, Traianum consulit.

AD EPISTOLAM 31.

MOREM veterem in custodiis esse seruandum monet.

MVTVA *inter se fiducia negligentiores sint*) Morbus is procliuis, vt quod commune sit, negligatur: feréque fit, vt praua sit inter eos qui se non vereantur, ignauia, aut certè nimis ociosa securitas. Quod cõmune est, negligitur

QVAMPAVCISSIMOS *milites à signis auocandos esse*) Ad conseruãdam disciplinam militum, qui vel facilè consuetudine vrbanorum popularium frangantur, & molliores fiant.

AD EPISTOLAM 32.

SCRIBIT se non ita statim reuocasse numeram militum quibus præerat Gabius Bassus, quamquam id à Traiano imperatum.

AD EPISTOLAM 33.

DE numero militum quem velit Imperator assignari Basso.

Aspectus ciuitatis. MVLTVM *interest res poscat, an homines imperare latiùs velint*) Alij sic, te poscat, an homines in se, vt latiùs velint omnino idem, vt in editione Henrici Stephan.

AD EPISTOLAM 34.

PRVSENSIBVS balineum exstrui rogat.

ERIT *enim pecunia ex qua fiat*] Ad opus id publicum ædificandum, pecunia opus erat, eius occasione, ne vel fisco aliquid vel ærario detraheret, viam alioqui facilem aperit ad eos sumptus suggerendos.

DIGNITAS *ciuitatis & sæculi nitor*) Pertinet ad decorem vrbis opera publica fieri: & conuenit moribus optimi principis, qualis Traianus fuit eam fœlicitatis partem suis ciuibus tribuere.

AD EPISTOLAM. 35.

PERMITTIT quod petierat Prusiensibus balineum, sed adhibito modo pecuniarum quæ in id essent impendendæ.

Desiderium. DESIDERIO *eorum*) Desiderium pro libello supplici, Iuris auctores accipiunt, vt

in l.4.§.ingressus,l.9.§.obseruare,D.de offi. procons.l.1.de postul.l.15.de offic præsid.

INTRIBVANT) Al.intribuatur.

AD *necessarias erogationes*) Hoc est largitiones tributiones, vt in l.fin.de hered.petit. l.54. D.ad Trebell. eo verbo vsus est Papinianus l.scio, de annuis legatis. Erogationes.

AD EPISTOLAM 36.

AN missos facere debeat milites supernumerarios, quærit ex Traiano.

MAXIMVS *libertus & procurator tuus*) Cuius iam paulò antè meminit & in seq. etiam.

BENEFICIARIOS) Beneficiarij ij olim quos suo beneficio Imperator promouisset in militia. eo sensu verbo eodem vsus est Cæsar de bello ciuili lib.1.olim tamen ij municipibus opponebantur. nam qui officio vacarent, beneficiarij dicebantur, vt in Nou.13. Beneficiarij.

IN *Paphlagoniam*) Asię minoris regionem, vt apud Ptolom.apud Strabon. lib. 4. Eneti vocantur, & alij modis aliis. Paphlagonia.

TVTELAE *causa*) Hoc est defensionis, vt cum dicitur in Iure, licere insidiatoré quoquomodo repellere, dum tamen id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ.l.1.Cod.Vnde vi.l.3.§.cùm igitur. de vi & vi arm. Tutela.

AD EPISTOLAM 37.

Militibus quatuor contentum esse debere Maximum, significat Imp. Traianus.

Extra ordinariū. Extraordinario *munere*) Ad frumentationem nempe id dici extraordinarium quod solemne non est, liquet ex l. omnes omnino, C. de ann. tribut. libr. 10. hinc extraordinarium commodum, vt in l. 239. §. munus, D. de verb. sign. extraordinaria munera, l. vnde vacat. pub. mun. lib. 10. & alia sexcenta..

AD EPISTOLAM 38.

De pœna seruorum inter tyrones repertorum, consulit Imperatorem.

Pœna seruilis. De *modo pœnæ*) Pœna seruorum quæ fuerit, ex variis colligere est facilè, sed quali pœna fuerint afficiendi qui cum serui essent neque haberent militiæ ius, nō abs re Plin. addubitabat, vsurpari enim potuit ordinaria pœna, si simpliciter vt serui deliquissent: qualis erat flagrorum aut scuticarum; verùm quia disciplinæ militaris sacramentum temeritate sua polluisse videbantur, non ea tam moderata pœna digni erant.

AD EPISTOLAM 39.

Qualiter in seruos eos de quibus modò sit animaduertendum, indicat.

Cognoscere. De *quibus cognosci oportebat*) Cognoscendi verbum Iuris est, vt cùm iudex dicitur de causa cognoscere, litigatores audit, sedens

pro tribunali & diiudicat l.1.de const princip. l. quod si Ephesi §. interdum D. de eo quod certo loco.

REFERT *voluntarij se obtulerint, an lecti sint, an vicarij dati*) Si sponte conditionem ementiti, pœna grauissima digni erant: si lecti, cum iis agendum videbatur remissiùs, & in inquisitorum animaduertendum: si vicarij, de vicariis quærendum imprimis erat.

SI *vicarij dati*) De seruis ordinariis déque vicariis, Vlp. l. seruos 73.de leg.3. Paul. l. si in re 19.de nox.act. Vicarij serui.

CVM *haberent conditionis suæ conscientiam*) Cum se seruos esse verè scirent.

AD EPISTOLAM 40.

SERVI quidam se publicis ministeriis immiscuerant. quid ergo de iis faciendum sit, à Cæsare petit.

NICOMEDIAE) Ea vrbs Asiæ minoris in Bithtynia vt Ptolomæus. Nicomedia.

NICEAE) Al. Riceæ. Nicæa olim Antigonia Straboni, Olbia vt Plin. Bithyniæ Mediterranea vrbs. Nicæa.

QVIDAM *vel in opus damnati*) L.6. D.de extraor, crim. l.1.§.1.& l.fin. D.de effract. l. 10.§.fin.de pœn.. In opus damnati.

VEL *in ludum*] Certamen.

VT *publici serui annua accipiunt*] Demensum annuum ex publico, qui serui publici sunt, capiunt. Varro de lingua Lat. 7. & Vlp.Instit.cap.20.

NAM *reddere pœnæ plerosque iam senes, &* Durum plecti senio cassos.

frugaliter, modestéque viuentes. nim (*seuerum arbitrabar*) Humanius id & æquius aliquantò, quàm vt scripti iuris duritia plecterentur senio iam cassi frugíque homines. exēplum id æquitatis contra Iuris summi sæuitiam.

Eosdem *à Rep. pasci otiosos inutile, non pasci, etiam periculosum existimabam*) Ita è duobus malis quod minus erat, eligendum videbatur.

AD EPISTOLAM 41.

Qvid de seruis faciendum sit, Plinium edocet.

Qvi *intra hos proximos decem annos damnati*) Id ex ciuili more ne quis decemui spatio sibi impunè esse iam putaret.

Si *qui vetustiores inuenientur & senes ante decē annos damnati*] Mediam viam sequendo, ne quia senes sunt, inhumaniùs puniantur: at quia deliquerint, ad ministeria publica nūcupentur, quasi in pœnæ mitioris locum.

AD EPISTOLAM 42.

De constituendo fabrorum collegio Nicomediæ, occasione incendij, quo pars vrbis absumpta fuerat.

Nvllvm *in publico sipe*) Fistulam seu canalem intelligit ad aquam deducendam.

Nvlla *hama*) Vncus est seu harpago. hinc hamare, verbum apud historicos legi memini.

COLLEGIVM *fabrorum, duntaxat hominum clarissimorum*] Meminêre veteres auctores collegij fabrorum, vt & in Iure fabricensium mentio l.1. & passim Cod. de fabricensibus, lib.11. & Nou.85. & l. fabricenses, C. de decur. lib.10. Collegiũ fabrorũ.

AD EPISTOLAM 43.

NON probat collegium fabrorum institui, sed monet ad incendium comparari instrumenta.

HETAERIAE *quamuis breues sient*) Hetæriarum nomine sodalitates intelligi palàm est ex vi vocis, quę & societatē Gręce sonat.

AD EPISTOLAM 44.

DE solutis pro Traiani incolumitate votis.

QVA *publica salus continetur*) Verè id rectéque tributum Traiano, quod antè adulatoriè Domitiano nefando homini tribuerat Martialis lib.7. Laus vera Traiani.

Rerum certa salus terrarum gloria Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse deos, &c.

AD EPISTOLAM 45.

RESPONDET superiori Traianus.

SOLVISSE, *nuncupasse*) Verba hæc solemnia, ex receptis veterum formulis, de Soluere vota.

quib.lib 1.formul. elegantissimè vir multi-
Brissoni' scius Brissonius supremi Senatus Præses,
V.C.summæ curiæ Præses. togatorum eloquētissimus: cui ad summam laudem scio iam olim tributum ab eruditis, plus eum scripsisse in summis publicę rei negotiis, in quibus perpetuò versatus est, quam alij vel in summo ocio legerint: plus eundem vidisse, quàm alij audiuerint.

AD EPISTOLAM 46.

NICOMEDIENSES impēdisse in aquę ductum ingentem pecuniam ait, quam vtiliùs eductarum sese, misso imprimis aquilege, & architecto, pollicetur.

I N *aquæ ductu*) vel in aquæ ductum.

A R C V A T O *opere*) Fornicatis structo parietibus, ad arcus similitudinem.

Opus testaceum. O P E R E *testaceo agenda erit*) E testa facto vel testacea materia, qualis è piscium cochleis.

Aquilex. M I T T I *aquilegem, vel architectum*) Aquilex à legendis aquis nomē inuenit; is enim est qui aquæ inueniendæ rationem callet, vt apud Varronem & Non. Marc.

AD EPISTOLAM 47.

PERMITTIT Traianus aquæductum fieri, sed interea Plinium monet, vt causas impensarum in id opus inquirat.

A D *hoc opus*) Vet. quidam tempus.

AD EPISTOLAM 48.

De theatro imperfecto gymnasióque viginis consumpto consulit Traianum.

Clavdiopolitani) A Claudiopoli vrbe Bithyniç apud Ptolom. hodie vocari Castamenam & olim Nicomediam tradit Marius Niger. Claudiopolis

Bvlevtae] De buleutis aliquid dicere me supra memini. Buleutæ.

Ne *munus tuum malè collocetur*) Iudicij est quod publicam pecuniam, quæ & principis est, male impendi nolit: summi, in principem amoris, quod munus eius male collocari non patiatur. Pecunia publica rectè impendenda.

Ne *dum sruare volumus quod impensum est, malè impendamus quod addendum est*) Quorum al[illegible]um insipientiç est: alterum verò stultitiæ, dum enim quod malè cœptum est persequimur, ne neglecta opera stultitiam exprobret, incidimus in vitium maius, temerariç & obstinatæ incogitantiæ.

AD EPISTOLAM 49.

Theatri ædificationem permittit Plinij iudicio: Nicenses gymnasio sufficienti verè esse contentos, veréque in iis prouinciis quærat architectum monet.

Gymnasiis *indulgent Græculi*) Cræcos vt delicatiores & ocio longo immersos variis ludorum generibus se olim exercuis- Græci delicatiores.

sic constat ex Plutarcho, Pausania, Athenęo & aliis.

AD EPISTOLAM 50.

DE lacu non procul à Nicomedia in mare deducendo.

SVMPTV *modico)* Alij immodico.

Librator. LIBRATOREM) Exploratorem aquarum vel amnium altitudinis, quanto ea loca superent quo eas deriuare constituerit. de librationibus aquarũ Victruuius 8. cap. 6.

CVPIAM *à te peragi quæ tantùm cœperant Reges*) Vt maior sit laus absoluti operis quam inchoati: & hic aduerte aculeum Plinij, quo laudatum principem ad famam nominis exstimulat.

AD EPISTOLAM 51.

PROBAT consilium Plinij, sed ne lacus omnino in mare effluat, monet.

AD EPISTOLAM. 52.

AN sumptus publicos Byzantiorum qui legatis darentur ad Imperatorem salutandum, rescindere debeat: Imperatorem consulit.

Byzantiũ. BYZANTIORVM *Reip.*) Hoc est Constantinopoleos, de qua iam supra nonnihil.

Psephisma. LEGATVM *cum psephismate*) Hoc est de-

creto, ψήφισμα enim Græcè : cuius vocis mentio multa in Demosthenis cõcionibus.

AD *eum qui Mœsiæ præest*) Præfectum Mœsiæ regionis Europæ, de qua Calchondil. & Sabellic. Mœsia.

AD EPISTOLAM. 53.

PLINII consilium adprobat Traianus.

AD EPISTOLAM 54.

DE diplomate quid in eo seruandum, Cæsarem percontatur.

DIPLOMATA) Litteræ hæ sunt vel principales vel magistratuum. quibus alicunde potestas datur exeundi l.27.§.2.D.de fals.eo sensu video à Tullio acceptum. sed & codicillaris potestas, quæ confertur à principe datis diplomatibus vel codicillis, vt in l.administrantes D.de excus.tut. Diplomata.

AD EPISTOLAM 55.

NOVA se missurum diplomata Traianus scribit.

DIPLOMATA *quorum præteritus est dies, in vsu esse non debet*) Et id iure quodam principali receptum, vt quibus sint concessa priuilegia, iis ne temere abutantur vltra præstitutum à principe tempus. Priuilegio non abutendum.

AD EPISTOLAM 56.

CONSVLIT Traianum de priuilegio Apameorum.

VEREOR *ne aut exceſsiſſe aut non impleſſe officij mei partes videar*) Quorum alterum in eo quod nimium eſt, quæ culpa in committendo dicitur: alterum in eo quòd parum, quę in omittendo.

AD EPISTOLAM 57.

IVBET priuilegio ſaluo rationes inſpiciantur Apameorum.

ABSTINVISSE *inſpectione*] Al. leg. inſpectatione.

AD EPISTOLAM 58.

CONSVLIT Traianum de æde ſacra in alium locum transferenda.

MATRIS *magnæ*) Cybeles deûm matris.

Receptū morem ſeruandum.

ALIVM *apud nos eſſe morem dedicationis*] De quo more alij viderint. certè ex hoc loco facile intelligas. Plinium legum, morúmque receptorum fuiſſe obſeruantiſſimum, ſed in rebus ſacris maximè.

AD EPISTOLAM 59.

PERMITTIT ius transferendi ædis sacræ.

CVM *solum peregrinæ ciuitatis capax, &c.*) Quasi solum illud peregrinum, & vt peregrini ipsi incolæ redire debeant Imperio Romano. cuius enim armis subacti sint, & moribus iisdem viuere debeant.

AD EPISTOLAM 60.

DE celebrato die suscepti à Traiano Imperij agit:& iusiurãdum ait cõmilitonibus datum.

PRAEIMVS) Al.præbuimus, sed vulgatum illud sapit veterem formulam, vt est voce præire, & sacrum precationis carmen apud Liuium, Val.Max.alios. **Præire.**

AD EPISTOLAM 61.

RESPONDET epistolæ proximæ Taianus.

AD EPISTOLAM 62.

DE pecuniis publicis quo leuiore vsura decurionibus tradendas putet, Traianum consulit.

Pecunia ociosa. QVAE *vereor ne ociosæ iaceant*) Ociosa pecunia in Iure, quæ ad nullum confertur vsum: l.13.§.1.D.de vsur.l.5.2&depositi.l.3.§. vsurus de contr.& vtili.act.tut.

IDONEOS *debitores*] Qui sint soluendo.

Cauere. RECTE *Reipublicæ caueant*] Et cauendi verbum iuridicum est, quo fideiussio vel satisdatio intelligitur : quanquam nonnihil inter cauere & fideiubere discriminis esse nostri velint.

AD EPISTOLAM 63.

PROBAT consilium vsurarum minuendarum.

ILLIS *ociosum*] In al.onerosum.

AD EPISTOLAM 64.

DE exsulibus ad tempus relegatis, dein restitutis à Procõsulibus: sed maximè de eo qui relegatus à Iulio Basso redierat in prouinciam, Imperatorem consulit.

Relegatio. RELEGATVS *in perpetuum à Iulio Basso Proconsule*) Relegatio est missio in exsiliũ, vt cùm quis fines patriæ iubetur exire, l.exsiliũ.D.de interd. & releg. Sanè relegationem vt quę temporarium ferè exsiliũ esset, fuisse paulò mitiorem deportatione, constat ex prudentum libris: quamquam & relegationem fuisse nonnũquam perpetuam, discimus ex l.4.l.28,l.38.§.si quis instrumẽ-

tum. D de pœn. l. 3. C. qui pet. tu. Aliam differentiam Isidorus attulit lib. 5. cap. 27.

AD EPISTOLAM 65.

SE priùs ex Caluo cognosciturum quid de iis actum esset quos relegarat: à Basso exactum, mittendum vinctum ad præfectos prætorio.

NEQVE *sufficit pœna suæ restitui quem contumacia elusit*) In al. quàm.

AD EPISTOLAM 66.

DE Archippo iudice, qui cùm vacationẽ à munere iudicandi petiisset, accusatus est vt qui fractis vinculis è custodia euasisset.

VACATIONEM *petiit vt Philosophus*) Ex Imperatorum constitutionibus philosophiam profitentes vacationem à muneribus impetrabant, tit. Dig. de vacat. & excusat. muner. l. 9. Vacatio concessa philosophis.

IVDICANDI *necessitate*) Iudicis officiũ necessarium, l. quippe. 78. D. de iudiciis. l. munerum. 18. §. iudicandi. de muneribus & honoribus.

QVA *probatur*) Meliùs probabatur.

DAMNATVS *in metallum*) Damnari in metallum, frequens fuit tyrannorum maximè temporibus: in quod pœnæ genus cõiiciebantur damnati ob aliquod flagitium. In metallum damnati.

MILITIBVS quatuor contentum esse debere Maximum, significat Imp. Traianus.

Extra ordinariũ.

EXTRAORDINARIO *munere*) Ad frumentationem nempe id dici extraordinarium quod solemne non est, liquet ex l. omnes omnino, C. de ann. tribut. libr. 10. hinc ertraordinarium commodum, vt in l. 239. §. munus, D. de verb. sign. extraordinaria munera, l. vnde vacat. pub. mun. lib. 10. & alia sexcenta..

AD EPISTOLAM 38.

DE pœna seruorum inter tyrones repertorum, consulit Imperatorem.

Pœna seruilis.

DE *modo pœnæ*) Pœna seruorum quæ fuerit, ex variis colligere est facilè, sed quali pœna fuerint afficiendi qui cum serui essent neque haberent militiæ ius, nō abs re Plin. addubitabat, vsurpari enim potuit ordinaria pœna, si simpliciter vt serui deliquissent: qualis erat flagrorum aut scuticarum; verùm quia disciplinæ militaris sacramentum temeritate sua polluisse videbantur, non ea tam moderata pœna digni erant.

AD EPISTOLAM 39.

QVALITER in seruos eos de quibus modò sit animaduertendum, indicat.

Cognoscere.

DE *quibus cognosci oportebat*) Cognoscendi verbum Iuris est, vt cùm iudex dicitur de causa cognoscere, litigatores audit, sedens

pro tribunali & diiudicat l.1.de conſt.princip. l. quod ſi Epheſi §. interdum D. de eo quod certo loco.

REFERT *voluntarij ſe obtulerint, an lecti ſint, an vicarij dati*) Si ſponte conditionem ementiti, pœna grauiſſima digni erant: ſi lecti, cum iis agendum videbatur remiſſiùs, & in inquiſitorum animaduertendum: ſi vicarij, de vicariis quærendum imprimis erat.

SI *vicarij dati*) De ſeruis ordinariis déque vicariis, Vlp. l. ſeruos 73. de leg. 3. Paul. l. ſi in re 19. de nox. act. Vicarij ſerui.

CVM *haberent conditionis ſuæ conſcientiam*) Cum ſe ſeruos eſſe verè ſcirent.

AD EPISTOLAM 40.

SERVI quidam ſe publicis miniſteriis immiſcuerant. quid ergo de iis faciendum ſit, à Cæſare petit.

NICOMEDIAE) Ea vrbs Aſiæ minoris in Bithtynia vt Ptolomæus. Nicomedia.

NICEAE) Al. Riceæ. Nicæa olim Antigonia Straboni, Olbia vt Plin. Bithyniæ Mediterranea vrbs. Nicea.

QVIDAM *vel in opus damnati*) L. 6. D. de extraor. crim. l. 1. § 1. & l. fin. D. de effract. l. 10. § fin. de pœn.. In opus damnati.

VEL *in ludum*] Certamen.

VT *publici ſerui annua accipiunt*] Demenſum annuum ex publico, qui ſerui publici ſunt, capiant. Varro de lingua Lat. 7. & Vlp. Inſtit. cap. 20.

NAM *reddere pœnæ pleroſque iam ſenes, &* Durum plecti ſenio caſſos.

frugaliter, modestéque viuentes. nimis seuerum arbitrabar) Humanius id & æquius aliquantò, quàm vt scripti iuris duritia plecterentur senio iam cassi frugíque homines. exēplum id æquitatis contra Iuris summi sæuitiam.

EOSDEM *à Rep. pasci otiosos inutile, non pasci, etiam periculosum existimabam*) Ita è duobus malis quod minus erat, eligendum videbatur.

AD EPISTOLAM 41.

QVID de seruis faciendum sit, Plinium edocet.

QVI *intra hos proximos decem annos damnati*) Id ex ciuili more ne quis decemui spatio sibi impunè esse iam putaret.

SI *qui vetustiores inuenientur & senes ante decē annos damnati*] Mediam viam sequendo, ne quia senes sunt, inhumaniùs puniantur: at quia deliquerint, ad ministeria publica nūcupentur, quasi in pœnæ mitioris locum.

AD EPISTOLAM 42.

DE constituendo fabrorum collegio Nicomediæ, occasione incendij, quo pars vrbis absumpta fuerat.

NVLLVM *in publico sipe*) Fistulam seu canalem intelligit ad aquam deducendam.

NVLLA *hama*) Vncus est seu harpago. hinc hamare, verbum apud historicos legi memini.

COLLEGIVM *fabrorum, duntaxat hominum clarißimorum*] Meminêre veteres auctores collegij fabrorum, vt & in Iure fabricensium mentio l. 1. & passim Cod. de fabricensibus, lib. 11. & Nou. 85. & l. fabricenses, C. de decur. lib. 10. Collegiũ fabrorũ.

AD EPISTOLAM 43.

NON probat collegium fabrorum institui, sed monet ad incendium comparari instrumenta.

HETAERIAE *quamuis breues fient*) Hetæriarum nomine sodalitates intelligi palàm est ex vi vocis, quę & societatẽ Gręce sonat.

AD EPISTOLAM 44.

DE solutis pro Traiani incolumitate votis.

QVA *publica salus continetur*) Verè id rectéque tributum Traiano, quod antè adulatoriè Domitiano nefando homini tribuerat Martialis lib. 7. Laus vera Traiani.

Rerum certa salus terrarum gloria Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse deos, &c.

AD EPISTOLAM 45.

RESPONDET superiori Traianus.

SOLVISSE, *nuncupasse*) Verba hæc solemnia, ex receptis veterum formulis, de Soluere vota.

quib.lib 1.formul. elegantiſſimè vir multiſcius Briſſonius ſupremi Senatus Præſes, togatorum eloquētiſſimus: cui ad ſummam laudem ſcio iam olim tributum ab eruditis, plus eum ſcripſiſſe in ſummis publicę rei negotiis, in quibus perpetuò verſatus eſt, quam alij vel in ſummo ocio legerint: plus eundem vidiſſe, quàm alij audiuerint.

Briſſoni' V.C. ſummæ curię Præſes.

AD EPISTOLAM 46.

NICOMEDIENSES impēdiſſe in aquę ductum ingentem pecuniam ait, quam vtiliùs educturum ſeſe, miſſo imprimis aquilege, & architecto, pollicetur.

IN *aquæ ductu*) vel in aquæ ductum.

ARCVATO *opere*) Fornicatis ſtructo parietibus, ad arcus ſimilitudinem.

Opus teſtaceum. OPERE *teſtaceo agenda erit*) E teſta facto vel teſtacea materia, qualis è piſcium cochleis.

Aquilex. MITTI *aquilegem, vel architectum*) Aquilex à legendis aquis nomē inuenit; is enim eſt qui aquæ inueniendæ rationem callet, vt apud Varronem & Non. Marc.

AD EPISTOLAM 47.

PERMITTIT Traianus aquæductum fieri, ſed interea Plinium monet, vt cauſas impenſarum in id opus inquirat.

AD *hoc opus*) Vet. quidam tempus.

AD EPISTOLAM 48.

De theatro imperfecto gymnasióque vi ignis consumpto consulit Traianum.

CLAVDIOPOLITANI) A Claudiopoli vrbe Bithyniæ apud Ptolom. hodie vocari Castamenam & olim Nicomediam tradit Marius Niger. Claudiopolis

BVLEVTAE] De buleutis aliquid dicere me supra memini. Buleutæ.

NE *munus tuum malè collocetur*) Iudicij est quod publicam pecuniam, quæ & principis est, male impendi nolit: summi, in principem amoris, quod munus eius male collocari non patiatur. Pecunia publica rectè impendenda.

NE *dum seruare volumus quod impensum est, malè impendamus quod addendum est*) Quorum alterum insipientiæ est: alterum verò stultitiæ, dum enim quod malè cœptum est persequimur, ne neglecta opera stultitiam exprobret, incidimus in vitium maius, temerariæ & obstinatæ incogitantiæ.

AD EPISTOLAM 49.

Theatri ædificationem permittit Plinij iudicio: Nicenses gymnasio sufficienti verè esse contentos, veréque in iis prouinciis quærat architectum monet.

GYMNASIIS *indulgent Græculi*) Græcos vt delicatiores & ocio longo immersos variis ludorum generibus se olim exercuis- Græci delicatiores.

ſic conſtat ex Plutarcho, Pauſania, Athenęo & aliis.

AD EPISTOLAM 50.

DE lacu non procul à Nicomedia in mare deducendo.

SVMPTV *modico*) Alij immodico.

Libra or. LIBRATOREM) Exploratorem aquarum vel amnium altitudinis, quanto ea loca ſuperent quo eas deriuare conſtituerit. de librationibus aquarũ Vitruuius 8. cap. 6.

CVPIAM *à te peragi quæ tantùm cœperant Reges*) Vt maior ſit laus abſoluti operis quam inchoati: & hic aduerte aculeum Plinij, quo laudatum principem ad famam nominis exſtimulat.

AD EPISTOLAM 51.

PROBAT conſilium Plinij, ſed ne lacus omnino in mare effluat, monet.

AD EPISTOLAM. 52.

AN ſumptus publicos Byzantiorum qui legatis darentur ad Imperatorem ſalutandum, reſcindere debeat: Imperatorem conſulit.

Byzantiũ. BYZANTIORVM *Reip.*) Hoc eſt Conſtantinopoleos, de qua iam ſupra nonnihil.

Pſephiſma. LEGATVM *cum pſephiſmate*) Hoc eſt de-

creto, ψήφισμα enim Græcè : cuius vocis mentio multa in Demosthenis cócionibus.

AD *eum qui Mœsiæ præest*) Præfectum Mœsiæ regionis Europæ, de qua Calchondil. & Sabellic. Mœsia.

AD EPISTOLAM. 53.

PLINII consilium adprobat Traianus.

AD EPIST OLAM 54.

DE diplomate quid in eo seruandum, Cæsarem percontatur.

DIPLOMATA) Litteræ hæ sunt vel principales vel magistratuum. quibus alicunde potestas datur exeundi l.27.§.2.D.de fals.eo sensu video à Tullio acceptum. sed & codicillaris potestas, quæ confertur à principe datis diplomatibus vel codicillis, vt in l.administrantes D.de excus.tut. Diplomata.

AD EPISTOLAM 55.

NOVA se missurum diplomata Traianus scribit.

DIPLOMATA *quorum præteritus est dies, in vsu esse non debet*) Et id iure quodam principali receptum, vt quibus sint concessa priuilegia, iis ne temere abutantur vltra præstitutum à principe tempus. Priuilegio non abutendum.

AD EPISTOLAM 56.

CONSVLIT Traianum de priuilegio Apameorum.

VEREOR *ne aut exceßiſſe aut non impleſſe officij mei partes videar*) Quorum alterum in eo quod nimium eſt, quæ culpa in committendo dicitur: alterum in eo quòd parum, quę in omittendo.

AD EPISTOLAM 57.

IVBET priuilegio ſaluo rationes inſpiciantur Apameorum.

ABSTINVISSE *inſpectione*] Al. leg. inſpectatione.

AD EPISTOLAM 58.

CONSVLIT Traianum de æde ſacra in alium locum transferenda.

MATRIS *magnæ*) Cybeles deûm matris.

Receptũ morem ſeruandum.

ALIVM *apud nos eſſe morem dedicationis*] De quo more alij viderint. certè ex hoc loco facile intelligas. Plinium legum, morûmque receptorum fuiſſe obſeruantiſſimum, ſed in rebus ſacris maximè.

AD EPISTOLAM 59.

PERMITTIT ius transferendi ædis sacræ.

CVM *solum peregrinæ ciuitatis capax, &c.*) Quasi solum illud peregrinum, & vt peregrini ipsi incolæ redire debeant Imperio Romano. cuius enim armis subacti sint, & moribus iisdem viuere debeant.

AD EPISTOLAM 60.

DE celebrato die suscepti à Traiano Imperij agit: & iusiurãdum ait cõmilitonibus datum.

PRAEIMVS) Al. præbuimus, sed vulgatum illud sapit veterem formulam, vt est voce præire, & sacrum precationis carmen apud Liuium, Val. Max. alios. Præire.

AD EPISTOLAM 61.

RESPONDET epistolæ proximæ Taianus.

AD EPISTOLAM 62.

DE pecuniis publicis quo leuiore vsura decurionibus tradendas putet, Traianum consulit.

tum. D de pœn. l. 3. C. qui pet. tu. Aliam differentiam Isidorus attulit lib. 5. cap. 27.

AD EPISTOLAM 65.

SE priùs ex Caluo cognosciturum quid de iis actum esset quos relegarat: à Basso exactum, mittendum vinctum ad præfectos prætorio.

NEQVE *sufficit pœna suæ restitui quem contumacia elusit*) In al. quàm.

AD EPISTOLAM 66.

DE Archippo iudice, qui cùm vacationẽ à munere iudicandi petiisset, accusatus est vt qui fractis vinculis è custodia euasisset.

VACATIONEM *petiit vt Philosophus*) Ex Imperatorum constitutionibus philosophiam profitentes vacationem à muneribus impetrabant, tit. Dig. de vacat. & excusat. muner. l. 9. Vacatio concessa philosophis.

IVDICANDI *necessitate*) Iudicis officiũ necessarium, l. quippe. 78. D. de iudiciis. l. munerum. 18. §. iudicandi. de muneribus & honoribus.

QVA *probatur*) Meliùs probabatur.

DAMNATVS *in metallum*) Damnari in metallum, frequens fuit tyrannorum maximè temporibus: in quod pœnæ genus cõiiciebantur damnati ob aliquod flagitium. In metallum damnati.

EPISTOLA DOMITIANI
ad Terentium Maximum.

PLINIVS Bithyniæ Proconſul, cùm citaret iudices, Flauius Archippus vacationem petiit vt Philoſophus: fuêre tamen qui referrent eum non modò liberandum iudicandi neceſſitate, ſed è iudicum numero eximendum, pœnæque reddendum, quam fractis vinculis euaſiſſet. Vellet enim Proconſulis tum ſententia recitata, qua conſtabat Archippum damnatum in metallũ fuiſſe ob crimen falſi. Contrà ille nihil aliud, niſi ſe reſtitutum à Domitiano, aut ſaltem libellum ab eodem datum proferebat: cuius beneficij principalis ſe minimè capacem innuebat fuiſſe, niſi ſui ſtatus integer foret: quod ex reſcripto Diocletiani & Maximiani, de precib. Imper. offer. liquet. Quin & iactabat epiſtolas Domitiani ad honorẽ ſuũ pertinentes: item decretum quorundã Druſenſium, quo ei conceſſus eſſet honor ſtatuæ. His etiam adiiciebat D. Neruæ edictũ, & epiſtolam, quibus Nerua cõfirmaſſet beneficia à Domitiano data. Denique & Traiani litteras honorificè ad ſe datas. Ex iis omnibus ſeſe tuebatur Archippus, ſéq; pro reſtituto arguebat: quia de tantorum principum iudicio addubitare nefas videretur. Verùm cõtrà dicebatur, Domitianũ ignoraſſe quo in ſtatu Archippus eſſet: ex quo ſubrepticia eſſe omnia quæ ille pro ſe iactaret; fallaces enim eſſe coniecturas, qui-

Archippi accuſatio.

bus non ita temerè credi oporteret. Et hæc quidem de Archippo. Quātum verò ad eorum ſtatum pertinet, qui preces Imperatoribus offerrent, Honorius & Theodoſius edixêre, vt ſemel impetrato reſcripto non inquireretur per quem preces oblatę eſſent, ſeruum an ingenuum.

EDICTVM D. NERVÆ.

EDICTO Neruæ confirmabantur edicta, priuilegia, diplomata, codicilli: quod tamen priùs Titum Veſpaſianum feciſſe, teſtes ſunt Dio & Tranquillus.

ME *ſecuritatem omnium quieti meæ prætuliſſe*) Ea boni principis vox, qua natum ſe Reip. bono profitebatur.

CVM *rerum omnium ordinatio*) Reſcriptum eiuſdem Neruæ, quo Domitiani confirmat ordinationes.

AD EPISTOLAM 67.

LIBELLOS Archippi Traiano mittit. Item Furiæ quæ eum accuſarat.

VELIT *audita vtraque parte*) Sic Tertul. Apologet. Reſpondendi, altercandíque poteſtas patet, quando nec liceat inauditos, & indefenſos omnino damnari. huc l. 1. Cod. de condem. reis. Audita vtraque parte iudicandū.

AD EPISTOLAM 68.

Traianvs Archippum à pœna metalli liberat.

Honor statuæ. Statvarvm *honor decretus ab iis qui ignorabant*) Quem honorem fuisse maximũ, nec nisi dignis tribui solitum, ex veteribus cognoscitur, sed in Tullio maximè oratione funebri in Seru. Sulpitium.

AD EPISTOLAM 69.

Itervm de Nicomediensi lacu in flumẽ aut mare deducendo.

Cataractæ. Cataractis *aquæ cursum temperare*) Sistere aut cohibere impetum aquæ portarum vectibus, vel cançellatis portarum foribus.

AD EPISTOLAM 70.

Lavdat consilium Plinij Traianus de Nicomediensi lacu.

AD EPISTOLAM 71.

De liberis natis expositis, inque seruitutem tractis, quid faciẽdum videatur, Traianum consulit.

De *conditione*) De statu.

QVOS *vocant* τρεπτοὺς) Hoc est expositos, τρέφεσθαι: hinc τροφὴ alimentum, & τὰ τρεπτήρια alimenta, quæ liberis præstanda τοῖς τρεπτοῖς. Sanè Iustin. in l. sancimus. 3. C. de infantibus expositis liberis & seruis, expositos cuiuscunque conditionis ab exponentibus non posse vindicari, nec à colligẽtibus, vt seruos, vel vt libertinos retineri, sed manere ingenuos constituit. Expositi liberi.

NEQVE *putaui posse me quod auctoritatem tuam posceret, exemplis esse contentum*) Legibus enim vtendum non exemplis, l. nemo. 13. C. de sen. & interl. omn. iud. Legibus vtendum, non exẽplis.

PARVM *emendata*] In al. emendatè.

AD EPISTOLAM 72.

RESPONDET Imperator optimus libertatem nulli adimendam.

IN *seruitute educati sunt*) Aliud est seruire, aliud in seruitute esse. Fuerũt enim quidam in seruitute, qui tamen serui non essent, nec proinde ingenuitatem amisissent, vt qui iustam seruitutem non seruiissent, ideóque si postea casu aliquo manumissi essent, nõ tamen libertinæ conditionis censendi erant. Seruire, & seruũ esse.

QVAE *fortasse debeant*) Al. debebant.

NEC *libertatem adimendam precio alimentorum*) Multus est in Iure libertatis fauor, vt semel data libertas vel ex falsa causa nõ reuocetur.

AD EPISTOLAM 73.

DE reliquiis mortuorum transferendis Cæsarem percontatur.

PROPTER *iniuriam vetustatis*] Quam in-

uidiosam & edacem rectè Ouid. appellauit.

Pontificū collegiū. QVIA *sciebam ex eiusmodi causis collegium Pontificum adiri solere*] Quia enim res ad religionem sepulcrorum pertineret, ea erat ad Pontificum referenda cognitionem. Nonnihil ea de re fortasse Tul. 2. de Leg.

AD EPISTOLAM 74.

RELIQVIAS transferre permittit, sed adhibito iudicio, & ex causa.

Consuetudo. SEQVENDA *ergo potiùs exempla*) In iis quæ obscura vel dubia sunt, aut de quibus nihil cautum legibus, cõsuetudo vel exempla maiorum sequenda.

AD EPISTOLAM 75.

DE balineo extruendo Prusæ.

Domus ruinis deformis. DOMVS *deformis ruinis*) Vlp. l. Prætor. § deinde. de oper. nou. nunciat. Pertinet, inquit, ad decus vrbium ædificia non derelinqui: & rescriptum est decoram ciuitatis faciem conseruandam, l. præscriptio. C. de oper. publ. mandatúmq; præsidibus, & Reipubl. curatoribus, vt curent dirutas domos à dominis exstrui, & refici, vtq; deformitati auxilium ferant, competenti remedio aduersus detrectantes. Id à veteribus summo studio seruatum, vt publicus ciuitatis ornatus maneret. Eadem ratio mouit Hadrianũ Imperatorem, vt constitueret ne in vlla ciuitate domus aliquæ transferrētur in aliam vrbem,

vrbem, vllius materiæ causa, ait Spartianus. Quin & legibus prohibetur ne domus diruantur negocij causa cum publici decoris iactura, l. vlt. de dam. inf. l. senatus. de contr. empt. l. 2. C. æd. priu.

IN *peristylio*] Porticu columnis vndique inclusa, septáque quaquauersus: quales in monasteriis, & principum regiis. Peristylia.

NISI *solum superest, quod si donaueris ciuitati*) Ex hoc loco facilè intelligas caduca fisco cedere, & cùm iam dominum non habeant, Imperatoris esse.

EXEDRA *& porticibus*) Exedra à sedium frequentia dicitur, vt apud Tul. cuius speciē seruāt monasteria. Porticus autē ambulacrū fultum columnis, στοὰν Græci nominant. Exedra.

AD EPISTOLAM 76.

CONCEDIT balineum Prusiensibus exstrui.

DOMO *collapsa*] In vet. domu. Sic enim olim scribebant, vt lauru, & similia.

NAM *si facta ædes esset, licèt sit collapsa, religio eius occupauit solum*) Æde sacra casu aliquo diruta, locus tamen ædificij profanus non est, ideóq; non potest alienari, l. æde. D. de cōtr. empt. Quòd si sacer vel religiosus locus capiatur ab hostibus, desinit sacer esse: at si ab ea calamitate liber factus erit, quasi quodā postliminio reuersus, restituitur pristino statui, l. cùm loca, de relig. & sumpt. fun. Æde sacra diruta, solum sacrum manet.

AD EPISTOLAM 77.

De cognoscendis, déque natalibus restituendis, Cæsarem consulit.

Agnoscere liberos. De *agnoscendis liberis, & natalibus restituẽdis*) Agnoscere liberos, & natalibus restituere, quid sit, ex tit. Pand. cognoscere est, lib. 25. 3 itémque 40.11. ne nimium in re trita multus sim.

AD EPISTOLAM 78.

Antequam de eo pronunciet Cæsar quod Plinius petierat, Senatusconsultum ad se mitti vult, de ingenuorum assertione.

Natalib' restituere. Æstimabo *an debeas cognoscere de agnoscendis liberis, &c.*) De natalibus restituendis. agitur in Pandectis Iuris, quæ quæstio cùm decisa esset, constarétque liberos in seruitutem per vim tractos, sequebatur eos esse restituendos natalibus, & cùm restituti essent, pro liberis & ingenuis habendos: manumissionem enim nõ officere natalibus, l. si quis. 21 D. de capt. & postl. reuers. quo loco Vlp. ait natum ex ingenua, vel redempta, vel virtute militum recepta, quamuis ab ignorante patre manumittatur, ingenuum tamen esse. Vide l. 1. & tot. tit. de agnosc. lib.

AD EPISTOLAM 79.

IVLIVS Largus testamentum condiderat in quo ex fideicommisso Plinium rogarat hereditatem suam cernere, & ex quinquaginta millibus pro suo arbitratu dispensaret in honorem Imperatoris. Itaque quid sibi in ea re faciundum videatur, Traianum consulit.

EX *Ponto nondum mihi visus est, ac ne auditus quidem*) Quod adfuit ab omni specie captationis.

ROGAVIT *testamento vt hereditatē suam adirem*) Adire hereditatem, extranei est instituti: agnoscere verò, sui heredis, vti didicimus ex prudentum libris. Cernere hereditatem, προσέρχεσθαι τῇ κληρονομίᾳ, vt in D. Germani Lexico. qui cernit, verba cretionis pronunciat, de quibus Vlp. Inst. cap. 22. Adire & agnoscere hereditatem.

HERACLEOTARVM) Heraclea Cretę insulæ vrbs Ptolomæo & Straboni. Heraclea.

ET *Theanorum*) Theanum vel Sidicinum oppidum Campaniæ Plinio, lib. 3. hist. natu. cap. 5. Theanū.

QVINQVENNALES *agonas, qui Traiani appellentur*) Ludi quinto quoque anno celebrandi, quales illi Græciæ olim, de quibus multi multa Ludi in Traiani honorē.

AD EPISTOLAM 31.

PERMITTIT arbitrio Plinij quod epistola superiore ipse consulēdo petierat.

Testamēta qualia. QVASI *te bene nosset elegit*) Testamentū fieri debere certo animi consilio propositóque, vt eo non nisi digni & capaces instituātur, leges præcipiunt.

AD EPISTOLAM. 81.

DE Centurione Iuliopolitanis mittēdo ad vindicandas à militibus acceptas iniurias.

Centurio legionarius. LEGIONARIVM *Centurionem*) Qui legioni præfuerit, & qui iam vsu doctus tumultuantes in officio contineat. De Centurionum officio multa Lagus lib. 4. Commēt. Reip. Rom. cap. 10.

Iuliopolis. IVLIOPOLITANIS] Iuliopolis, vrbs Asiæ minoris, quæ & Gordiucomæ Plinio, & Straboni.

TANTO *grauiores iniurias, quanto est infirmior, patitur*] Eo grauiores iniurias quisque pati putatur, quo est imbecillior, & se à vi vel contemptu vindicare non possit.

AD EPISTOLAM 82.

AIT Traianus prouidendum fuisse Byzantinis ob dignitatem, & cōmeantiū turbam: at Iuliopolitanis nō esse permittēdū quod peterent, ne id exēplo cæteris esset ciuitatibus, quę Centuriones facilè cuperēt.

Byzantiū. BYZANTIORVM *ciuitatis*] Byzantium,

quæ & Constantinopolis, Thraciæ vrbs nobilissima, ad Bosphorum sita, Lygos antea Plinio, & Antonia ab Antonio, & eius filio Imperatoribus, & Anthusa à Constantino, vt Eustathius: noua & secunda Roma historicis.

AD EPISTOLAM 83.

DE ciuitate Bithyniæ, & qua ætate legi debeant Senatores, Traianum cõsulit.

LEGE *Pompeia*) Eam tulit Pompeius, ne quis annis triginta minor magistratum caperet, in Senatũ ve esset: ne Decuriones in curiam lecti à Censoribus, pecuniam pro introitu darent: vt Bithyniorum ciuitatibus ascribere sibi quos vellẽt, ciues liceret, dum ne essent alienæ ciuitatis: noster Plinius iterum meminit epist. 116. sequenti. Lex Pompeia, annalis.

SECVTVM *est edictum D. Augusti*) Legis huius originẽ videtur Cice. 5. in Antonium ostendere, legibus annalibus eam grandiorem ætatem ad Consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur. C. Cæsar ineunte ætate docuit, ab excellenti eximiáq; virtute progressum ætatis exspectari non oportere, &c. Et D. Augusti edicto permissum erat iis qui duobus & viginti annis nati essent, magistratum gerere: quia Senat⁹ Augusto ipsi minori annis triginta magistratum gerere permisisset, qui ipse imperium cœpisset, vixdum annos viginti natus. Lex Augusti, annaria.

QVIA *sit aliquãto melius honestorum hominũ liberos, quàm è plebe in curiã admitti*) Honestio-

Honestiores in Senatum cooptandi. res enim homines, & qui maximè Rempub. rexerunt, videntur merito iure Rempub. ipsā sibi deuinxisse, ipsíque liberos genuisse, qui ex meritis, virtutéque maiorum se iam patriæ suę consecratos putent, adeò vt publica munia quasi hereditario iure capessant. verùm hanc video quæstionem cōtrouerti posse, vel quia vt plurimùm heroum filij noxę, & quòd omnia mala exempla à bonis initiis orsa sint, vt Sallustius ait.

AD EPISTOLAM 84.

TRAIANVS rescribit se ex edicto Augusti cōprobare, vt anno demū exacto vicesimo secundo magistratū capere liceat: at qui magistratum non gesserunt, Senatores esse non posse minores annis triginta.

AD EPISTOLAM 85.

SVPPLICES libellos Dionis & Eumolpi ad Traianum mittit.

Prusa. PRVSAE) Bithynię vrbis ad Olympum sitæ, Steph. Strabo, Plin. alij.

Dio Prusiens. DION *in bule aßignari ciuitati opus*) Temporibus Apollonij Tyanei & Euphratis Dionem pulsum Roma, qui philosophus esset, posteà honorificè receptum à Traiano, memorant Philostrat. Lucian. Ennap. Sardian. ex quibus quę ad hunc locum attinent discere est. Cæterùm ex Pollucis onomastico didicimus βουλὴν locum esse in quo

cogi solcant viri consultores, inde pro senatu accipi vsitatum. & Buleutas apud Modestinum dici, l. ἤ, οἱ μή, 22. de tutoribus & curatoribus dat. ab his.

EVMOLPVS *aßistens*) Al. assistente.

COGNOSCEREM *pro tribunali*] Quæ cognitio pro tribunali multò est exactior quàm quę habetur de plano, vt aiunt nostri, vt in l. 1. §. pen. de iudic. l. 2. de re iudic. Cognoscere pro tribunali.

CONSVLENDVM *existimarem in re ad exemplum pertinenti*) Solemne iam olim senatui consulere principem in rebus maximè arduis, ex quo multa principum rescripta passim videmus in Dig. & Cod. Iustinianeo. Consulere principem solēne quando.

AD EPISTOLAM 86.

DIONEM Traianus absoluit ab insimulatione criminis maiestatis: & operis permittit disquisitionem.

NON *ex metu, aut terrore hominum aut criminibus maiestatis reuerentiam meo nomine acquiri*) Aurea principis optimi vox : cui conuenit hoc Claudiani, vt opinor, Clemētia principis.

——— pergit tranquilla potestas,
Quæ violenta nequit moderatáque fortiùs viget
Imperiosa quies.

AD EPISTOLAM 87.

DE Nicensium precibus libello comprehensis ad Traianum missis.

PER *æternitatem tuam*) Verbum æternita-

Æternitas principis. tis summo Imperatori Romano attributũ, déque vrbe æterna spero me aliquid ad Panegyricum opportuniùs obseruaturum.

AD EPISTOLAM 88.

PERMITTIT cognitionem Plinio bonorum intestatorum, quæ Nicenses sibi attribuebant, modo adhibeat Cæsaris procuratores.

Procurator Cæsaris. ADHIBITIS *Gemell. Virdio, & Epimacho, procuratoribus*] De procuratoribus Cęsaris, & quod eorum munus, l. 1. C. de iurisd. omn. iudic. l. 1. & seq. C. vbi fisc. causæ l. 1. de off. procur. Cæsaris. de prima muneris huius institutione Dio. lib. 53. & Tacit. in Claudio.

AD EPISTOLAM 89.

NIHIL aliud quàm vt multos natales dies plurimos & fœlicissimos Traianus agat, voto Plinius optat.

AD EPISTOLAM 90.

RESPONDET ad superiorem.

AD EPISTOLAM 91.

DE aqua Sinopensibus curanda.

AD EPISTOLAM 92.

AQVAM deduci permittit.

IN *coloniam Sinopensem*) Sinope, Asiæ minoris vrbs in Paphlagonia ad Euxinum Pontum Ptolomæo, at in Cappadocia Dionysio videtur. Sinope.

AD EPISTOLAM 93.

DE magistratu qui donis publicis præsit, instituendo.

AMISENORVM *ciuitas*) Amisus Ptolomæo & Straboni, Galatiæ oppidum. Pompeio polis dicta postea victo Mithridate, ait Plin. maior. Amisus.

AD *Eranos*) Collationum exactores, vt apud Athenæum, scio & Eranon cōuiuium esse quod à collatoribus symbolorum instruitur, vt apud Plautum. ea est cœna collatitia, collecta, sine symbolo comparata. Erani.

AD EPISTOLAM 94.

CONCEDIT exactionem collationum, dum tamen inopia tenuiorum sustineatur.

SI *tali collatione nō ad turbas & illicitos cœtus, sed ad sustinendam tenuiorum inopiam vtantur*) Pulcer sanè hic locus de collationibus tum moderandis, tum ad vsum & vtilitatem pu-

blicam, non ad coitiones vulgi effrænatas comparandis.

AD EPISTOLAM 95.

PETIT ius trium liberorum Tranquillo Suetonio.

SVETONIVM *Tranquillum, &c.*) De eo aliquid dicere, nobili alioqui historico, superfluum.

Ius trium liberorú. DVAE *causæ*) Quòd vir eo beneficio principis dignus esset, quia bonarum artium, & bonarum partium: tum quia liberos per naturam quærere non potuisset, parum fœlix matrimonium expertus.

QVANTOPERE *cupiam, quod non rogarem absens, si mediocriter cuperem*) Q. d. expectarem dum tibi præsens essem, sed ardentiùs peto absens quod valdè cupio.

AD EPISTOLAM 96.

QVOD Suetonio petierat se concessisse Traianus rescribit.

AD EPISTOLAM 97

EPISTOLA hæc de Christianorum cœtibus ad Traianum, de quibus quid agendum sit, Imperatorem consulit.

Et huius quidem & sequentis epistolæ ratio nos apertè docet, quis fuerit Christia-

norum ſub Traiano ſtatus,& quod tũ principum virorum,tum etiam magnatum,quibus cura publicæ rei demandata eſſet, iudicium Nec verò ſatis eſt nudã rerum hiſtoriam noſſe,ſed & qualitatem,iúſque ipſum diſpicere oportet, vt intelligamus ſummo Dei beneficio, inter craſſiſſimas tenebras ignorationis, teſtimonium id luculentum de Chriſtianis proditum fuiſſe. Certè vt à tẽporibus primis repetamus, quibus innoteſcere pietas Chriſtiana in orbe Romano cœpit, Tiberius Cęſar aliquid iam antè de CHRISTO, Seruatore noſtro acceperat, adeo vt multis editis, notíſque orbi prodigiis,cùm ſtatueret CHRISTVM in Deorum numerum referendum; quia ſenatui non placuit,nihil ea de re agi potuit. Id ex Septimio Tertulliano mutuari placet,cuius hæc verba in Apologetico;Vet⁹ erat decretum, ait, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à ſenatu probaretur: vt M. Æmilius de Deo ſuo Alburno, & dein. Status Dei cuiuſque in ſenatus pendebat æſtimatione. huius decreti auctorem nullum fortè alium laudabant, præter Romulum, qui iam ab ipſis Romæ incunabulis edixerat,ne quis peregrinos Deos coleret. Et Cic. 2. de legib. hanc exceptionem legi Romuleæ addidit:niſi publicè adſcitos. Tertullianus iis etiam adiunxit:Tiberius cuius tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introiit,annunciatum ſibi ex Syria Paleſtinæ, quæ illic veritatem ipſius diuinitatis reſeuarat,detulit ad ſenatum, cum prærogatiua ſuffragii ſui. Senatus, quia ipſe non proba-

Status Chriſtianorũ ſub Traiano.

Sub Tiberio cœpit Chriſtiana pietas innoteſcere

uerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, cōminatus periculum accusatoribus Christianorum. hæc Tertullianus, cuius verba pluribus est exsecutus Eusebius, & post hunc Orosius. Tiberio successit Caligula, sub quo miserè vexati Iudęi, vt ex Philone accepimus, hūc proximè secutus Claudius, quo tempore Christianos Romæ primùm innotuisse. Orosius idem memorat: tamen dubitat quòd Sueton. scribit, Claudium Iudæos tumultuantes impulsore CHRISTO, Roma expulisse, an ad Christianos quoquè pertinuerit, vt cognatæ religionis homines. Claudio successit Domitius Nero, sub cuius tyrannide primū de Christianis, Romæ, velut publica quæstio instituta est. Trāquillus ait simpliciter eos tū fuisse afflictos. Cornelius Tacitus multò exquisitiùs rem omnem percēset, sed calumniosè, vt tempora & hominum ferebant ingenia. Paulopòst non obscurū in Christianos homines odium cœpit erūpere, adeo vt nulla magis in re se Neronis sæuitia immanis effuderit. Sed non tam religionis, si verū audimus, quàm illi profitebantur, quàm quod incendij falso carmine arguebantur, mirísque modis agitabantur. Sic Tertullian. consulite, inquit, commētarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tunc maximè orientem Romæ Cæsariano gladio ferocisse: sed tali dedicatione damnationis nostræ etiā gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest nō nisi aliquid bonum grande à Nerone damnatum esse. Sulpitius Seuerus narrat tunc legibus latis

Caligula Iudęos afflixit.

Sub Nerone Christiani accusantur.

prohibitam fuisse religionem, palámque edictis propositis Christiano esse nō licuisse. Vespasianus & Titus Iudæos profligarunt: Solymam deuastarunt: Ecclesiam tamen Christianam quæ illic esse iamdudum cœperat, immunē reliquerūt. Verùm paulopòst à Domitiano improbè ac crudeliter affecti Christiani à quibus sūt accusati vexatíque ἀθεότητος nomine, vt est apud Dionem. Et is quidem censeri dirior Nerone potuit, quòd causam incendij Nero prætexebat: at iste non alio nomine Christianos afflixit, quàm quòd Christiani essent. Nōdum tamen in Christianos edictū aliquod perpetuum editum fuisse comperimus. Mitiorem tamen Domitianum Nerone, Tertullianus videtur facere: ait enim eū fuisse portionem Neronianæ crudelitatis, sed tētasse magis, quàm fecisse: & facilè quod cœperat, repressisse; iis etiā quos relegauerat, restitutis. quam tamen restitutionem ascribi malūt plerique Neruę, vt ex Dionis epitome colligitur. Hactenus igitur nihil nisi vim & barbaram quandam sæuitiam, sine vlla iudiciorum specie legimus. Quid tandem ergo Traianus? is enim Rempub. à tyrannis miserè perturbatam, afflictámque restituere conatus est. Orosius scribit, iussisse Traianū vt qui Christiani sacrificare Diis nollent, interficerentur; edictum tamen id temperasse, cum Plinij relationem audiisset. Sed non video quale id edictum fuerit: nec certè verum est, datū fuisse Plinium ad Christianos homines persequendos, quod vult Orosius. Missus enim erat ille ipse

Vespasianus pater & filius Iudæos subegerūt.

Domitianus in Christianos sęuiit

Nerua.

Traianus

Plinius Bithyniæ Proconsul. Plinius ad ordinandum prouinciarũ Bithyniæ, & Ponti statum. Casu quodam accidit, vt in Christianorum cognitionem veniret, quibus tum plenæ illæ prouinciæ redundabant. Quid itaque de iis tũ nouis hominibus cognouisset, Traiano verè ac perspicuè narrat: quídque in posterum statuere habeat, petit. hinc rescriptũ Traiani secutum: quo primũ lex Romana de Christianis, & quasi certa constitutio videtur edita, de qua sic disertè Tertullianus: Inuenimus inquisitionem in nos prohibitã. Plinius enim Secundus cum prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, aliis gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consulit tunc Imperatorem Traianum: præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de eorum sacris comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum CHRISTO & Deo, & ad conferendam disciplinam: homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibeãtes. tunc Traianus rescripsit, hoc genus quidem homines inquirendos non esse: oblatos puniri oportere. Eadem quæ Tertullianus, complectitur Eusebius; cætera iam audiamus sigillatim.

Prima lex in Cristianos.

Rescriptum Traiani de Christianis.

Cognitiones extraordinariæ

COGNITIONIBVS *de Christanis interfui*) Vocat hîc cognitiones, capitales quæstiones: hæ meri erant imperij, & cum Prætoris iurisdictione nihil commune habebant. vt autem extraordinariæ cognitiones prætoriæ multæ de re pecuniaria; sic & erãt quædã capitales extraordinariæ: vt & extraordinarium crimen nominatur in Iure;

eius generis fuit crimen Christianæ religionis. non enim, vti iam dixi, de eo certa quædam & publica lata lex erat.

NEC *mediocriter hæsitaui*) Traianus minimè respondit ei dubitationi. videbat enim in Iure multa concedi ætati: sed satiùs tamen id quicquid esset, permitti arbitrio iudicantis. Sæuitia hæc & plusquam tyrãnica immanitas in Christianos animaduertendi, sine sexus discrimine, patet ex historiis, sed Arnobij in primis & Lactantij libris. De causa teneræ ætatis.

DETVRNE *pœnitentiæ venia*] Id pro suo iudicio non audebat Plinius statuere. Nam principis est, non alicuius præsidis aut magistratus pœnam laxare, aut cõdonare. qua ratione Tull. pœnarum deprecationem nõ in iudicio, sed in senatu locum habere dicit. Iam quidem tẽpore Plinij, vt & Iurisconsultorum arbitrariæ pœnæ in vsu erant, sed impunitas reorum, vel confitentiũ, vel conuictorum non erat arbitrij Proconsularis. Pœnitentibus an venia dãda.

NOMEN *ipsum etiamsi flagitiis careat, an flagitia nomini cohærentia puniãtur*) Ex hoc loco intelligimus nõ flagitium, quod nullum erat, sed ipsum puniri nomen, quanquam innoxium, vel testibus aduersariis. Idem est Iustini Martyris questus in sua pro Christianis defensione; nempe cum Christiani accusabantur, hoc solo plerumque nomine damnabantur. Etenim & Tertullianus ait damnationis tabellam tantùm continuisse, reum esse Christianum: eandem tabellam, cùm ad supplicij locum ventum esset, deferri solitam, vt cum in amphitheatro Attalus Christi Martyr, iam damnatus circũdu- Nomen an puniẽdum.

ceretur, latam fuiſſe tabulam, in qua ſcriptum eſſet, Hic eſt Attalus Chriſtianus. itidem de Polycarpo Smyrnenſi proditum, aliiſque multis de quibus multa in veterum monumentis. Moris autem fuit antiqui, vt cum de damnatis ſuppliciũ ſumeretur, cauſa damnationis publicè per tabellam, vel vocem præconis proderetur.

Iudicium de confeſſis.

Confitentes *iterum, ac tertio interrogaui, ſupplicium minatus*) Iudicium de confeſſis quale ſit, apud noſtros variè diſputatur. Nec tamen cõfeſſio omnem facti quæſtionem habet. ſic enim Cato apud Salluſtium ait, de confeſſis, ſicut de manifeſtis rerum capitalium ſupplicium ſumendum ſibi videri. Verùm hic loquitur de confeſſis ſimul & conuictis. Liuius de Bacchanalibus antiſtitibus: adducti ad conſulem, faſſique de ſe nullam moram iudicio fecerant: ſed confitebantur quod iam erat compertum. Melius Seuerus Imperator qui reſcripto ſãxit, confeſſiones reorum pro exploratis criminib⁹ haberi non oportere, ſi nulla probatio religionem iudicantis inſtrueret, l. 1. D. de quæſtionib⁹. idẽ: Siquis vltrò de maleficio confiteatur, non ſemper ei fides habenda. nonnunquam enim aut metu, aut alia cauſa in ſe confitentur. Tertullianus autem apologetico cùm dixiſſet leges præſcribere, vt confeſſi damnarentur, addit; non eſſe ſola confeſſione cõtentos iudices, ſed cõſequẽtia exigere facti qualitatem, numerum, locum, modum, tempus. Cur itaque confeſſos toties Plinius interrogaret; an vt illis integrũ permitteret inficiari, ac ſupplicij minis

Abiuratio Chriſtianiſmi à paganis tentata.

ad inficiationem reuocare? Etenim tum victi censebantur, cum per inficiationem, vitę & famę periculum effugerent. Quare Pręsides prouinciarum tyrãnici hoc multis post annis moliti sunt, vt tormentis adhibitis potius adigerẽt ad inficiationem, quàm inficiantes ad confessionem, quamuis id fieret aduersus legum rationem omnem, & ordinem iudiciorum. Id grauiter queritur ad Scapulam præfectũ Carthaginiensem Tertullianus.

NEC *dubitabam qualecumque esset quod faterentur, peruicaciam certè, & inflexibilẽ obstinationem debere puniri*) De religione, déq; innocẽtia id temerè certè ignorãtérque editum iudicium. Verum vt Lucian. ait, δεινὸν ἡ ἄγνοια κακόν: quod illud sit, nec intelligit Plinius, neque inquirit, & tamen insontes damnare non dubitat: at religionem fateri, eámque non abiurare, non est obstinationis, sed optimæ constantiæ. Enimuerò nihil magis attonitam hominũ multitudinem olim ad religionis huius admirationem rapiebat, quàm piorum religiosa & constans obstinatio: de qua sic idem Tertullianus, Illa ipsa obstinatio quam exprobratis, magistra est. Sed multò apertiùs, Plinium in Christianis accusasse obstinationem non sacrificandi dicit: itémque, eos obstinationem talem præferre suæ vitæ, & pro fidei obstinatione damnari: tyranni posteriores Galerius & Maximinus aliter iudicarunt, cùm inflexibilis Christianorũ religio nullis minis frãgi aut labefactari posse videretur, pœnas quibus nihil proficeretur, vel laxandas

Peruicacia obiecta temerè Christianis.

Constantia Christianorũ sub tyrãnis.

eſſe, vel remittendas.

Conuicia probroſa in Chriſtianos. ALII *ſimilis amentiæ*) Durè id & impiè dictum: & eadem fuit quorumdam amentia qui pios amentiæ arguerent & furoris, vt ex ſcriptis colligimus Tertulliani, Euſebij, Iuſtini, Lactantij, Arnobij, Tatiani, Athenagoræ, & aliorum, qui Chriſtianam perſuaſionem præclarè defenderunt. Quidam, inquit Tertul. dementiam exiſtimant, quod cùm poſſimus & ſacrificare in præſenti, & illæſi abire, manente apud animum propoſito, obſtinationem ſaluti præferamus.

Adnotare. Ius ciuis, Rom. QVIA *ciues Romani erant, adnotaui in vrbem remittendos*] Adnotant iudices cùm in acta referri iubent, & abſentes reos adnotari requirẽdos in tit. Digeſt. de requir. reis obſeruamus. Reſpiciebat autem ad leges Porciam & Semproniam : illa cauebatur, ne quis ciuem Romanum virgis cæderet, aut necaret, ſed damnato permitteret exſilium. Hæc verò ne de capite Romani ciuis, iniuſſu populi, quicquam ſtatueretur. Ideo ait orator 7. in Verrem, hanc vocem, Ciuis Romanus ſum, multis ſæpe in vltimis terris opem, etiam inter Barbaros, & ſalutem attuliſſe. Et eo iure ſibi vtendum eſſe Plinius exiſtimauit, quanquam ſuo iam tempore non parum imminutum ſciret.

Libell' ſine auctore. Traiani ſtatua Chriſtianis propoſita. PROPOSITVS *eſt libellus ſine auctore*) Rectè Traianus cenſet eorum libellorum nullam eſſe habendam rationem. Quod autẽ adiicit de ſtatua Traiani propoſita Chriſtianis, vt pro numine coleretur, adulatorium id, vel ex recepto more paganorum, qui principes viros non ſecus ac Deos cul-

ni omni religioso prosequerentur.

MALEDICERENT *Christo*) Argumentum hoc nefandæ impietatis, quam cũ vesana idolomania coniungit. Narratur de certamine Polycarpi celebre id, Proconsulem Asiæ viro sancto imperasse, his verbis, λοιδόρησον τὸν Χριστὸν, Conuiciare Christo: tum respondisse, Octoginta sex annis illũ colo, neque me vnquam in re vlla læsit; quî fieri posset itaque, vt huic Regi meo & Seruatori maledicam? Certè sequitur ex Plinij verbis ipsis, nõ cogi ad id posse qui sunt reuera Christiani. Nec enim dubium alicui esse poterat, nihil à religione Christiana magis alienum esse quàm idolorum cultũ, cum eiusmodi coniunctum blasphemia: sola ergo ille inficiatione contentus esse debebat. At id rectissimè, quòd interea vel vltro fateatur reuera Christianos nõ fuisse cultores idolorum, neque blasphemos: ex iis tamen lapsos fuisse multos, de quibus quid veteres senserint, ex aliis liquere potest. Christo maledicere. Plinij testimonium de Christianis.

NON *nemo ante viginti annos*) Iuris ciuilis instituto, præscriptio annorum viginti crimen præscribit, l. 12. C. ad l. Corn de fals. ad quam, nisi fallor, hîc videtur Plinius respexisse. Præscriptio viginti annorum.

AFFIRMABANT *hanc fuisse summam*) Vides hîc quàm apertè, simpliciterque noster iuridicus eximit à cœtu Christianorũ perfidos & indignos hoc nomine: & qualis Christiana professio fuerit, certè alienissimã ab omni flagitij labe fateri cogitur. Multa alij quidam, sed vel falsarij, vel nimiùm Professio Christiana.

ſtultè fatui, multa probra de Chriſtianis miſerè & impudenter confixerant, vt cœtũ eum omnem, quem videbant in dies augeſcere, odioſiorem apud plebeculam redderent.

Stati dies ad cultũ diuinũ. STATO *die*] Habebant Chriſtiani ſtatos dies quibus cõuenirent ad religionis obeũda munia, ſed imprimis diem Solis, vt loquitur Iuſtinus, nos diem Dominicam nũcupamus: primam Sabbatorum ſacræ litteræ vocant. Meminit dominicorum ſolemnium Tert.lib.de fuga.

Cœtus antelucani Chriſtianorum. ANTE *lucem conuenire*) Libro de corona militis Tertullianus ſcribit, antelucanos cœtus Chriſtianorũ fuiſſe à Plinio cõpertos. Idem 2.ad vxorem libro, meminit eorum nocturnæ conuocationis; ſignificátq; eodem libro de fuga, ſi interdiu non potuiſſent, noctu collectos illos fuiſſe. Arnobius teſtis eſt aduerſarios obieciſſe Chriſtianis nocturnos cœtus, & occulta nocturnáque ſacra, & in eos exclamaſſe illud, *Latebroſa, & lucifugax natio.* Ea fuit inſanorum hominum calumnia: neque enim noctẽ, nec tenebras Chriſtiani appetebant, neque lucem fugiebãt: ſed cùm iis eſſet interdictum publicis locis, & ipſa propè luce Solis, vt igni & aqua, noctu conueniebant, vt ſic fidei lumen accenderent. Cùm enim licuit, in publica luce, pietatem palàm faſſi ſunt. Si, inquit Tertullian. interdiu colligere non potes, habes noctem luce CHRISTI luminoſam.

Nocturni cœt⁹ Chriſtianorũ.

Carmen Chriſto dicere. CARMEN CHRISTO *quaſi Deo dicere*) Ad canẽdum CHRISTO & Deo, ait Ter-

tullianus. Eusebius verò, τὸν Χριστὸν Θεὸν δίκην ὑμνεῖν. Scimus à multis erronibus oppugnatam fuisse CHRISTI Seruatoris diuinitatem, sed Ecclesia in eius defensione, confessionéque piè & constanter perstitit: Plinius autem hîc carmen ait, more Romano. At Iustinianus tradit cōceptas fuisse publicas Christianorum preces ministro præeunte, vniuersúmque populum respondisse, Amen. Hîc nullius cantus meminit. Verùm & carmen etiā dicitur Latinè, Precatio concepta sub certa verborum formula. Tertullianus Apologetico; vbi de Christianorum conuiuio: Post aquam manualem, & lumina, inquit, vt quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere. Et ad vxorē, Christianos sese mutuò prouocasse quis melius Deo suo caneret: non in Ecclesia solùm, aut cœtu, sed & in priuatis ædibus Psalmos ait concinuisse. Clemēs 7. Stromat. moris fuisse ait, vt cùm cibum sumerent, Psalmi, hymníque personarent.

Preces Christianæ.

SEQVE *sacramento non in scelus aliquod obstringere*] Hoc, iurisiurandi religione Tertullianus videtur appellare confœderationem disciplinę: hîc tamen pro simplici religionis formula & cōfessione: & id sanè permagnum Christianæ integritatis argumētum, testimoniúmque ab homine minimè suspecto Plinio spontè dictum: ex quo cōstat Christianos suam fidem virtuti omni obstrinxisse, ab omni flagitio & scelere abhorruisse, & inter ipsos nemini nisi bono,

Christianū sacramentum.

pióque esse licuisse: omnino secus ac olim apud Milesios, apud quos probitas omnis in contemptum rapiebatur, vt nemini esse frugi permitteretur. Scilicet id Christianũ fœdus erat, de quo Tertullianus, Depositũ ait, non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos piè tractamus: nulli malum pro malo reddimus.

Christianorum ἀγαπαί.

Coevndi *ad capiendum cibum, promiscuũ tamen & innoxium*) Videtur innuere Christianorum conuiuia, quas dictitabant ἀγαπάς: coïtionem & cœnam Tertullianus vocat: quo loci etiam testatur inopum refocillandorum gratia comparatum id conuiuiũ: Inopes, inquit, refrigerio isto iuuamus. Nec temerè noster addit, innoxium fuisse cibũ Christianorum: quod & castum sobriumq; fuisse Tertullianus attestatur; Amplexamur iterum iterúmque purum id putúmq; Plinij de Christianis testimonium, quod vtile admodum fuit ad patefaciendam piorum hominum innocentiam, & refellendas insanorum longè multorum dicacitates.

Innoxius cib⁹ Christianorũ.

Etæriæ.

Secvndvm *mandatum tuum hæterias esse vetueram*] In l. vlt. de colleg. Sodales, inquit Caius, qui eiusdem collegij sunt, quã Græci vocãt ἑταιρίαν. Ab eiusmodi collegiis alienum animum gerebat Traianus. Eum enim cùm Plinius aliàs consuleret de instituendo Nicomediæ fabrorũ collegio, rescripsit sibi non placere. Hoc exẽplo conuentus pios deturbabat Plinius: tamen non esse prohibitum religionis causa coire, Martianus ait, sed id tantùm licitis collegiis permitti. Ex

lege duodecim tabularum, cœtus in vrbe nocturni vetabantur, iisdem permittebātur honestæ ἑταιρίαι: ita cœtus pij collegiis illicitis annumerabātur; quódque olim Senatus cēsuerat de Bacchanalibus, cùm de collegiis, sodalitiísq; abolendis edixerat, etiā torquebatur in Christianorum synaxes. Nocturni cœtus prohibiti qualiter.

NIHIL *aliud inueni quàm superstitionē prauam & immodicam*) Praué & iniquè à Plinio, qui sectam innoxiam, & doctrinā cœlestē, quam non norat, ita audacter damnat. Ita Cornelius Tacitus Christianorū exitiabilem superstitionem dixit; Suetonius superstitionem nouam & maleficam; & Lucian. θαυμαστὴν σοφίαν, καὶ θιασὼν τελετὴν: & alij, quos nominare non habeo necesse, varia torsere, & sanè impura cōuitia. Sed cur prauam Plinius ait, in qua nihil mali deprehēderat? vel cur immodicam superstitionem, quam si penitus agnouisset, alienissimam à superstitione percepisset? Damnata religio prauè.

PROPTER *periclitantium numerum*] Tertullianus Apologet. ait Plinium hac multitudine perturbatum consuluisse Traianum. Iuris sapientes aiunt grassantibus delictis, exacerbanda esse supplicia, quoties multis peccantibus exemplo est opus. Sed quid facies, inquit Tertullianus, de tot hominum millibus, tot viris ac fœminis omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis offerentibus se tibi? quantis ignibus, quot gladiis opus erit? Numer' Christianorum lōgè magnus.

AD EPISTOLAM 98.

TRaianvs probat Plinij acta in Christianorũ causa, vetátque in eos inquiri, sed oblatos puniri vult: immò & libellis sine auctore non esse præstandam fidem.

Conqvirendi *non sunt, si deferantur, & arguantur, puniendi*) Sic in Apologet. Tertull. ait Traianum ad Plinium rescripsisse, inquirendos non esse, oblatos verò puniri debere. Moris id Romani fuit, vt nemo sine accusatore damnaretur. At cùm ordo vetus immutari cœpit, non semper est expectatus accusator legitimus. Ceterùm hîc Traianus videtur Christianos eximere à maleficorũ hominum numero, quia neque fures, neque sacrilegi, neque latrones essent, aut rerumpubl. perturbatores. Tertullianus id vellicat, quo loci exclamat aduersus hoc rescriptum: O sententiam necessitate confusam! inquit, negat inquirendos vt innocentes: mandat puniendos vt nocentes. parcit, & sæuit; dissimulat, & animaduertit: quid teipsum censura circumuenis? si damnas, cur non & inquiris? si non inquiris, cur non & absoluis?

Nemo sine accusatore damnatis.

Iudicium Traiani de Christianis

Sine *auctore propositi libelli*] Paul. l. 3. de accusat. quæ formula libelli accusatorij esset, ostendit. Et Vlpia. de offic. Procons. ait, cùm alicui obiicitur crimen, præcedere debere in crimen subscriptionem: id quidem inductum, ne quis adeò facilè prosiliat ad accu-

Libellus accusatorius.

cuſationem cùm ſciat inultam ſibi accuſationem non futuram.

AD EPISTOLAM 99.

De aqua contegenda Amaſtrianorũ Cęſarem conſulit.

AMASTRIANORVM *ciuitas*) Amaſtris ſeu Amaſtrum, oppidum Aſiæ minoris in Bithynia ad Euxinum, quod olim Seſamũ. Steph. Plin. Amaſtros

PLATEAM *longiſſimam*) Hoc eſt aream, nam Græcum verbum πλατειᾶς pro πλατείας: πλάτος enim, latitudo eſt: eſt ergo locus vacuus & ſine ædificiis, quales areę publicæ, & fora ciuitatum. Platea.

AD EPISTOLAM 100.

Concedit Amaſtrianis cloacam cõtegi pariete fornicato.

AD EPISTOLAM 101.

De votis pro ſalute Principis nuncupatis.

VOTA *domine perſoluimus*] Scio id ab aliis ſanè multis obſeruatum, ſed tamen vt leuẽ quærendi, euoluendíque tædio ſtudioſos, hæc paucula: Tert. Apolog. Nos pro ſalute Imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, & Deum viuum, quem & ipſi Vota pro ſalute principis.

Imperatores proprium ſibi præter cæteros malunt: Imperatoribus precamur vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum. Et hæc ille, quibus colligere eſt Chriſtianos id etiam habuiſſe ſolemne, vt in ſuis Eccleſiis, vota pro principibus facerēt. Tacit. Annal. Principio anni Senatores pro Imperatore ſolemne iuſiurandum ſumere, & nuncupationes votorū facere ait. Caius id etiam apertè tit. de verb. ſignif. Poſt. Kal. Ianuar. die tertia pro ſalute principis vota ſuſcipiuntur.

AD EPISTOLAM 102.

RESPONDET Imp. epiſtolæ ſuperiori, de votis pro ſe nuncupatis.

AD EPISTOLAM 103.

DE die quoad imperium eſt euectus Traianus, celebrato.

TVTELA *generis humani fœliciſſima ſucceſſione tranſlata eſt*) Bono enim principi Neruæ, vti iam ſuprà, melior Traianus ſucceſſit, vt ex Dione, & Aurelio Victore intelligere eſt.

AD EPISTOLAM 104.

RESPONSIO ad superiorem.

PRAEEVNTE te) Et id verbum praeeundi, solemne fuit, quo ad vota concipienda vtebantur. Sic enim praeeunte Pontifice Max. vota suscipi & nuncupari solita, norunt omnes. Praeire.

AD EPISTOLAM 105.

TRIBVS libertis ius Quiritium petit à Traiano.

IVS *Latinorum suorum*) Latini liberti quinam essent, tum ex Cicer. pro Domo, & illa pro Caecinna. Dionys. in 4. Suet. Augusto, tum Vlpian. in Institut. & l. 1. Cod. de Latin. lib. tollend. Ius Latij

AD EPISTOLAM 106.

PERMITTIT ius Quiritium iis quos Plinius Traiano nominarat: idem pollicetur in caeteris pro quibus idem petierit.

AD EPISTOLAM 107.

AQVILA Centurio libellum Plinio dederat, quo rogabat filiae suę ius ciuitatis, cum libellum Traiano mittit.

COHORTIS *sextae equestris*) De cohortibus Romanis, multa Lagus comment. Reip. Rom. lib. 6. Cohortes Rom.

AD EPISTOLAM 108.

INDVLGET Aquilæ quod petierat.

AD EPISTOLAM 109.

DE iure ciuitatum Bithyniæ & Ponti in exigendis pecuniis, Traianum consulit.

CONCESSAM *eis protopraxiam*) Ius πρωτοπραξίας, quod Suidæ τὸ πρῶτον ἐπαιτούμενον, prima exactio. Quia tamen id aliquanto videri obscurum quibusdam possit, ita se habuisse colligo. Bithyniæ ciuitates ac Ponticę referebant ad C. Plinium Proconsulem in exigēdis pecuniis; quę sibi vel ex locationibus, vel ex venditionibus, aliisve causis deberentur, competere priuilegium: quo iure se dicerent vsos esse iādiu, nec alios Proconsules id sibi antea denegasse: id ius πρωτοπραξίας appellabant: quo aliis creditoribus omnibus chirographariis anteponerētur. Contrà nitebātur creditores solum principem aut Rempubl. Roman. vti eo priuilegio vt chirographariis, nō etiam hypothecariis pręferrentur: quin alias ciuitates omnes esse priuatorem loco ac iure, ideò à cæteris creditoribus, quibus actiò personalis competat, secerni non oportere. Frustra id beneficium prætendi à Bithynis, quia id nulla ciuitas sibi tribuere possit, nisi ex speciali principis rescripto

Ius proto praxiæ.

QVAE *sunt ab aliis instituta, sint licet sapiẽter indulta, breuia tamen & infirma sunt, nisi illis tua contingat auctoritas*) Sapienter id & consultissimè dictum, leges enim & constitutiones quę nituntur auctoritate principali, mansuræ sunt, ideò putem dictum βασιλεία, quasi βάσιν τοῦ λαοῦ ἔχουσαν, Regem seu principem vt columen ac fundamentũ populi: sic ab Antonino rescriptum, tit. de iure Reip. itémq; à Martiano relatum, libro singulari de delatoribus. Auctoritas principis. βασιλεὺς vnde dictus.

AD EPISTOLAM 110.

SEQVENDAS leges cuiusque ciuitatis monet.

SI *habent priuilegium quo ceteris creditoribus anteponantur*) Tritum Iuris axioma, priorem tempore, potiorem esse iure. Id locum habet nedum inter priuatos, sed etiam inter fiscum & priuatum: adeò vt etiam fisco priuatus præferri debeat, si quidem prior est in pignore: & si pignus speciale sit, seu generaliter in omnibus bonis contractum, tametsi aliud sit aliorum iudicium, ex l. si pignus, D. qui pot. in pign. Prior tẽpore, potior iure.

SI *non habent, in iniuriam priuatorum id dari à me non oportebit*) Priuilegium principis intelligitur concedi semper sine præiudicio alterius, l. 2. §. si quis à principe. D. ne quid in loco publ. Priuilegium à principe quale.

AD EPISTOLAM 34.

ADVOCATVS fisci Amisenorum pecuniam quandam repetebat à Iulio Pisone, ei à Rep. donatam ex Traiani mandatis, quibus esset prohibitum de publico erogationes fieri: contrà Piso excipiebat, eam integram causam Plinius ad Imperatorem remittit.

ECDICVS] In al. Medicus.

Bule & Ecclesia. ET *bule & Ecclesia consentiente*) Ἡ βουλὴ καὶ ἡ ἐκκλησία, Senatus & conuentus populi. De bule & buleutis puto alio dictum loco.

AD EPISTOLAM 112.

RESCRIBIT donationes factas ante aliquod breue tempus, non fieri debere irritas.

Malum bene conditum non mouendum. NON *enim minus hominibus cuiusque loci consultum volo, quàm pecuniæ publicæ*) Cordatè id à cordato principe, qui litium causas præcidi maluit, beneque conditum quod vulgo dici solet, non mouere malum.

AD EPISTOLAM 113.

AN qui decuriones fiunt, debeant aliquid in ingressu conferre, Traianum consulit.

LEX *Pompeia, quæ Bithyni & Pontici vtuntur*] De qua nonnihil epist. 83. suprà.

EOS *qui in bulen à censoribus leguntur*) Hoc est in consilium decurionum cooptantur.

NAM *quod in perpetuum mansurum est; à te*

constitui decet, cuius factis aut dictis debetur aeternitas) Decet principis recti placitum esse mansurum, dum ad communem omnium vtilitatem constitutum sit, sicuti & principis beneficium, Aut constit. quae de Digest. §. generaliter. Placitum Principis mansurum.

AD EPISTOLAM 114.

AD superiorem respondet seruandum esse loci cuiusque receptum morem.

HONORARIVM] Verbum Iuris, quo honesta merces debita magistratui, vel honestis viris, docent prudentes, l.1. Si mensor fals. mod. l.1. de extraord. cogn. l.38. locari l.3. C de postul. l.2. de legibus. Honorarium.

ADVERSVS *eos qui inuiti fiunt decuriones, existimo id acturos, vt erogatio ceteris praeferatur*] Quo grauantur minus in pecuniarum illatione qui sponte Decurionũ munus obeũt. de officio Decurionum, tit. de Decurionibus lib.10. Cod.

AD EPISTOLAM 115.

DE Decurionibus alienarum ciuitatum, & an eiici debeant. Lex Pompeia.

LEGE *Pompeia permissum*] Quae ciuem alienum ascribi albo Senatorum alterius ciuitatis olim vetabat, vt monuimus ad epist. 83. proximè superiorem.

QVIDAM *ex censoribus*] Alij legunt, quidam à censoribus.

Buleutæ. PLVRIMOS *esse buleutas*) Hoc est consultores viros, seu Decuriones. De buleutis iam suprà.

AD EPISTOLAM. 116.

EX Traiani rescripto, iis etiam qui aliarum ciuitatum essent, permittitur esse in Senatu: at vetat in futurum alienum aliquem hoc iure censeri.

OPORTERET) Al. oportet.

Cõsuetudo cõtra legem. NAM *legis auctoritas, & longa consuetudo vsurpata cõtra legem, in diuersum mouere te potuit*) Multa fieri prohibẽtur, quę si facta fuerint, non euelluntur, l. patre furioso 8. D. de his qui sui vel al. iur. sed & longa consuetudo legem interdum vincit, l. de quibus 31. de legibus, c. fin. extr. & longa consuetudine.

NIHIL *nouaremus*) In aliis, nihil moueremus.

Æquitas. CVIVS *vim si retrò velimus custodire, multa necesse est perturbare*) Ita nihil summo iure agendum censet, sed ad æquitatem quæ blanda legum interpres, trahenda longè multa.

AD EPISTOLAM 117.

Bule. METVIT factionem inter Bithynios, quod ad solemnia multi accirentur.

SOLENT *totam bulem*) Id est, totum consilium Decurionum.

Diamone. IN *speciem diamones incidere videantur*] Fa-

ctionis scilicet, vt Catan. explicat. Sic Augustum multas coitiones titulo collegij exortas lege lata sustulisse, notum ex Suetonio. sed perperam idem Cataneus pro diamones, legit diamorias: quanquam quid sit, id expecto doctorum iudicium.

AD EPISTOLAM 118.

TRAIANVS permittit iudicio Plinij quod ad Bithyniæ tranquillitatem conducere putabit.

AD *solemnes sportulas*) Largitiones seu tributiones quæ capitatim conferrentur, vt in l. 5. §. vlt. de donat. int. vir. & vx. l 6. §. 1. de decurionibus: sic & pecuniæ quæ pro honorario iudicum darentur, sportulæ dicebantur, l. 3. §. exequutoribus, de episc. & cleric. l. 12. C de præf. sacr. scrin. l. vlt. C. de prępos. egent. in reb.

AD EPISTOLAM 119.

IMPERATOREM rogat quid sibi faciendum videatur de iis qui vicerant in certaminibus Iselasticis à Traiano institutis præmia postulantibus.

ISELASTICIS) Certamen Iselasticum ad similitudinem ludorum Græciæ celebrium. Sunt autem hîc Iselastica, athletarum præmia; & Iselastica certamina, in quibus qui victores essent, præmia ea consequebantur, vt magna pompa triumphan- Iselastica

tium in morē inueherentur in vrbem suam, quod ex Iustino Martyre adnotauit eruditissimus Turnebus 26 aduers. cap. 5.

ISELASTICORUM *more, itaque eorum vehementer*) Sic alij, Iselastici nomine, ita tamen vt vehementer.

QUO εἰσήλασαν] Al. leg. Iselasam: sunt & qui malint, Iselasiam.

Quod factum transactū. NE *cuius quam retro habeatur ratio*) Patiamur quod factum est quasi transactū: sed in futurum prospiciamus aliúdque constituamus. alioqui multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint non resoluuntur, l. patre furioso 8. D. de his qui sunt sui vel al. iur.

Oraculū principis. ME *regere, hoc est, vt tua beneficia interpretari digneris*) Pendet vt passim ab oraculo principali, vt in re quæ vel dubia, vel quæ in mores trahi publico incommodo possit.

AD EPISTOLAM 120.

RESCRIBIT quomodo Iselastici initium sit, nempe cùm primum quisque in suam ciuitatem inuectus erit: obsonia retrò non deberi.

TAMEN *eorum quæ postea Iselastica lege constitui, quàm cum vincerēt, esse desierunt*) Sic alij, quod eorum quæ postea Iselastica non lege constitui, quàm qui erant accipere desierunt.

AD EPISTOLAM 121.

QVIA diplomate vxorem suam iuuerat necessariam ob causam, se excusat.

NEQVE *diplomata commodaui*) Abstinentia in gerendo magistratu: quam & locis aliis probari cupit optimo principi.

QVAEDAM *necessitas rupit*] Legem necessitas non habet, l. 1. de off. consul. c. quanto, 4. Ext. de consuetudine. Legẽ necessitas nõ habet.

QVEM *si consuluissem, serò fecissem*) Rei æquitate factum suum principi adprobari percupit. In quo quia necesse esset alioqui mandatum antecedere, ne quid confidentiæ nimiæ det, ratihabitionem petit.

AD EPISTOLAM 122.

PROBAT adcommodatum diploma vxori Calphurniæ.

ADIVVANDVM *esset*) Sic alij, adiuuandum putarem serum futurum.

CAII PLINII CÆCILII SECVNDI NOVOCOMENSIS PANEGYRICVS, Neruæ Traiano Augusto dictus.

BENE ac sapienter, Patres C. maiores instituerunt, vt rerum agendarum, ita dicēdi initium à precationibus capere, quòd nihil ritè, nihílque prouidenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. Qui mos cui potiùs quàm consuli? aut quando magis vsurpandus colendúsque est, quàm quum imperio senatus, autoritate reipublicæ ad agendas optimo principi gratias excitamur? Quid enim præstabilius est aut pulchrius munus deorum, quàm castus & sanctus, & diis simillimus princeps? Ac si adhuc dubium fuisset, fortè casúque rectores terris an aliquo numine darentur, principem tamen nostrum liqueret diuinitus constitutum. Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Ioue ipso coràm ac palàm repertus, electus est. quippe inter aras & altaria, eodémque loci, quem deus ille tam manifestus ac præsens quàm cœlum ac sidera insedit. Quo magis aptum piúmque est, te, Iupiter optime maxime, antea conditorem, nunc conseruatorem imperij nostri precari, vt mihi digna consule, digna senatu, digna principe contingat oratio: vtque omnibus

quæ dicentur à me, libertas, fides, veritas constet: tantúmque à specie adulationis absit gratiarum actio mea, quantum abest à necessitate. Equidem non consuli modò, sed omnibus ciuibus enitendem reor nequid de principe nostro ita dicant, vt idem illud de alio dici potuisse videatur. Quare abeant ac recedant voces illæ quas metus exprimebat: nihil quale antea dicamus; nihil enim quale antea patimur: nec eadem de principe palàm quæ priùs, prædicemus; neque enim eadem secretò loquimur quæ priùs. Discernatur orationibus nostris diuersitas temporum, & ex ipso genere gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando sint hactenus vt deo, nunc nusquam, vt numini blandiamur. Non enim de tyranno, sed de ciue: non de domino, sed de parente loquitur. Vnum ille se ex nobis, & hoc magis excellit atque eminet, quòd vnum ex nobis putat: nec minus hominem se, quàm hominibus præesse meminit. Intelligamus ergo bona nostra, dignósque nos illius vsu probemus, atque identidem cogitemus, summum principibus præstemus obsequium, qui seruitute ciuium, quàm qui libertate lætantur. Et populus quidem Romanus dilectum principem seruat: quantóque paulo antè concentu formosum alium, hunc fortissimum personat: quibúsque aliquando clamoribus gestum, alterius & vocem, huius pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat. Quin nos ipsi diuinitatem principis nostri, an humanitatem, temperantiam, facilitatem, vt amor & gaudium tulit celebrare vniuersi solemus? Iam quid tam ciuile, tam senatorium, quàm illud additum à nobis Optimi cognomen? quod peculiare huius & proprium arrogantia priorum principum fecit. Enimuero quàm commune, quàm ex æquo, quòd

felices nos, felicem illum prædicamus? alternísque votis hæc faciat, hæc audiat, quasi non dicturi nisi fecerit, comprecamur? Ad quas ille voces lacrymis etiam ac multo pudore suffunditur. Agnoscit enim, sentítque sibi non principi dici. Igitur quod temperamentum omnes in illo subito pietatis calore seruauimus, hoc singuli quoque meditati teneamus: sciamúsque nullum esse nec sincerius, nec acceptius genus gratiarum, quàm quòd illas acclamationes æmulemur, quæ fingendi non habent tempus. Quantum ad me pertinet, laborabo vt orationem meam ad modestiam principis moderationémque submittam: nec minus considerabo quid aures eius pati possint, quàm quid virtutibus debeatur. Magna & inusitata principis gloria, cui gratias acturus non tam vereor ne me in laudibus suis parcum quàm ne nimium putet. Hæc me cura, hæc difficultas sola circumstat. nam merenti gratias agere facile est, patres conscripti. non enim periculum est ne quum loquar de humanitate, exprobrari sibi superbiam credat: quum de frugalitate, luxuriam: quum de clementia, crudelitatem: quum de liberalitate, auaritiam: quum de benignitate, liuorem: quum de continentia, libidinem: quum de labore, inertiam: quum de fortitudine, timorem. Ac ne illud quidem vereor, ne gratus ingratúsve videar, prout satis aut parum dixero. Animaduerto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus quàm innocentia & sanctitate lætari: gratiorémque existimari qui delubris eorum puram castámque mentem, quàm, qui meditatum carmen intulerit. Sed parendum est senatusconsulto, quòd ex vtilitate publica placuit vt consulis voce sub titulo gratiarum agendarum: boni principis quæ

facerent, recognoscerent: mali, quæ facere deberent. Id nunc cò magis solemne ac necessarium est, quòd parens noster priuatas gratiarum actiones cohibet & comprimit: intercessurus etiam publicis, si permitteret sibi vetare quod senatus iuberet. Vtrunque, Cæsar Auguste, moderatè, & quòd alibi tibi gratias agi non sinis, & quòd hîc sinis: non enim à teipso tibi honor iste, sed ab agentibus habetur. Cedis affectibus nostris, nec nobis munera tua prædicare, sed audire tibi necesse est. Sæpe ego mecum, P. C. tacitus agitaui qualem quantúmque esse oporteret, cuius ditione metúque maria, terræ, pax, bella gerantur: quum interea fingenti formantíque mihi principem, quem æquata dis immortalibus potestas deceret, nunquam voto saltem concipere succurrit similem huic quem videmus. Enituit aliquis in bello, sed obsoleuit in pace: alium toga, sed non & arma honestarunt: reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit: ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit: postremò adhuc nemo extitit cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At principi nostro quanta concordia, quantúsque concentus omnium laudum, omnísque gloriæ contigit, vt nihil seueritati eius hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahatur. Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc, ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere deûm festinatis senectutis insignibus ad augendam maiestatem ornata cæsaries, nónne longè latéque principem ostentant? Talem esse oportuit quem non bella ciuilia, nec armis oppressa respubl. sed pax & adoptatio, & tandem exorata terris numina dedissent.

An fas erat nihil differre inter imperatorem quem homines & quem dij fecissent? quorum quidem in te Cæsar iudicium & fauor tunc statim quum ad exercitum proficiscereris, & quidem inusitato enituit. Nam cæteros principes aut largus cruor hostiarum, aut sinister volatus auium consulentibus nunciauit: tibi ascendenti de more Capitolium, quanquam non id agentium ciuium clamor, vt iam principi occurrit. Siquidem omnis turba quæ limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, iam quidem vt tunc arbitrabatur, deum certum, vt docuit euentus, te consalutauit imperatorem, nec aliter à cunctis omen acceptum est. Nam ipse intelligere nolebas: recusabas enim imperare, recusabas quod bene erat imperaturo; igitur cogendus fuisti. Cogi porro non poteras nisi periculo patriæ & mutatione reipubl. obstinatum enim tibi non suscipere imperium, nisi seruandum fuisset. Quare ego illum ipsum furorem, motúmque castrensem reor extitisse, quia magna vi magnóque terrore modestia tua vincenda erat. At sicut maris cœlique temperiem, turbines, tempestatésque commendant, ita ad augendam pacis tuæ gratiam, illum tumultum præcessisse crediderim. Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda noscatur. Occultat vtrorumque semina deus, & plerumque bonorum malorúmque causæ sub diuersa specie latent. Magnum quidem illud seculo dedecus, magnum reipub. vulnus impressum est. Imperator, & parens generis humani obsessus, captus, inclusus: ablata mitissimo seni seruandorum hominum potestas, ereptúmque principi illud in principatu beatissimum, quòd nihil cogitur. si tamen hæc sola erat ratio, quæ te publicæ salutis

gubernaculis admoueret, prope est vt exclamem, tanti fuisse. Corrupta est disciplina castrorum, vt tu corrector emendatórque contingeres: inductum pessimum exemplum, vt optimum opponeretur: postremò coactus princeps quos nollet occidere, vt daret principem qui cogi non posset. Olim tu quidem adoptari merebare: sed nesciissemus quantum tibi deberet imperium, si antè adoptatus esses. Expectatum est tempus in quo liqueret non tam accepisse te beneficium quàm dedisse. Confugit in sinum tuum concussa respubl. ruénsque imperium super imperatorem imperatoris tibi voce delatum est. Imploratus adoptione, & accitus es. Vt olim duces magni à peregrinis externísque bellis ad opem patriæ ferendam reuocari solebant, ita filius ac parens vno eodémque momento rem maximam inuicem præstitistis. Ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti. Solus ergo adhuc qui pro munere tanto paria accipiendo fecisti, immò vltrò dantem obligasti. Communicato enim imperio solicitior tu, ille securior factus est. O nouum atque inauditum ad principatum iter, non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena vtilitas, alienus timor principem fecit. Videaris licet quod est amplissimum consequutus inter homines: felicius tamen erat illud quod reliquisti, sub bonò principe priuatus esse desiisti. Assumptus es in laborum curarúmque consortium, nec te læta & prospera stationis istius, sed aspera & dura ad capessendam eam compulerunt: suscepisti imperium postquam alium suscepti pœnitebat. Nulla adoptati cum eo qui adoptabat cognatio, nulla necessitudo, nisi quòd vterque optimus erat, dignúsque alter eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es, non vt priùs alius atque alius in gratiam vxoris: asciuit enim te filium non vitricus, sed princeps, eodémque animo

diuus Nerua pater tuus factus est, quo erat omnium. Nec decet aliter filium assumi, si assumatur à principe. An senatus populique Romani exercitus, prouincias, socios transmissurus vni, successorem ex sinu vxoris accipias? summæque potestatis hæredem tantùm intra domum tuam quæras? non per totam ciuitatem circumferas oculos, & hunc tibi proximum, hunc coniunctißimum existimes, quem optimum, quem diis simillimum inueneris? Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus. non enim seruulis tuis dominum; vt poßis esse contentus quasi necessario hærede, sed principem ciuibus daturus imperator. Superbum istud & regium, nisi adoptes eũ quem constet imperaturum fuisse, etiamsi non adoptasses. Fecit hoc Nerua, nihil interesse arbitratus, genueris an elegeris: si perinde sine iudicio adoptentur liberi ac nascuntur, nisi tamen quòd æquiore animo ferunt homines, quem princeps parum feliciter genuit, quàm quem malè elegit. Sedulò ergo vitauit hunc casum, nec iudicium hominum, sed deorum etiam in cõsilium assumpsit. Itaque non tuæ in cubiculo, sed in templo, nec ante genialem torum, sed ante puluinar Iouis optimi maximi adoptio peracta est, qua tandem non seruitus nostra, sed libertas & salus & securitas fundabatur. Sibi enim dij gloriam illam vendicauerunt: horum opus, horum illud imperium, Nerua tamẽ minister fuit: vterque qui adoptaret tam paruit quàm tu qui adoptabaris. Allata erat ex Pannonia laurea, id agentibus diis, vt inuicti imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret: hanc imperator Nerua in gremio Iouis collocarat, quum repentè solito maior & augustior aduocata hominum concione deorúmque, te filium sibi, hoc est vnicum auxilium feßis rebus assumpsit. Inde quasi deposito imperio, qua secu-

ritate, qua gloria lætus? nam quantulum refert deponas an partiaris imperium, nisi quòd difficilius, hoc est, non secus ac præsenti tibi innixus, tuis humeris se patriámque sustentans, tua iuuenta, tuo robore inualuit: statim consedit omnis tumultus. Nõ adoptionis opus istud fuit, sed adoptati: atque adeo temerè fecerat Nerua, si adoptasset aliũ. Oblitíne sumus vt nuper post adoptionem non desierit seditio, sed cœperit? irritamentum istud irarum, & fax tumultus fuisset, nisi incidisset in te. An dubium est, vt dare non posset imperium imperator qui reuerentiam amiserat? autoritate eius effectum est cui dabatur. Simul filius, simul Cæsar, mox imperator, & consors tribunitiæ potestatis, & omnia pariter, & statim factus es, qui proximè parens verus tantùm in alterum filium contulit. Magnum hoc tuæ moderationis iudicium, quòd non solùm successor imperij, sed particeps etiam sociúsque placuisti. Nã successor, etiamsi nolis, habendus es: non es habendus socius, nisi velis. Credéntne posteri, patritio, & consulari, & triumphali patre genitum, quum fortissimum, amplissimum, amantissimum sui exercitum regeret, imperatorem non ab exercitu factum? eidem quum Germaniæ præsideret, Germanici nomen hin[illegible]issum? nihil ipsum, vt imperator fieret, agitasse? nihil fecisse, nisi quod meruit & paruit? Paruisti enim Cæsar, & ad principatum obsequio peruenisti: nihílque magis à te subiecti animi factum est, quàm quòd imperare cœpisti. Iam Cæsar, iam imperator, iam Germanicus, absens & ignarus, & post tanta nomina quantum ad te pertinet, priuatus. Magnum videretur, si dicerem, Nescisti te imperatorem futurum: eras imperator, & esse te nesciebas. Vt verò ad te fortunæ

tuæ nuntius venit, malebas quidem hoc esse quod fueras, sed non erat liberum. Annon obsequereris principi ciuis? legatus imperatori? filius patri? vbi deinde disciplina? vbi mos à maioribus traditus, quodcunque imperator munus iniungeret, æquo animo paratóque subeundi? Quid enim si prouincias ex prouinciis, ex libellis bella mandaret? eodem illo vti iure posse putes, quum ad imperium reuocet, quo sit vsus quum ad exercitum miserit? nihílque interesse ire legatum, an redire principem iubeat, nisi quòd maior sit obsequij gloria in eo quod quis minus velit? Augebat autoritatem iubentis, in summum discrimẽ autoritas eius adducta: vtque magis parendum imperanti putares, efficiebatur eo quòd ab aliis minùs parebatur. ad hoc audiebas senatus populíque consensum. Non vnius Neruæ iudicium illud, illa electio fuit: nam qui vbique sunt homines, hoc idem votis expetebant, ille tantùm iure principis occupauit, primúsque fecit quod omnes facturi erant: nec hercule tantopere cunctis factum placeret, nisi placuisset antequam fieret. At quo temperamento, dij boni, potestatem tuam fortunámque moderatus es? Imperator titulis, & imaginibus, & signis: cæterùm modestia, labore, vigilantia, dux & legatus, & miles: quum iam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu anteires, neque aliud tibi ex illa adoptatione, quàm filij pietatem, filij obsequiũ assereres, longámque huic nomini ætatem, longam gloriam precarere: iam te prouidentia deorum primum in locum prouexerat, tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere optabas: priuatus tibi videbaris quandiu imperator & alius esset. Audita sunt vota tua, sed in quantum optimo illi & sanctissimo seni vtile fuit, quem dij cœlo vendicarunt, ne quid post illud diuinum & immortale

factum, mortale faceret. Deberi quippe maximo operi hanc venerationem, vt nouißimum esset, autorémque eius statim consecrandum, vt quandoque inter posteros quæreretur, an illud iam deus fecisset. Ita ille nullo magis nomine publicus parens, quàm quia tuus. Ingens gloria, ingénsque fama, quum abundè expertus esset quàm bene humeris tuis sederet imperium, tibi terras, te terris reliquit: eo ipso charus omnibus ac desiderandus, quòd prospexerat ne desideraretur. quem tu lacrymis primùm, ita vt filium decuit, mox templis honestasti: non imitatus illos qui hoc idem, sed alio mente fecerunt. Dicauit cœlo Tiberius Augustum, sed vt maiestatis numen induceret: Claudium Nero, sed vt irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum: sed ille, vt dei filius, hic, vt frater videretur: tu sideribus patrem intulisti, non ad metum ciuium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum, sed quia deum credis. Minus est hoc quum sit ab his qui & sese deos putant: sed licet illum aris, puluinaribus, flamine colas, non alio magis tamen deum & facis & probas, quàm quòd ipse talis es. In principe enim qui electo successore fato concessit, vna itémque certißima diuinitatis fides est, bonus successor. Num ergo tibi ex immortalitate patris aliquid arrogantiæ accessit? num hos proximos diuinitate parentum desides ac superbos, potius quàm illos veteres & antiquos æmuleris, qui hoc ipsum imperium peperere; quod modò hostes inuaserant contempserántque? cuius pulsi fugatíq;, non aliud magis habebatur indicium, quàm quòd triumpharetur. Ergo sustulerant animos, & iugum excusserant, nec iam nobiscum de sua libertate, sed de nostra seruitute certabant: ac ne inducias quidem, nisi æquis cõditionibus inibãt: legésque vt acciperent, dabant. At nunc rediit

omnibus terror & metus, & votum imperata faciendi. Vident enim Romanum ducem vnum ex illis veteribus & priscis, quibus imperatorium nomen addebant, contecti cædibus campi, & infecta victoriis maria. Accipimus obsides, ergo non emimus: nec ingentibus damnis immensísque muneribus paciscimur: vt vicerimus, rogant, supplicant: largimur, negamus. vtrumque ex imperij maiestate. Agunt gratias qui impetrauerunt: non audent queri quibus negatum est. An audeant qui sciant te assedisse ferocissimis populis eo ipso tempore quod amicissimum illis, difficillimum nobis, quum Danubius ripas gelu iungit, duratúsque glacie ingentia tergo bella transportat: quum feræ gentes non telis magis quàm suo cœlo, suo sidere armantur? Sed vbi in proximo tu, non secus acsi mutatæ temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur, nostra agmina percursare ripas, & aliena occasione si permitteres vti, vltróque hyemem suam barbaris inferre gaudebant. Hæc tibi apud hostes veneratio. Quid apud milites? quam admirationem quemadmodum comparasti, quum tecum inediam, tecum ferrent sitim? quum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem sudorémque misceres? nihil à cæteris, nisi robore ac præstantia differens, quum libero Marte, nunc cominus tela vibrares, nunc vibrata susciperes, alacer virtute militum, & lætus quoties aut cassidi tuæ, aut clypeo grauior ictus incideret? Laudabas quippe ipse ferientes, hortabaríque vt auderent: & audebant iam, quum spectator moderatórque ineuntium certamina virorum, arma componeres, tela tentares: ac siquid durius accipienti videretur, ipse vibrares. Quid quum solatium fessis, ægris opem

ferres? Non tibi moris tua mire tentoria, nisi commilitonum antè lustrasses: nec requiem corpori, nisi post omnes dare. Hac mihi admiratione dignus imperator non videretur, si inter Fabricios, & Scipiones, & Camillos talis esset. Tunc enim illum imitationis ardor, sempérque melior aliquis accenderet: postquam verò studium armorum à manibus ad oculos, ad voluptatem à labore translatum est, postquam exercitationibus nostris non veteranorum aliquis, cui decus muralis aut ciuica, sed Græculus magister assistit, quàm magnum est vnum ex omnibus patrio more patria virtute lætari, & sine æmulo, ac sine exemplo secum certare, secum contendere: ac sicut imperat solus, solum ita esse qui debeat imperare? Nónne incunabula hæc tibi Cæsar, & rudimenta, quum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augens, noménque Germanici iam tum merere? quum ferociã superbiámque Parthorum ex proximo auditus magno terrore cohiberes? Rhenúmque & Euphratem admirationis tuæ fama coniungeres? quum orbem terrarum non pedibus magis quàm laudibus peragrares? apud eos semper maior & clarior quibus postea contigisses? Et necdum imperator, necdum dei filius eras, Germaniámque cùm plurimæ gentes, at propè infinita vastitas interiacentis soli, tum Pyrenæus, Alpes, immensíque alij montes, nisi his compararentur, muniunt dirimúntque, per hoc omne spatium quum legiones duceres, seu potius (tanta velocitas erat) raperes: non vehiculum vnquam, non equum respexisti. Leuis hic, non subsidium itineris, sed decus, & cum cæteris subsequebatur, vt cuius nullus tibi vsus, nisi quum die statiuorum proximum campum alacritate, discursu, puluere attolleres. Initium laboris

mirer, an finem? multum est quòd perseuerasti, plus tamen quòd non timuisti ne perseuerare non posses. Nec dubito quin ille qui te inter illa Germaniæ bella ab Hispania vsque, vt validissimum præsidium exciuerat, iners ipse, alienisq; virtutibus tūc quoque inuidus imperator, quum ope earum indigeret, tātam admirationem tui, non sine quodam timore conceperit, quantam ille genitus Ioue post sæuos labores, duráque imperia regi suo indomitus semper indefessúsque referebat: quum aliis super alias expeditionibus munere alio dignus inuenireris. Tribunus verò disiunctissimas terras teneris adhuc annis viri firmitate lustrasti: iam tunc præmonente fortuna vt diu penitus perdisceres quæ mox præcipere deberes. Neque enim prospexisse castra, breuémque militiam quasi transisse contentus, ita egisti tribunum, vt esse statim dux posses, nihilq; discēdum haberes tempore docendi. Cognouisti per stipendia decem, mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum, & diuersam aquarum cœliq; temperiem, vt patrios fontes, patriúmque sidus ferre consuesti: quoties equos, quoties emerita arma mutasti. Veniet ergo tempus quo posteri visere, visendum tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnum saxa prætexerint, quod denique tectum magnus hospes impleueris, vt tunc ipsi tibi ingentium ducū sacra vestigia iisdem in locis monstrabantur. Verùm hæc olim, in præsentia quidem quisquis paulo vetustior miles, hic te commilitone censetur. Quotus enim quisque cuius tu non ante commilito quàm imperator? Inde est quòd propè omnes nomine appellas, quòd singulorum fortia facta commemoras, nec habent adnumeranda tibi pro republica vulnera quibus statim laudator & testis contigisti. Sed

magis

magis prædicanda moderatio tua, quòd innutritus bellicis laudibus, pacem amas: nec quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuæ die dicata Capitolino Ioui laurus, idcirco ex occasione omni quæris triumphos. non times bella, nec prouocas. Magnum est, imperator Auguste, magnum est stare in Danubij ripa, si transeas certum triumphi, nec decertare cupere cum recusantibus: quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur. Nam vt ipse nolis pugnare, moderatio: fortitudo tua præstat vt neque hostes tui velint. Accipiet ergo aliquando Capitolium non inanes currus, nec falsæ simulacra victoriæ: sed imperatore veram ac solidam gloriam reportante tranquillitatem, & tamen confessa hostium obsequia, vt vincendus nemo fuerit: pulchrius hoc omnibus triumphis. neque enim vnquam, nisi ex contemptu imperij nostri factum est vt vinceremus. Quòd siquis barbarus rex eò insolentiæ furorísque processerit, vt iram tuam indignationémque mereatur, næ ille siue interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu præcipiti monte defenditur, omnia hæc tam prona, támque cedentia virtutibus tuis sentiet, vt subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatásque sibi non esse classes nostras, sed terras ipsas arbitretur. Videor iam cernere non spoliis prouinciarum, & extorto sociis auro, sed hostilibus armis, captorúmque regum catenis triumphum grauem. Videor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora vocitare. Videor intueri in manibus sequentem, mox ipsum te sublimem instantémque curru domitarum gentium tergo, ante currum autem clypeos quos ipse perfoderis. Nec tibi opima defuerint, siquis regum venire in manus audeat, nec modò telorum tuorum, sed etiam oculorum, minarúmque

coniectum toto campo, totóque exercitu opposito perhorrescat. Meruisti proxima moderatione vt quandocunque te vel inferre, vel propulsare bellum cogerit imperij dignitas, non ideo vicisse videaris vt triumphares, sed triumphare quia viceris. Aliud ex alio mihi occurrit. Quàm speciosum est quod disciplinam castrorum lapsam extinctámque resouisti, depulso prioris sæculi malo, inertia, & contumacia, & dedignatione parendi. Tutum est reuerentiam, tutum charitatem mereri. Nec ducum quisquam, aut non amari à militibus, aut amari timet: & inde offensæ gratiæque pariter securi instant operibus, adsunt exercitationibus, arma, mœnia, viros optant. Quippe non is princeps qui sibi imminere, sibi intendi putet quòd in hostes paretur: quæ persuasio fuit illorum qui hostilia quũ facerent, timebant. Eodem ergo tempore militaria studia, nec animos modò, sed & corpora ipsa languescere, gladios etiam incuria hebetari retundique gaudebant. Duces porrò nostri non tam regum cæterorum quàm suorum principum insidias, nec tam hostium quàm commilitonum manus ferrúmque metuebant. Est hæc natura syderibus, vt parua & exilia validiorum exortus obscuret: similiter imperatoris aduentu legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine vllius diminutione maior: eandem autoritatem præsente te quisque quam absente retinebat. Quin etiam plerisque ex eo reuerentia accesserat, quod tu quoque illos reuerebare. Itaque perinde summis atque infimis charus, sic imperatorem commilitonémque miscueras, vt studium omnium laborémque & tanquam exactor intenderes, & tanquam particeps sociúsque releuares. Felices illos quorum fides & industria non per internuntios & interpre-

tes, sed ab ipso te, nec auribus tuis, sed oculis probantur. Consecuti sunt vt absens quoque de absentibus nemini magis quàm tibi crederes. Iam te ciuium desideria reuocabant, amorémque castrorum superabat charitas patriæ, iter inde placidum ac modestum, vt planè à pace redeuntis. Nec verò ego in laudibus tuis ponam, quòd aduentum tuum non pater quisquam, non maritus expauit. Affectata aliis castitas, tibi ingenita & innata, intérque ea quæ imputare non possis. Nullus in exigendis vehiculis tumultus, nullum circa hospitia fastidium: annona, quæ cæteris. Ad hoc, comitatus accinctus & parens. diceres magnum aliquem ducem, ac te potissimum ad exercitus ire. Adeo nihil, aut certè parum intereat inter imperatorem factum, & breui futurum. Quàm dissimilis nuper alterius principis transitus, si tamen transitus ille, non populatio fuit, quum abactus hospitum exerceret, omniáque dextra læuáque perusta & attrita, vt si vis aliqua, vel ipsi illi barbari quos fugiebant, inciderent. Persuadendum prouinciis erat illud iter, Domitiani fuisse, non principis. Itaque non tam pro tua gloria, quàm pro vtilitate communi edicto subiecisti quid in vtrumque vestrum esset impẽsum. Assuescat imperator, cum imperio calculum ponere: sic exeat, sic redeat, tanquam rationem redditurus, edicat quid absumpserit. Ita fiet vt non absumat quod pudeat dicere: præterea futuri principes, velint, nolint, sciant. Tantum constat: propositísque duobus exemplis meminerint, perinde coniecturam de moribus suis homines esse facturos, prout hoc vel illud elegerint. Nónne his tot tantísque meritis nouos aliquos honores, nouos titulos merebare? at tu etiam nomen patris patriæ recusabas. Quàm lõga nobis cũ modestia tua pugna? quàm tar-

dè vicimus? Nomen illud quod alij primo statim principatus die, vt imperatoris & Cæsaris receperunt, tu vsque eò distulisti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus æstimator, iam te mereri fatereris? Itaque soli omnium contigit tibi vt pater patriæ esses, antequam fieres. Eras enim in animis, in iudiciis nostris: nec publicæ pietatis intererat quid vocarere, nisi quòd ingrata sibi videbatur, si te imperatorem potius vocaret & Cæsarem, quum patrem experiretur. Quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces! vt cum ciuibus tuis, quasi cum liberis parens, viuis! vt reuersus imperator, qui priuatus exieras, agnoscis, agnosceris! eósdem nos, eundem te putas: par omnibus, & hoc tantùm cæteris maior quo melior. Ac primùm qui dies ille quo expectatus desideratúsque vrbem tuam ingressus es? Iam hoc ipsum quòd ingressus es, quàm mirum lætúmque? Nam priores inuehi & importari solebant: non dico quadriiugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat: tu sola corporis proceritate elatior aliis & excelsior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia principum egisti. Ergo non ætas quenquam, non valetudo, non sexus retardauit quominus oculos insolito spectaculo impleret. Te paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes, ægri quoque neglecto medentium imperio ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatémque prorepere. Inde alij se satis vixisse te viso, te recepto: alij nunc magis esse viuendum prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis suæ maxima voluptas subiit, quum cernerent cui principi ciues, cui imperatori milites peperissent. Videres referta tecta ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum qui nonnisi suspensum

& instabile vestigium caperet. Oppletas vndique vias, angustúmque tramitem relictum tibi: alacrem hinc atque inde populum, vbique per gaudiũ parémque clamorem; tam æqualiter ab omnibus ex aduentu tuo lætitia percepta est, quàm omnibus venisti: quæ tamen ipsa cum ingressu tuo creuit, ac propè in singulos gradus adaucta est. Gratum erat cunctis quòd senatum osculo exciperes, vt dimissus osculo fueras: gratum quòd equestris ordinis decora honore hominum sine monitore signares: gratum quòd tantum non vltrò clientibus salutatis quasdam familiaritatis notas adderes; gratius tamen quòd sensim & placidè, & quantum respectantium turba pateretur incederes, quòd occursantium populus te quoque, te, immò maximè, astaret: quòd primo statim die latus tuum crederes omnibus. neque enim stipatus satellitum manu, sed circumfusus vndique senatu, nunc equestris ordinis flore, prout alterutrum frequentiæ genus inualuisset silentes quietósque lictores tuos subsequebare. Nam milites nihil à plebe, habitu, tranquillitate, modestia differebant. Vbi verò cœpisti Capitolium ascendere, quàm læta omnibus adoptionis tuæ recordatio! quàm peculiare gaudium eorum qui te primi eodem loco salutauerũt imperatorem! quinetiam deum ipsum tuum præcipuam voluptatem operis sui percepisse crediderim. Vt quidem iisdem vestigiis institisti, quibus parens tuus ingens illud deorum prolaturus arcanum, quæ circumstantium gaudia! quàm recens clamor! quàm similis illi dies qui hunc genuit diem! vt plena altaribus, angusta victimis cuncta! vt in vnius salutem collata omnium vota! quum sibi ac liberis suis intelligerent precari quæ pro te precarentur. Inde tu in palatium quidem, sed eo vultu, sed ea

moderatione, vt si priuatam domum peteres, cæteri ad penates suos, quisque iteraturus gaudij fidem, vbi nulla necessitas gaudendi est. Onerasset alium eiusmodi introitus: tu quotidie admirabilior & melior: talis denique, quales alij principes futuros se tantum pollicentur. Solum ergo te commendat augétque temporis spatium. Iunxisti enim ac miscuisti res olim diuersissimas, securitatem imperantis, & incipientis pudorem. Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis. Manet imperatori quæ prior humanitas. Incedebas pedibus, incedis: lætabaris labore, lætaris: eadémque omnia illa circa te, nihil ipso te, fortuna mutauit. Liberum est ingrediente per publicum principe subsistere, occurrere, comitari, præterire: ambulas inter nos, non quasi contingat: & copiam tui, non vt imputes, facis. Hæret lateri tuo quisquis accessit: finémque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia, facit. Regimur quidem à te, & subiecti tibi, sed quemadmodum legibus, sumus. Nam & illæ cupiditates nostras libidinésque moderantur, nobiscum tamen & inter nos versantur. Emines, excellis, vt honor, vt potestas, quæ super homines quidem, hominum sunt tamen. Ante te principes, fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu, vsum pedum amiserant. illos ergo humeri ceruicésque seruorum super ora nostra: te fama, te gloria, te ciuium pietas super ipsos principes vehunt: te ad sydera tollit humus, ita communia & confusa principis vestigia. Nec vereor, P. C. ne longior videar, quum sit maximè optandum, vt ea pro quibus aguntur principis gratiæ, multa sint: quæ quidem reuerentius fuerit integra illibatáque cogitationibus vestris reseruari, quàm carptim breuitérque perstringi, quia ferè sequitur vt illa quidem de quibus

taceas, tanta quãta sunt esse videantur. Nisi verò leuiter attingi placet, locupletatas tribus, datúmque congiarium populo, & datum totum, quum donatiui partem milites accepissent. An mediocris animi est his potius repræsentare, quibus magis negari potest? Quanquam in hac quoque diuersitate æqualitatis ratio seruata est. Æquati sunt enim populo milites eo, quòd partem, sed priores: populus militibus, quòd posterior, sed totum statim accepit. Enimuero qua benignitate diuisum est? quantæ curæ tibi fuit nequis expers liberalitatis tuæ fieret? Datum est his qui post edictum tuum in locum erasorum subiiti fuerant.: æquatíque sunt cæteris illi etiam quibus non erat promissum. Negotiis aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus distinebatur: expectatum est promissúmque nequis æger, nequis occupatus, nequis denique longè fuisset: veniret quisque quum vellet: veniret quisque quũ posset. Magnificum, Cæsar, & tuum, disiunctissimas terras munificentiæ, ingenio velut admouere, immensáque spatia liberalitate contrahere: intercedere casibus, occursare fortunæ, atque omni ope adniti nequis è plebe Romana, dante congiarium te, hominem magis sentiret se fuisse quàm ciuem. Aduentante congiarij die, obseruare principis egressum in publicum: insidere examina infantium, futurúsque populus solebat. Labor parentibus erat ostentare paruulos: impositósque ceruicibus adulantia verba blandásque voces edocere. Reddebant illi quæ monebantur, ac plerique irritis precibus surdas principis aures adstrepebant: ignarique quid rogassent, quid non impetrassent, donec planè scirent, differebantur: tu ne rogari quidem sustinuisti. Et quanquam lætissimum oculis tuis esset, conspectu Romanæ sobolis impleri, omnes ta-

men antequam te viderent adiréntve, recipi, indici iußisti, vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur: crescerent de tuo qui crescerent tibi, alimentísque tuis ad stipendia tua peruenirent, tantúmque omnes vni tibi, quantum parentibus suis quisque deberet. Rectè Cæsar, quòd spem Romani nominis sumptibus tuis suscipis. Nullum est enim magno principe, immortalitatémque merituro impendij genus dignius quàm quod erogatur in posteros. Locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia, & pares pœnæ cohortantur: pauperibus educandis vna ratio est bonus princeps. Hic fiducia sui procreatos nisi larga manu fouet, auget, amplectitur, occasum imperij, occasum reipubl. accelerat. Frustrà princeps plebe neglecta, vt defectum corpore caput, nutaturúmque instabili pondere tuetur. Facilè est coniectare quod perceperis gaudium quum te parentum, liberorum, senum, infantium, puerorum clamor exciperet. Hæc prima paruulorum ciuium vox aures tuas imbuit, quibus tu daturus alimenta hoc maximum præstitisti, ne rogarent. Super omnia est tamen quòd talis es vt sub te liberos tollere libeat & expediat. Nemo iam parens filio nisi fragilitas humanæ vices horret, nec inter insanabiles morbos principis ira numeratur. Magnum quidem est educandi incitamentum, tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum: maius tamen, in spem libertatis, in spem securitatis. Atque adeo nihil largiatur princeps, dum nihil auferat: non alat, dum non occidat: nec deerunt qui filios concupiscant. Contrà, largiatur & auferat, alat & occidat, næ ille tam breui tempore effecerit vt omnes nõ posterorum modò, sed sui parentúmque pœniteat. Quocirca nihil magis in tua tota liberalitate lau-

dauerim, quàm quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque à te liberi ciuium, vt ferarum catuli, sanguine & cædibus nutriuntur: quódque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi quod nemini est ereptũ, locupletatísque tam multis pauperiorem esse factum principem tantùm: quanquam nec hunc quidẽ. nam cuius est quicquid est omniũ, tantum ipse quantum omnes habet. Aliò me vocat numerosa gloria tua: aliò autẽ, quasi verò iam satis veneratus miratúsque sim quòd tantam pecuniam profudisti, non vt flagitij tibi conscius ab insectatione eius auerteres famam: nec vt tristes hominum mœstósque sermones lætiore materia detineres, nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemisti, nec tibi benefaciendi fuit causa, vt quæ malè feceras, impunè fecisses, amor impendio isto, non venia quæsita est: populúsque Romanus obligatus à tribunali tuo non exoratus recessit. Obtulisti enim congiarium gaudentibus gaudens, securúsque securis: quódque antea principes ad odium sui leniendum tumentibus plebis animis obiectabant, id tu tam innocens populo dedisti, quàm populus accipit. Paulo minus P. C. quinque millia ingenuorum fuerunt, quæ liberalitas principis nostri conquisiuit, inuenit, asciuit: hi subsidium bellorum, ornamentum pacis, publicis sumptibus aluntur, patriámque non vt patriam tantùm, verùm vt altricem amare condiscunt. Ex his castra, ex his tribus replebuntur, ex his quandoque nascentur quibus alimentis opus non sit. Dent tibi Cæsar ætatem dij quam meteris, seruéntque animum quem dederunt: & quanto maiorem infantium turbam iterum atque iterum videbis incidi (augetur enim quotidie & crescit, non quia chariores parentibus liberi, sed quia principi ciues) dabis con-

giaria si voles, præstabis alimenta si voles, illi tamen propter te nascuntur. Instar ego perpetui congiarij reor affluentiam annonæ. huius aliquando cura Pompeio non minus addidit gloriæ, quàm pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, oriens triumphis occidénsque lustratus. Nec verò ille ciuiliùs quàm parens noster autoritate, consilio, fide reclusit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit, diuersásque gentes ita commercio miscuit, vt quod genitum esset vsquam, id apud omnes natum esse videretur. Nónne cernere datur vt sine vllius iniuria omnis vsibus nostris annus exuberet? quippe non vt ex hostico raptæ perituræque in horreis messes nequicquam quæritantibus sociis auferuntur. Deuehunt ipsi quod terra genuit, quod sydus aluit, quod annus tulit: nec nouis indictionibus pressi ad vetera tributa deficiunt. Emit fiscus quicquid videtur emere: inde copiæ, inde annona, de qua inter licentem vendentémque conueniat: inde hîc satietas, nec fames vsquam. AEgyptus alendis augendísque seminibus ita gloriata est, vt nihil imbribus cœlóque deberet: siquidem proprio semper amne perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quàm quas ipse deuexerat, tantis segetibus induebatur, vt cum feracissimis terris quasi nunquam cessura certaret hæc inopia siccitate vsque ad iniuriam sterilitatis exaruit, quia piger Nilus cunctanter alueo sese ac languidè extulerat: ingentibus quoque tunc quidem ille fluminibus conferendus. Hinc pars magna terrarum mergi palanti amne consueta alto puluere incanduit. frustrà tunc AEgyptus nubila optauit, cœlúmque respexit; quum ipse fœcunditatis parens contractior & exilior iisdem vbertatem eius anni angustiis quibus abundantiam

suam cohibuisset. Neque enim solùm vagus ille expanditor amnis intra vsurpata semper collium substiterat atque hæserat, sed supino etiam ac detinenti solo, placido, se mollique lapsu refugum abstulerat: necdum satis humentes terras addiderat arentibus. Igitur inundatione, id est vbertate, regio fraudata, sic opem Cæsaris inuocauit, vt solet amnem suum: nec longius illi aduersorum fuit spatium quàm dum nuntiat. Tam velox, Cæsar, potentia tua est, támque in omnia pariter intenta bonitas & accincta, vt tristius aliquod seculo tuo passis ad remedium salutémque sufficiat vt scias. Omnibus equidem gentibus fertiles annos gratásque terras precor: crediderim tamẽ per hunc AEgypti statum tuas fortunam vires experiri, tuámque vigilantiam expectare voluisse. Nam quum omnia vbique secunda merearis, nónne manifestum est, siquid aduersi cadat, tuis laudibus tuísque virtutibus materiem campúmque prosterni, quum secunda felices, aduersa magnos probent? Percrebuerat antiquitus, vrbem nostram nisi opibus AEgypti ali sustentaríque non posse: superbiebat ventosa & insolens natio, quòd victorem quidem populum pasceret tamen, quódque in suo flumine, in suis manibus vel abundantia nostra vel fames esset. Refudimus Nilo suas copias: recepit frumenta quæ miserat, deportatásque messes reuexit. Discat igitur Aegyptus, credátque experimento, nôn alimenta se nobis, sed tributa præstare: sciat se non esse P. R. necessarium, & tamen seruiat. Post hæc, si volet Nilus, amet alueum suum & fluminis modum seruet: nihil hoc ad vrbẽ, ac ne ad AEgyptum quidẽ, nisi vt inde nauigia inania & vacua & similia redeũtibus, hinc plena & onusta & qualia solent venire, mittantur, conuersóque munere maris hinc potius venti

ferentes, & breuis cursus optentur. Mirum Cæsar videretur, si desidem AEgyptum, cessantémque Nilum nō sensisset vrbis annona, quæ tuis opibus, tua cura vsque illuc redundauit, vt simul probaretur & nos AEgypto posse, & nobis AEgyptum carere non posse. Actum erat de fœcundissima gente, si libera fuisset: pudebat sterilitatis insolitæ, nec minus erubescebat fame qua torquebatur quū pariter à te necessitatibus eius pudoríque subuentum est. Stupebant agricolæ plena horrea quæ non ipsi referfissent, quibus de campis illa subuecta messis, quáve in AEgypti parte alius amnis. Ita beneficio tuo, nec maligna tellus, & obsequens Nilus AEgypto quidē sæpe, sed gloriæ nostræ nunquam largior fluxit. Quàm nunc iuuat, prouincias omnes in fidem nostram ditionémque venisse, postquam contigit princeps terrarum qui fœcunditatem nunc huc, nunc illuc, vt tempus & necessitas posceret, transferret referrétque: qui diremptam mari gentem, vt partem aliquam populi plebísque Romanæ aleret ac tueretur. Et cælo quidem nunquā benignitatis tanta vt omnes simul terras vberet foueátque. Hic omnibus pariter, si nō sterilitatem, at mala sterilitatis exturbat: hic si non fœcunditatem, at bona fœcunditatis importat: hic æternis commeatibus orientem occidentémque connectit, vt quæ vbique feruntur, quæque expetuntur, omnes gentes inuicem capiant, & discant quanto libertate discordi seruientibus sit vtilius vnum esse cui seruiant. Quippe discretis quidem bonis omnium sua cuiusque ad singulos mala, societatis autem atque permixtis singulorum mala ad neminem, ad omnes omnia bona pertinent. Sed siue terris diuinitas quædam, siue aliquis omnibus genius, & solum illud & flumen ipsum precor vt hac principis beni-

gnitate contentum, molli gremio semina recondat, multiplicata restituat Non equidem reposcimus fœnus, putet tamen esse soluendum, fallacémque vnius anni fidem omnibus annis, omnibúsque postea seculis tanto magis, quia non exigimus, excuset: satis factum qua ciuium, qua sociorum vtilitatibus. Visum est spectaculum inde non eneruе, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret & frangeret, sed quod ad pulchra vulnera contẽptamque mortis accenderet: quum in seruorum etiam noxiorúmque corporibus amor laudis & cupido victoriæ cerneretur. Quam deinde in edendo liberalitatem, quam iustitiam exhibuit omni affectione, aut intactus, aut maior? Impetratum est quod postulabatur: oblatum quod non postulabatur. instituit vltrò, & vt cõcupisceremus admonuit: ac sic quoque plura inopinata, plura subita. Iam quàm libera spectantium studia, quàm securus fauor. Nemini impietas, vt solebat, obiecta, quòd odisset gladiatorem: nemo spectator spectaculum factus, miseras voluptates vnco & ignibus expiauit. Demẽs ille, verique honoris ignarus, qui crimina maiestatis in arena colligebat, ac se despici & contemni, nisi etiam gladiatores eius veneraremur, sibi malè dici, in illis suã diuinitatem, suum numen violari interpretabatur: quum se idem quod deos, idem gladiatores quod se putabat. At tu Cæsar, quàm pulchrum spectaculum pro illo nobis execrabili reddidisti? Vidimus delatorum iudicium, quasi grassatorum, quasi latronum: non solitudinem illi nouiter, sed templum, sed forum insederant. nulla iam testamenta secura, nullus status certus: non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malũ principũ auaritia. Aduertisti oculos, atque vt antè castris, ita postea pacem foro reddidisti: excidisti intestinum

malum : & prouida seueritate cauisti ne fundata legibus ciuitas euersa legibus videretur. Licet ergo cùm fortuna, tum liberalitas tua visenda nobis prabuerit, vt prabuit, nunc ingentia robora virorum & pares animos, nunc immanitatem ferarum, nunc mansuetudinem incognitam, nunc secretas illas & arcanas, ac sub te primùm communes opes: nihil tamen gratius, nihil sæculo dignius, quàm quòd contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortásque ceruices agnoscebamus & fruebamur, quum velut piaculares publicæ solicitudinis victimæ supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia grauiorésque pœnas ducerentur. Congesti sunt in nauigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti, abirent, fugerêntque vastatas delationibus terras: ac si quem fluctus ac procellæ scopulis reseruassent, hîc nuda saxa & inhospitale littus incoleret, ageret duram & anxiam vitam, relictáque post tergum totius generis humani securitate mœreret. Memoranda facies, delatorum classis permissa omnibus ventis, coactáque vela tempestatibus pandere, iratósque fluctus sequi quoscunque in scopulos detulissent. Iuuabat prospectare statim à portu sparsa nauigia, & apud illum ipsum mare agere principi gratias, qui clementia sua salua vltionem hominum terrarúmque diis maris commendasset. Quantum diuersitas temporum posset, tum maximè cognitum est, quum iisdem quibus anteà cautibus innocentissimus quisque, tunc nocentissimus affigeretur, quúmque insulas omnes quas modò senatorum, iam delatorum turba compleret, quos quidem non in præsens tantùm, sed in æternum repressisti mille pœnarum indagine inclusos. Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habent? expellere penatibus gestiunt? suis

extu bentur, neque, vt antea, exanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerandā præbeant punctis, & notas suas rideant: sed spectent paria pœnis damna, nec maiores spes quàm metus habeant, timeántque quantū timebantur? Ingenti quidem animo diuus Titus securitati nostræ vltionique prospexerat, ideóque nominibus æquatus est: sed quanto tu quandóque dignior cœlo, qui tot res illi adiecisti, propter quas illū deum fecimus? Id hoc magis arduum fuit, quòd imperator Nerua te filio, te successore dignissimus, per quem magna quædam edicto Titi astruxerat, nihílque reliquisse tibi videbatur, qui tam multa excogitasti, vt si ante te nihil esset inuentum. Quæ singula quantum tibi gratiæ dispensata adiecissent? tu simul omnia perfudisti, vt sol & dies non parte aliqua, sed statim totus, nec vni aut alteri, sed omnibus in commune profertur. Quàm iuuat cernere ærarium silens & quietū & quale ante delatores erat! nunc templum illud, nunc verè deus, non spoliarium ciuium, cruentarúmque prædarum sæuum receptaculū, ac toto in orbe terrarū adhuc locus vnus in quo optimo principe boni malis impares essent. Manet tamen honor legum, nihílque ex publica vtilitate conuulsum, nec pœna cuiquam remissa, sed addita est vltio, solúmque mutatum, quòd iam non delatores, sed leges timentur. At fortasse non eadem seueritate fiscum qua ærarium cohibes: immò tanto maiore quanto plus tibi licere de tuo quàm de publico credis. Dicitur actori atque etiam procuratori tuo, In ius veni, sequere ad tribunal: nam tribunal quoque excogitatum cruciatu est par cæteris, nisi illud litigatoris amplitudine metiaris: sors & vrna fisco iudicem assignat: licet reiicere, licet exclamare, Hunc nolo, timidus est, & bona sæculi parum intelligit.

illum nolo, quia Cæsarem fortiter amat. Eodem foro vtuntur principatus & libertas. Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono principe. Ingens hoc meritum, maius illud, quòd eos procuratores habes, vt plerunque ciues tui non alios iudices malint: Liberum est autem disceptanti dicere, Nolo eum eligere: neque enim vllam necessitatem muneribus tuis addis, vt qui scias hanc esse beneficiorum principalium summam, si illis & non vti licet. Onera imperij, pleraque vectigalia institui vt pro vtilitate communi, ita singulorũ iniuriis coegerunt. His vigesima reperta est, tributum tolerabile, & facile hæredibus dũtaxat extraneis, domesticis graue. Itaque illis irrogatum est, his remissum: videlicet quòd manifestum erat quanto cum dolore laturi, seu potiùs nõ laturi homines essent, distringi aliquid & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent, quæque nunquam vt aliena & speranda, sed vt sua sempérque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. Hæc mansuetudo legis veteribus ciuibus seruabatur; noui seu per Latium in ciuitate, seu beneficio principis venissent, nisi simul cognationis iura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus coniunctissimi fuerant. Ita maximum beneficium vertebatur in grauissimam iniuriam, ciuitásque Romana instar erat odij, & discordiæ, & orbitatis, qùum charissima pignora salua ipsorum pietate distraheret. Inueniebantur tamen quibus tantus amor nominis nostri inesset, vt Romanam ciuitatem non vigesimæ modò, verumetiam affinitatum damno bene compensari putarent. sed his maximè debebat gratuita contingere, à quibus tam magno æstimabatur. Igitur pater tuus sanxit

vt quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis peruenisset ad matrem, etiamsi cognationum iura non recepissent quum ciuitatem adipiscerentur, eius vigesimam ne darent. Eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modò reductus esset in patris potestatem: ratus, improbè & insolenter, ac pene impiè his nominibus inseri publicanum: nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines velut intercedente vigesima scindi, nullum esse tanti vectigal, quod liberos ac parentes faceret extraneos. Hactenus ille: parcius fortasse quàm decuit optimum principem, sed nō parcius quàm optimum patrem qui optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentissimi fecit, quòd delibasse quædam, seu potius demonstrasse contentus, largam, ac propè intactam benefaciendi materiam filio reseruauit. Statim ergo muneri eius liberalitas tua adstruxit vt quemadmodum in patris filius, sic in hæreditate filij pater esset immunis, nec eodem momento quo pater esse desisset, hoc quoque amitteret quod fuisset. Egregiè, Cæsar, quòd lacrymas parentum vectigales esse non pateris. Bona filij pater sine diminutione possideat, nec socium hæreditatis accipiat qui non habet luctus: nemo recentem & attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogátque patrem quid reliquerit filius scire. Augeo, P. C. principis munus, quum ostendo liberalitati eius inesse rationem. ambitio enim, & iactantia, & effusio, & quiduis potius quàm liberalitas existimanda est cui ratio non constat. Dignum ergo, imperator, mansuetudine tua, minuere orbitatis iniurias, nec pati quenquam filio amisso insuper affici alio dolore: sic quoque abundè misera res est. pater filio solus hæres: quid si cohæredem non à filio accipiat? Adde quòd quum diuus Nerua sanxisset vt in paternis

illum nolo, quia Cæsarem fortiter amat. Eodem foro vtuntur principatus & libertas. Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono principe. Ingens hoc meritum, maius illud, quòd eos procuratores habes, vt plerunque ciues tui non alios iudices malint: Liberum est autem disceptanti dicere, Nolo eum eligere: neque enim vllam necessitatem muneribus tuis addis, vt qui scias hanc esse beneficiorum principalium summam, si illis & non vti licet. Onera imperij, pleraque vectigalia instituí vt pro vtilitate communi, ita singulorũ iniuriis coegerunt. His vigesima reperta est, tributum tolerabile, & facile hæredibus dũtaxat extraneis, domesticis graue. Itaque illis irrogatum est, his remissum: videlicet quòd manifestum erat quanto cum dolore laturi, seu potiùs nõ laturi homines essent, distringi aliquid & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent, quæque nunquam vt aliena & speranda, sed vt sua sempérque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. Hæc mansuetudo legis veteribus ciuibus seruabatur; noui seu per Latium in ciuitate, seu beneficio principis venissent, nisi simul cognationis iura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus coniunctissimi fuerant. Ita maximum beneficium vertebatur in grauissimam iniuriam, ciuitásque Romana instar erat odij, & discordiæ, & orbitatis, qùum charissima pignora salua ipsorum pietate distraheret. Inueniebantur tamen quibus tantus amor nominis nostri inesset, vt Romanam ciuitatem non vigesimæ modò, verumetiam affinitatum damno bene compensari putarent. sed his maximè debebat gratuita contingere, à quibus tam magno æstimabatur. Igitur pater tuus sanxit

vt quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis peruenisset ad matrem, etiamsi cognationum iura non recepissent quum ciuitatem adipiscerentur, eius vigesimam ne darent. Eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modò reductus esset in patris potestatem: ratus, improbè & insolenter, ac penè impiè his nominibus inseri publicanum: nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines velut intercedente vigesima scindi, nullum esse tanti vectigal, quod liberos ac parentes faceret extraneos. Hactenus ille: parcius fortasse quàm decuit optimum principem, sed nō parcius quàm optimum patrem qui optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentissimi fecit, quòd delibasse quædam, seu potius demonstrasse contentus, largam, ac propè intactam benefaciendi materiam filio reseruauit. Statim ergo muneri eius liberalitas tua adstruxit vt quemadmodum in patris filius, sic in hæreditate filij pater esset immunis, nec eodem momento quo pater esse desisset, hoc quoque amitteret quod fuisset. Egregiè, Cæsar, quòd lacrymas parentum vectigales esse non pateris. Bona filij pater sine diminutione possideat, nec socium hæreditatis accipiat qui non habet luctus: nemo recentem & attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogátque patrem quid reliquerit filius scire. Augeo, P. C. principis munus, quum ostendo liberalitati eius inesse rationem. ambitio enim, & iactantia, & effusio, & quiduis potius quàm liberalitas existimanda est cui ratio non constat. Dignum ergo, imperator, mansuetudine tua, minuere orbitatis iniurias, nec pati quenquam filio amisso insuper affici alio dolore: sic quoque abundè misera res est. pater filio solus hæres: quid si cohæredem non à filio accipiat? Adde quòd quum diuus Nerua sanxisset vt in paternis

bonis liberi necessitate vigesimæ soluerentur, congruens erat eandem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere. Cur enim posteris amplior honor quàm maioribus haberetur? cúrue non retrò quoque recurreret æquitas eadē? Tu quidem Cæsar, illam exceptionem remouisti, si modò filius in potestate patris fuisset, intuitus (opinor) vim legémque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos iussit, nec vti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedit. Nec verò contentus primum cognitionis gradum abstulisse vigesimæ, secundum quoque exemit, cauítque vt in sororis bonis frater, & contrà, in fratris soror, vtque auus auia in neptis nepotísque, & inuicem illi seruarentur immunes. His quoque quibus per Latium ciuitas Romana patuisset, idem indulsit, omnibúsque inter se cognationum iura commisit simul & pariter, & amore naturæ, quæ priores principes à singulis rogari gestiebant, non tam præstandi animo quàm negandi. Ex quo intelligi potest quantæ benignitatis, quanti spiritus fuerit, sparsas atque (vt ita dicam) laceras gentilitates colligere atque connectere & quasi renasci iubere: deferre quod negabatur, atque id præstare cunctis quod sæpe singuli non impetrassent: postremò, ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi imputandique materiam: indignum credo ei visum ab homine peti quod dij dedissent. Sorores estis, & frater, auus, & nepotes: quid est ergo cur egetis, vt sitis? vobis estis. Qui pro cætera sua moderatione non minùs inuidiosum putat dare hereditatem quàm auferre. Læti ergo adite honores, capessite ciuitatem, neminem hoc necessitudinis abruptum velut truncum amputatúmque destituet: iisdem omnes quibus antè pignoribus, sed

honestiores perfruetur: ac ne remotus quidem, iámque deficientis affinitatis gradus à qualibet quantitate vigesimam inferre cogetur. statuit enim communis omnium parens summam quæ publicanum pati posßit. Carebit onere vigesimæ parua & exilis hæreditas: & si ita gratus hæres volet, tota sepulcro, tota funeri seruetur: nemo obseruator, nemo castigator aßistet. Cuiuscunque modi ea pecunia ex hæreditate alicuius obuenerit, securus habeat, quietúsque posßideat. Ea lex vigesimæ dicta est, vt ad periculum eius peruenire, nisi opibus, non posßit. Cõuersa est iniquitas in gratulationem, iniuria in votum: optat hæres vt vigesimam debeat. additum est vt qui eiusmodi ex causis in idem edicti vigesimam deberent, nondum tamen intulissent, non inferrent. At in præteritum subuenire ne dij quidem possunt: tu tamen subuenisti, cauistíque vt desineret quisque debere quod non esset postea debiturus. Idem fecisti ne malos principes habuissemus, quo ingenio si natura pateretur, quàm libenter tot spoliatis, tot trucidatis sanguinem & bona refudisses? Vetuisti exigi quod deberi non tuo sæculo cœperat. Alius vt contumacibus irasceretur, tarditatémque soluendi dupli vel & quadrupli irrogatione mulctaret: tu nihil referre iniquitatis existimas, exigas quod deberi non oportuerit, an constituas vt debeatur. Feres Cæsar curam & solicitudinem consularem. nam mihi cogitanti, eundem te collationes remisisse, donatiuum reddidisse, cõgiarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia temperasse: interrogandus videris, satísne computaueris imperij redditus, an tantas vires habeat frugalitas principis, vt tot impendiis, tot erogationibus sola sufficiat. Nam quid est causæ cur alijs quidem, quum omnia raperent, & rapta retinerent, vt si nihil rapuissent,

defuerint omnia: tibi, quum tam multa largiaris & nihil auferas, omnia supersint? Nunquam principibus defuerunt qui fronte graui & tristi supercilio vtilitatibus fisci contumaciter adessent, & erãt principes ipsi sua sponte auidi & rapaces, & qui magistris non egerent: plura tamen semper à nobis contra nos didicerunt, sed ad tuas aures cùm cæteris omnibus, tum vel maximè auaris adulationibus obstructus est aditus. Silent ergo & quiescunt, & postquam non est cui suadeatur, qui suadeant non sunt. Quo euenit vt tibi cùm plurimum pro tuis, tum pro nostris moribus debeamus. Locupletabant & fiscum & ærarium non tam Voconiæ & Iuliæ leges, quàm maiestatis singulare & vnicum crimen eorum qui crimine vacarent: huius tu metũ penitus sustulisti, contentus magnitudine, qua nulli magis caruerunt quàm qui sibi maiestatem vindicabant. Reddita est amicis fides, liberis pietas, obsequium seruis: verentur, & parent, & dominos habent. Non enim iam serui principis nostri amici, sed nos sumus: nec pater patriæ alienis se mancipijs chariorem quàm ciuibus suis credit. Omnes accusatore domestico liberasti, vnóque salutis publicæ signo illud (vt sic dixerim) seruile bellum sustulisti, in quo non minus serui quàm domini præstitisti. hos enim securos, illos bonos fecisti. Non vis interea laudari, nec fortasse laudanda sint: grata sunt tamen recordantibus principem illum in capita dominorum seruos subornantem, monstrantémque crimina, quæ tanquam delata puniret: magnum & ineuitabile, ac toties cuique experiendum malum, quoties quisque similes principi seruos haberet. In eodem genere ponendum est quòd testamenta nostra secura sunt: nec vnus omniũ, nunc quia scriptus hæres, non tu falsis, non tu iniquis tabulis aduocaris. nullius ad te ira-

cundia, nullius impietas, nullius furor confugit: nec quia offēdit alius nūcuparis, sed quia ipse meruisti. Scriberis ab amicis, ab ignotis præteriris: nihílq; inter priuatū & principē interest, nisi quod nūc à pluribus amaris: nam & plures amas. Tenes Cæsar hunc cursum, & probatur experimento, sítne feracius & vberius, non ad laudem modò, sed ad pecuniam principi, si herede illo mori homines velint, quàm si cogantur. Donauit pater tuus multa, & ipse donasti: cesserit parum gratus, manent tamen ij qui bonis eius fruantur, nihílque ex illis ad te nisi gloria redit. nam liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit. Sed quis ante te laudem istam pecuniæ prætulit? quotusquisque principum ne id quidem in patrimonijs nostris suum duxit? quod esset de suo? Nónne vt regum, ita Cæsarum munera illitos cibis hamos, opertos præda laqueos æmulabantur, quum priuatis facultatibus velut hausta & multiplicata, retrò secum quicquid attigerant referrent? Quàm vtile est ad vsum secundorum per aduersa venisse? Vixisti nobiscum, periclitatus es, timuisti, quæ tunc erat innocentium vita: scis & expertus es quantopere detestentur malos principes etiam qui malos faciunt. Meministi quæ optare nobiscum, quæ sis queri solitus. Nam priuato iudicio principem geris, meliorem immò te præstas quàm tibi alium precabare. Itaque sic imbuti sumus, vt quibus erat summa votorū melior pessimo princeps, iam non possimus nisi optimum ferre. Nemo est ergo tam tui, tam ignarus sui, vt locū ipsum post te concupiscat. Facilius est vt esse aliquis successor tuus possit, quàm vt velit. Quis enim curæ tuæ molem sponte subeat? quis comparari tibi non reformidet? Expertus & ipse es quàm sit onerosum succedere bono principi, & afferebas excusationē

adoptari. An prona paruaq; sunt ad æmulandum quòd nemo incolumitatẽ turpitudine rependit? Salua est omnibus vita & dignitas vitæ, nec iam cõsideratus ac sapiens qui ætatem in tenebris agit. eadẽ quippe sub principe virtutibus præmia, quæ in libertate: nec benefactis tantùm ex conscientia merces, sed etiam præmia sunt. Amas constantiam ciuium, rectósque ac viuidos animos; non, vt alij, contundis ac deprimis, sed foues & attollis. Prodest bonos esse, quum sit satis abundéque si non nocet: his honores, his sacerdotia, his prouincias offers: hi amicitia tua, hi iudicio florent: acuuntur isti integritatis & industriæ pretio. Similes & dissimiles alliciuntur: nam præmia bonorum malorúmque bonos ac malos faciunt. Pauci adeo ingenio valent vt non turpe honestúmque, prout bene ac secus cessit, expetant fugiántve: cæteri, vbi laboris inertiæ, vigilantiæ somno, frugalitatis luxuriæ merces datur, eadem ista quibus alios artibus assequutos vident, cõsectantur: qualésque sunt illi, tales esse & videri volunt, & dum nolunt fiunt. Et priores quidem principes, excepto patre tuo, præterea vno aut altero, & nimis dixi, vitijs potius ciuium quàm virtutibus lætabantur. primùm quòd in alio sua quemque natura delectat: deinde quos patientiores seruitutis arbitrabantur, quos non deceret esse nisi seruos, horum in sinum omnia congerebant: bonos autem otio aut situ abstrusos, & quasi sepultos, nonnisi delationibus & periculis in lucem ac diem proferebant: tu amicos ex optimis legis, & hercule æquum est esse eos charissimos bono principi, qui inuisi malo fuerint. Scis vt sicut diuersa natura dominatio & principatus, ita non alijs esse principem gratiorem quàm qui maximè dominum grauentur. Hos ergo prouehis, & ostentas quasi specimen &

exemplar, quæ tibi secta victæ, quod hominum genus placeat. ideo non censuram adhuc, non præfecturam morum recepisti, quia tibi beneficiis potiùs quàm remediis ingenia nostra experiri placet. Et alioqui nescio an plus moribus conferat princeps qui bonos esse patitur, quàm qui cogit. Flexibiles quamcunque in partem ducimur à principe: atque (vt ita dicam) sequaces sumus. huic enim chari, huic probati esse cupimus, quod frustrà sperauerunt dißimiles: eóque obsequij continuatione peruenimus, vt propè omnes homines vnius moribus viuamus. Porro non tam sinistrè constitutum est, vt qui malum principem poßumus, bonum non poßimus imitari. Perge modò Cæsar, & vim effectúmque censuræ tuum propositum, tui actus obtinebunt. Nam vita principis censura est, eáque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tam imperio nobis opus est quàm exemplo, quippe infidelis recti magister est metus, Melius homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in se boni habent, quòd approbant quæ præcipiunt fieri posse. Et quis terror valuisset efficere quod reuerentia tui effecit? Obtinuit aliquis vt spectaculum pantomimorum populi Romani tolli pateretur: sed non obtinuit vt vellet. rogatus es tu quod cogebat alius, cœpítque esse beneficium quod necessitas fuerat. Neque enim à te minore consensu vt tolleres pantomimos quàm à patre tuo vt restitueret exactum est. Vtrunque rectè: nam & restitui oportebat quos sustulerat malus princeps, & tolli restitutos. In his enim quæ à malis bene fiunt, hic tenendus est modus, vt appareat, autorem displicuisse non factum. Idem ergo populus ille aliquando scenici imperatoris spectator & applausor, nunc in pantomimis quoque aduersatur, & damnat effœminatas artes,

& indecora seculo studia. Ex quo manifestum est principum disciplinam capere etiam vulgus: quum rem, si ab vno fiat, seuerißimam fecerint omnes. Macte hac grauitatis gloria Cæsar, qua consequutus es vt quod antea vis & imperium nunc mores vocarentur. Castigauerunt vitia sua ipsi qui castigari merebantur, iidémque emendatores qui emendādi fuerūt. Itaq; nemo de seueritate tua queritur, & liberū est queri. Sed quū ita cōparatum sit vt de nullo minus principe querantur homines, quàm de quo maximè licet, tamen in seculo nihil est quo non omne hominū genus lætetur & gaudeat: boni prouehūtur: mali, qui est trāquillißim⁹ stat⁹ ciuitatis, nec timent nec timentur. Mederis erroribus, sed implorātibus, omnibúsque quos bonos facis, hāc astruis laudem, ne coegisse videaris. Quid vitam? quid mores iuuentutis quam principaliter formas? quem honorem dicendi magistris, quam dignitatem sapientiæ doctoribus habes? vt sub te spiritum & sanguinē & patriam receperunt studia, quæ priorum temporum immanitas exilijs puniebat, quum sibi vitiorū omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis quàm reuerentia relegaret? at tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes. Præstas enim quæcunque præcipiunt: tantúmque eas diligis, quantum ab illis probaris. An quisquam studia humanitatis professus, non cùm omnia tua, tum vel in primis laudibus ferat admißionum tuarum facilitatem? Magno quidem animo parens tuus hanc ante hos principes arcem publicarum ædium nomine inscripserat, frustrà tamen nisi adoptasset, qui habitare vt in publicis posset. Quàm bene cum titulo isto moribus tuis conuenit? quamquam omnia sic facis, tanquam non alius inscripserit. Quod enim forum? quæ templa tam reserata? non Capitolium, ipsique

ipsáque illa adoptionis tuæ sedes magis publica, magis omnium. nullæ obicem, nulli contumeliarũ gradus: superatisque iam mille liminibus, vltrà semper aliqua dura & obstantia. Magna ante te, magna post te, iuxta tamen maxima quies; tantum vbique silentium, tam altus pudor, vt ad paruos penates & larem angustum ex domo principis modestiæ & trãquillitatis exempla referantur. Ipse autẽ vt excipis omnes? vt expectas? vt magnam partem dierum inter tot imperij curas quasi per otium transigis? Itaque non vt aliâs attoniti, nec vt periculũ capitis adituri tarditate, sed securi & hilares quum commodum est, conuenimus: & admittente principe interdum est aliquid quod nos domi quasi magis necessarium teneat. Excusati semper tibi, nec vnquam excusandi sumus. Scis enim sibi quemque præstare quòd te videat, quòd te frequentet, ac tanto liberalius ac diutius voluptatis huius copiam præbes. Nec salutationes tuas fuga & vastitas sequitur: remoramur, resistimus vt in communi domo, quam nuper immanißima belua plurimo terrore munierat, quũ velut quodam specu inclusa nũc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarißimorum ciuium strages, cædésque proferret. Obuersabantur foribus horror & minæ, & par metus admißis & exclusis. Ad hæc ipse occursu quoque visúque terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. nõ adire quisquam, non alloqui audebat tenebras semper secretúmque captantem, nec vnquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi vt solitudinem faceret: ille tamen, quibus sibi parietibus & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum & insidias, & vltorem scelerum deum inclusit: dimouit, perfregítque custodias pœna, angustósque per additus & ob-

structos non secus ac per apertas fores, & inuitatus limina irrupit: longéque tunc illi diuinitas sua, longè arcana illa cubilia sæuique secessus, in quos timore & superbia & odio hominum agebatur. Quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam eius non crudelitatis, sed amoris excubiis, non solitudine & claustris defenditur? Et quid ergo? discimus experimento, fidelissimam esse custodiam, principis ipsius innocentiam. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustrà se terrore succinxerit qui septus charitate nō fuerit. armis enim arma irritantur. Num autē serias tantùm partes dierū in oculis nostris cœtúque consumis? num remissionibus tuis eadē frequentia, eadémque illa socialitas interest? num tibi semper in medio cibus, sempérque mensa communis? num ex conuictu nostro mutua voluptas? num prouocas reddísque sermones? num ipsum tempus epularum tuarum quū frugalitas contrahat, extendit humanitas? Non enim ante medium diem distentus solitaria cœna spectator adnotatórque conuiuis tuis immines: nec ieiunis & inanibus plenus ipse eructans non tam apponis quàm obiicis cibos quos dedigneris attingere: agréque perpessus superbam illā cōuictus simulationem, rursus te ad clandestinam ganeā occultúmque luxum refers. Ergo non aurum, nec argentum, nec exquisita ingenia cœnarum, sed suauitatem tuam iucunditatémque miramur: quibus nulla satietas adest, quando syncera omnia, & vera, & ornata grauitate. Neque enim aut peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscœna petulantia mensis principis oberrat, sed benigna inuitatio, & liberales ioci, & studiorum honor. Inde tibi parcus, & breuis somnus, nullúmque amore nostri angustius tēpus, quàm quod sine nobis agis. Sed quum rebus tuis vt parti-

cipes perfruamur, quæ habemus ipsi, quàm propria, quàm nostra sunt? Non enim exturbatis prioribus dominis omne stagnum, omnem lacum, omnem etiã saltum immensa possessione circumueris, nec vnius oculis flumina, fontes, maria deseruiunt. Ecquid Cæsar non suum videat? tandémque imperium principis quàm patrimoniũ maius est. Multa enim ex patrimonio refert in imperium, quæ priores principes occupabant; non vt ipsi fruerentur, sed ne quis alius. Ergo in vestigia sedésque nobilium immigrãt pares domini, nec iam clarissimorum virorum receptacula habitatore seruo teruntur, aut fœda vastitate procumbunt. Datur intueri pulcherrimas ædes deterso situ auctas ac vigentes. Magnum hoc tuum non erga homines modò, sed erga tecta ipsa meritum sistere ruinã, solitudinem pellere, ingentia opera eodem quo extructa sunt animo ab interitu vendicare: muta quidem illa & anima carẽtia, sentire tamen & lætari videntur quòd niteant, quòd frequententur, quòd aliquando cœperint esse domini, non seruientis. Circumfertur sub nomine Cæsaris, tabula ingens rerum venalium, quòd sit detestanda auaritia illius qui tam multa cõcupiscebat, quum haberet superuacua tam multa: tunc exitialis erat apud principem huic laxior domus, illi amœnior villa. NUNC *princeps in hæc eadem dominos quærit, ipse inducit: ipsos illos magni aliquando imperatoris hortos, illud nunquam, nisi Cæsaris suburbanum, licemur, emimus, implemus. Tanta benignitas principis, tanta securitas temporum est, vt ille nos principalibus rebus existimet dignos: nos non timeamus quòd digni esse videmur.* NEC *verò emendi tantùm ciuibus tuis copiam præbes, sed amœnissima quæque largiris & donas: ita (inquam) donas, in quæ electus, in quæ adoptatus es: trans-*

fers quod iudicio accepisti, ac nihil magis tuum credis quàm quod per amicos habes: idem tam parcus in ædificando, quàm diligens in tuendo. Itaque nō vt antè immanium transuectione saxorum vrbis tecta quatiuntur. Stant securæ domus, nec iam templa nutantia. Satis est tibi, nimiúmque, quum successeris frugalissimo principi, magis reiicere aliquid & amputare ex his quæ princeps tanquam necessaria reliquit. Præterea pater tuus vsibus suis detrahebat quæ fortuna imperij dederat: tutius quòd pater. At quàm magnificus in publicū es! hinc portic⁹, inde delubra occulta celeritate properantur, vt nō consummata, sed tantùm commutata videantur: hinc immensum latus circi templorum pulchritudinem prouocat: digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda, quàm quæ ex illa spectabuntur: visenda autem cùm cætera specie, tum quòd æquatus plebis ac principis locus: siquidem per omne spatium vna facies, omnia continua & paria, nec magis propriùs spectandi Cæsaris suggestus, quàm propria quæ spectet. Licebit ergo ciuibus tuis inuicem contueri: dabitur non cubiculum principis, sed ipsum principem cernere in publico, in populo sedentem, populo, cui locorum quinque millia adiecisti. Auxeras enim numerum eius congiarij facilitate, maiorémque in posterum suscipi liberalitatis tuæ fide iusseras. Horum vnum si præstitisset alius, illi iamdudum radiatum caput, & media inter deos sedes auro staret aut ebore, augustioribúsque aris & grandioribus victimis inuocaretur. Tu delubra nōnisi adoraturus intras, tibi maximus honor excubare pro templis postibúsque prætexi. Sic fit vt dei summum inter homines fastigium seruent, quum deorum ipse non adeptus. Itaque tuam statuam in vestibulo Iouis optimi maximi vnam alte-

rámve, & hanc æream cernimus. At paulo antè aditus omnes, omnes gradus, totáque area hinc auro, hinc argento relucebat, seu potius polluebatur, quum incesti principis statuis permixta deorum simulacra sorderent. Ergo istę quidem æreæ & paucæ manent, manebúntque quandiu templum ipsum: illæ autem aureæ & innumerabiles strage & ruina publico gaudio litauerunt. Iuuabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sæuire securibus, vt, si singulos ictus sanguis dolórque sequeretur, nemo tam temperans gaudij seræque lętitiæ, quin instar vltionis videretur cernere laceros artus, trūcata mēbra: postremò, truces horrendásque imagines abiectas excoctásque flāmis, vt ex illo terrore & minis in vsum hominū ac voluptates ignibus mutarētur. Simili reuerentia Cæsar non apud geniū tuum bonitati tuæ gratias agi, sed apud numē Iouis optimi maximi pateris. illi debere nos quicquid debeamus, illius quòd bene facias muneris esse qui te dedit. Antè quidem ingentes hostiarum greges per Capitolinū iter magna sui parte velut intercepti diuertere via cogebātur, quū sæuissimi domini atrocissima effigies tanto victimarum cruore coleretur quantū ipse humani sanguinis profundebat. Omnia P.C. quæ de aliis principibus à me aut dicuntur aut dicta sunt, eò pertinent, vt ostendam quàm longa consuetudine corruptos deprauatósque mores principatus parens noster reformet & corrigat: alioqui nihil non parum gratè sine comparatione laudatur. Præterea hoc primum erga optimum imperatorem piorū ciuium officium est, insequi dissimiles. neque enim satis amarint bonos principes, qui malos satis non oderint. Adiice quòd imperatoris nostri non aliud amplius ac diffusius meritū est quàm quòd insectari malos principes tutum est. An excidit do-

lori nostro modò vindicatus Nero? permitteret (credo) famam vitámque eius carpi qui mortem vlciscebatur: nec vt in se dicta interpretaretur quæ de simillima dicerentur. Quare ego te Cæsar, muneribus omnibus tuis, omnibus cōparo, multis antepono, quòd licet nobis & in præteritum de malis imperatoribus quotidie vindicari, & futuros sub exemplo præmonere, nullum locum, nullum esse tempus quo funestorum principum manes à posterorum exsecrationibus conquiescant. Quo constantius, P. C. & dolores nostros & gaudia proferamus: ingemiscamus illis quæ patiebamur. Simul vtrunque faciendū est sub bono principe. Hoc secreta nostra, hoc sermones, hoc ipsæ gratiarum actiones agant, meminerintque sic maximè laudari incolumem imperatorem, si priores secus meriti reprehendantur. Nam quum de malo principe posteri tacent, manifestū est eadem facere præsentem. Et quis iam locus miseræ adulationis manebat, quum laudes imperatorum ludis etiam & comessationibus celebrarentur saltarentúrque, atque in omne ludibrium effœminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur? sed illud indignum, quòd eodem tempore in senatu & in scena ab histrione & à consule laudabantur: tu procul à tui cultu ludicras artes remouisti. Seria ergo te carmina honórque æternus annalium, non hæc breuis & pudenda prædicatio colit: quinetiam tanto maiore consensu in veneratione tui theatra ipsa cōsurgent, quanto magis de te scenæ silebunt. Sed quid ego istud admiror? quum eos quoque honores qui tibi à nobis offeruntur aut delibare parcissimè, aut omnino soleas recusare. Nihil antè tam vulgare, tam paruum in senatu agebatur, vt non laudibus principum immoraretur, quibuscunque cēsendi necessitas accidisset. De ampliando numero gladiatorum, aut

de instituendo collegio fabrorum consulebantur: & quasi prolatis imperij finibus, nunc ingentes arcus, excessuróſque templorũ faſtigium titulos, nunc mẽses etiam, nec hos singulos nomini Cæsarum dicabamus: patiebantur illi, & quasi meruissent, lætabantur. At nunc quis nostrum tanquã oblitus eius de quo refertur, censendi officium principis honore consumunt? Tuæ moderationis hæc laus, constantia nostra & tibi obsequimur quòd in curiã, nõ ad certamen adulationũ, sed ad vsum munúsque iustitiæ conuenimus: hãc simplicitati tuæ veritatísque gratiam relaturi, vt te quæ vis, velle; quæ non vis, nolle credamus. Incipimus inde, desinimus ili à quo incipi, in quo desini sub alio principe non posset. Nam pleróſque ex decretis honoribus, & alij non receperunt: nemo antè tantus fuit vt crederetur noluisse decerni. Quod ego titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus aut saxis nomen tuũ, sed monimentis æternæ laudis inciditur. Ibit in secula, fuisse principem, cui florenti & incolumi nunquã nisi modici honores sæpius nulli decernerentur. Et sanè si velimus cum priorũ temporũ necessitate certare, vincemur. Ingeniosior est enim ad excogitãdum simulatio veritate: seruitus, libertate: metus, amore. Simul quum iampridem nouitas omnis adulatione consumpta sit, nõ alius ergа te nouus honor superest, quàm si aliquando de te tacere audeamus. Age si quando pietas nostra silentiũ rupit, & verecundiam tuam vicit, quæ qualiáque decernimus nos, tu non recusas, vt appareat, non superbia & fastidio te amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris. Pulchrius hoc, Cæsar, quàm si recusares omnes: nam recusare omnes, ambitionis: moderationis est eligere parcissimos. Quo temperamento & nobis

& ærario prodes, quòd sumptibus eius adhibes modum, & qui exhaustum non sis innocentiũ bonis repleturus. Stant igitur effigies tuæ, quales olim ob egregia in rempubl. merita priuatis dicabantur. Visuntur eadẽ è materia Cæsaris statuæ qua Brutorũ, qua Camillorum. nec discrepat causa. Illi enim reges hostémque victorem mœnibus depulerunt: hic regnum ipsum, quæque alia captiuitas gignit, arcet ac submouet, sedémque obtinet principis, ne sit domino locus. Ac mihi intuenti in sapientiam tuam, minùs mirum videtur quòd mortales istos caducósque titulos aut depreceris aut temperes. Scis enim vbi vera principis, vbi sempiterna sit gloria, vbi sint honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. Arcus enim & statuas, aras etiam templáque demolitur, & obscurat obliuio, negligit carpítque posteritas: contrà, contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor ac frænator animus ipsa vetustate florescit, nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus minimè necesse est. Præterea vt quisquis factus est princeps, ex templo fama eius, incertum bona mala, cæterùm æterna est. Non ergo perpetua principi fama, quæ inuitum manet: sed bona concupiscenda est. ea porrò non imaginibus & statuis, sed virtute ac meritis prorogatur. Quinetiam leuiora hæc formam principis figurámque, non aurum melius vel argentum, quàm fauor hominum exprimat teneátque. quod quidem prolixè tibi cumulatéque contingit, cuius lætissima facies & amabilis vultus in omniũ ciuium ore, oculis, animo sedet. Annotasse vos credo, patres conscripti, iamdudum me non eligere quæ referam. propositum est enim mihi principem laudare, non principis facta. Nam laudabilia multa etiam mali faciunt, ipse laudari nisi optimus non potest.

Quare non alia maior, imperator Auguste, gloria tua, quàm quòd agentibus tibi gratias nihil velandum est, nihil omittendum est. Quid est enim in principatu tuo, quod cuiusque prædicatio vel transilire vel præteruehi debeat? quod momentum, quod immò temporis punctum aut beneficio sterile, aut vacuum laude? num omnia eiusmodi vt is optimè te laudasse videatur, qui narrauerit fidelißimè? Quo fit vt propè in immensum diffundatur oratio mea, & necdum de biennio loquor. Quàm multa dixi de moderatione, & quanto plura adhuc restant, vt illud quòd secundum consulatum recepisti, quia princeps & pater deferebat! at postquam ad te imperij summam, & cùm omnium rerum, tum etiam tui potestatem dij transtulerint, tertium consulatum recusasti, quum agere tam bonum consulem posses. Magnum est, differre honorem, gloriam maius. Gestum consulatum mirer, an non receptum? gestum non in hoc vrbis otio, & intimo sinu pacis, sed iuxta barbaras gentes: vt illi solebant, quibus erat moris paludamento mutare prætextam, ignotásque terras victoria sequi. Pulchrum imperio, gloriosum tibi, quum te socij atque amici sua in patria, suis in sedibus adierunt. Decora facies consulis: multa post secula tribunal viridi cespite extructum, nec fascium tãtùm, sed pilorum signorúmque honore circumdatum. augebant maiestatem præsidentis diuersi postulantium habitus, ac dissonæ voces, ratáque sine interprete oratio. Magnificum est, ciuibus iura, quid hostibus reddere? speciosum certam fori pacem, quid immanes campos sella curuli, victorísque vestigio premere? imminere minacibus ripis tutum quietúmque? quid spernere barbaros fremitus? hostilémque terrorem non armorum magis quàm togarum ostentatione compescere?

Itaque non te apud imagines, sed ipsum præsentem audientémque consalutabant imperatorẽ, nomenque quod alij domitis hostibus, tu contemptis merebare. Hæc laus acti consulatus, illa dilati: quòd adhuc initio principatus vt iam excusatus honoribus, & expletus consulatum recusasti, quem noui imperatores destinatum aliis in se transferebant. Fuit etiam qui in principatus sui fine consulatum quem dederat, ipse magna ex parte iam gestum extorqueret & rapeeret. Hoc ergo honore quem & incipientes principes & desinentes adeo concupiscunt vt auferant: tu otioso ac vacante priuatis cessisti. Inuidiosúsne erat aut tibi tertius consulatus, aut principi primus? Nam secundùm imperator quidem, sub imperatore tamen inisti: nihílque imputari in eo vel honori potest, vel exemplo, nisi obsequium. Ita verò quæ ciuitas quinquies, atque etiam sexies consules vidit, non illos qui expirante iam libertate per vim ac tumultum creabantur, sed quibus sepositis & absentibus in rura sua consulatus ferebantur: in hac ciuitate tertium consulatum princeps generis humani vt pergrauem recusasti? Tantóne Papyrius etiam & Quintius moderatior? Augustus, & Cæsar, & pater patriæ. At illos respub. ciebat: quid? te non eadem respublica? non senatus? non consulatus ipse, qui sibi tuis humeris attolli & augescere videtur? Non te ad exemplar eius voco, qui continuis consulatibus fecerat longum quendam & sine discrimine annum: his te confero, quos certum est, quoties consules fuerunt, non sibi præstitisse. Erat in senatu ter consul, quum tu tertium consulatum recusabas. Onerosum nescio quid verecundiæ tuæ consensus noster indixerat, vt princeps toties consul esset, quoties senator tuus nimia modestia, istud

etiam priuatus recusasses. An cōsularis viri triumphalisque filius quum tertiò consul creatur, ascēdit, non debitum hoc illi, non vel sola generis claritate promeritum? Cōtigit ergo priuatis aperire annum, fastósque reserare: & hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quòd consul alius quàm Cæsar esset. Sic exactis regibus cœpit liber annus: sic olim seruitus pulsa priuata fastis nomina induxit: miseros ambitionis, qui ita consules semper, vt semper principes erant: quāquam non ambitio magis quàm liuor & malignitas videri potest, omnes annos possidere summúmque illud purpuræ decus non nisi præceptum præfloratúmque transmittere. Tuam verò magnanimitatem, an modestiam, an benignitatem priùs mirer? Magnanimitas fuit, expetito semper honore abstinere: modestia, cedere: benignitas, per alios frui. Sed iam tempus est te ipsi consulatui præstare vt maiorē eum suscipiendo gerendóque facias. Nam sæpius recusare, ambiguam ac potius illam interpretationem habet, tanquam minorem putes. Tu quidem vt maximum recusasti: sed hoc persuadere nemini poteris, nisi aliquando & non recusaueris. Quum arcus, quum trophæa, quum statuas deprecaris, tribuenda est verecundia tuæ venia. illa enim sanè tibi dicantur: quum verò postulamus vt futuros principes doceas inertiæ renuntiare, paulisper delicias differre, paulisper & saltem ad breuissimum tempus, ex illo felicitatis somno velut excitatos, induere prætextam, quam quum dare possent, occuparint: ascendere curulem quam detineant; esse denique quod concupierunt, nec ideo tantùm velle consules fieri, vt fuerint. Gessisti alterum consulatum, scio: illum exercitibus, illum prouinciis, illum etiam cæteris gentibus potes imputare, non potes nobis. Audiuimus quidem te omne

munus cõsulis obiisse, sed audiuimus, diceris iustissimus, humanißimus, patientißimus fuisse: sed diceris, æquum est aliquãdo nos iudicio nostro, nostris oculis, non famæ semper & rumoribus credere. Quousque absentes de absente gaudebimus? liceat experiri an aliquid superbiæ tibi ille ipse secundus consulatus attulerit. multum in commutandis moribus hominum medius annus valet: in principum plus. Dicimus quidem, cui virtus aliqua cõtingat, omnes inesse: cupimus tamen experiri an nunc quoque vna eadémque res sit, bonus consul, & bonus princeps. Nam præter id quod est arduum, duas, eásque simul capere potestas summas, tũ inest vtrique nonnulla diuersitas, quum principem quàm dissimillimum consuli deceat. Atque ego video, proximo anno cõsulatus recusandi hanc præcipuam fuisse rationem, quòd eum absens gerere non poteras: sed iam vrbi votísque publicis redditus, quid est in quo magis sis approbaturus quæ quantáque fuerint quæ desiderabamus? Parũ est vt in curiam venias, nisi & conuocas: vt intersis senatui, nisi & præsides: vt censentes audias, nisi & perrogas. Vis illud augustißimum consul aliquandò tribunal maiestati suæ reddere? ascende. Vis constare reuerentiam magistratibus, legibus autoritatem, modestiam petulantibus? adi. Quid enim interesset reipubl. si priuatus esses, consulem te haberet tantùm, an & senatorem? hoc nunc scito interesse, principem te habeat tantùm an & consulem. His tot tantísque rationibus, quanquam multùm reluctata verecundia principis nostri, tandem tamen cessit. At quemadmodum cesßit? non se vt priuatis, sed vt priuatos pares sibi faceret. Recepit enim tertiũ consulatum, vt daret: nouerat moderationem hominum, nouerat pudorem, qui non sustinerent tertiò

consules esse, nisi cum ter consule. Bellorum istud sociis olim, periculorum consortibus, parcè tamen, tribuebatur, quòd tu singularibus viris, ac de te quidem bene ac fortiter præstitisti, sed in toga meritis, vtriusque cura, vtriusque vigilantia obstrictus es Cæsar. Sed in principe rarum, ac prope insolitum est, vt se putet obligatū, aut si putet, amet. Debes ergo Cæsar, & soluis. Sed quum ter consules facis, non tibi magnus princeps, sed non ingratus amicus videris: quinetiam perquàm modica quædam ciuium merita fortunæ tuæ viribus in maius extollis. Efficis enim vt tantum tibi quisque præstitisse videatur, quantū à te recepit. Quid isti benignitati precer? nisi vt semper obliges, obligeris: incertúmque facias vtrum magis expediat ciuibus tuis debere tibi, an præstitisse? Equidem illum antiquum senatum contueri videbar, quum ter consule assidente, tertiò consulem designatum rogari sententiam cernerem. Quanti tunc illi, quantúsque tu? Accidit quidem vt corpora quamlibet ardua & excelsa procerioribus admota decrescāt: item vt altissimæ ciuiū dignitates collatione fastigij tui, quasi deprimantur: quantóque propius ad magnitudinem tuam ascenderint, tanto etiam à sua descendisse videantur. Illos tamen tu quāquam non potuisti tibi æquare quum velles, adeo in edito collocasti, vt tantum super cæteros, quantum infra te cernerentur. Si vnius tertium consulatum eundem in annum in quem tuum contulisses, ingentis animi specimen haberetur. Vt enim felicitatis est, quātum velis posse; sic magnitudinis, velle, quantum possis. Laudādus quidem & ille qui tertium consulatum meruit, sed magis sub quo meruit: magnus memorandúsque qui tantum premium cepit, sed maior qui capienti dedit. Quid quòd duos pariter tertio consulatu

collegæ tui sanctitate decorasti? vt sit nemini dubium, hanc tibi præcipuam causam fuisse extendendi consulatus tui, vt duorum consulatus amplecteretur, & collegam te vni daret. Vterque nuper cõsulatum alterum gesserat à patre tuo, id est, quanto minus quàm à te datum, vtriusque adhuc oculis paulo antè dimissi fasces oberrabãt: vtriusque solennis ille lictorum & prænuntius clamor auribus insederat, quum rursus curulis rursúsque purpura, vt olim, quum hostis in proximo, & in summum discrimen adducta respubl. expertum honoribus virum posceret, non consulatus hominibus iisdẽ, sed iidem homines consulatibus reddebantur. tanta tibi benefaciendi vis, vt indulgẽtiam tuam necessitas æmuletur. Modò prætextas exuerant, resumant: modò lictores abire iusserant, reuocent: modò gratulantes amici recesserãt, reuertãtur. Hominísne istud ingeniũ est? hominis potestas renouare gaudia, redintegrare lætitiã, nullámque requiẽ gratulationis dare, neque alia repetẽdis cõsulatibus interualla permittere, nisi dũ finiuntur? Facias ista sẽper, nec vnquã in hoc opere aut anim⁹ tuus, aut fortuna lassetur: des quamplurimis tertios consulatus, & quum plurimis tertios consulatus dederis, semper tamen plures quibus debeas dare supersint. Omnium quidem beneficiorum quæ merentibus tribuuntur, nõ ad ipsos gaudium magis quàm ad similes redũdat: præcipuè tamen ex horum consulatu non ad partem aliquam senatus, sed ad totum senatum tanta lætitia peruenit, vt eundẽ honorem omnes sibi & dedisse & acccepisse videantur. Nẽpe enim hi sunt quos senatus quũ publicis sumptibus minuendis optimum quemque præficeret, elegit equidem primos. Hoc est igitur, hoc est quod penitus illos animo Cæsaris infirmauit. An parum sæpe experti sumus

hanc esse rerum conditionem, vt senatus fauor apud principem aut prosit, aut noceat? Nónne paulo antè nihil magis exitiale erat quàm illa principis cogitatio? hunc senatus probat, hic senatus charus est: oderat quos nos amaremus, sed & nos quos ille. Nunc inter principem senatúmque dignissimi cuiusque charitate sertatur: demonstramus inuicem, credimus inuicem: quódque maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus. Proinde, Patres C. fauete apertè, diligite constanter: non iam dissimulandus est amor, nec noceat: non premẽdum odium, ne profit: eadem Cæsar quæ senatus probat improbátque: vos ille præsentes, vos etiam absentes in consilio habet: tertiò consules fecit quos vos elegeratis, & fecit hoc ordine quo electi à vobis erant. Magnum vtrunque videtur, siue eosdem maximè diligit quos scit nobis esse charissimos: siue illis neminem præfert, quanuis aliquem magis amet. Proposita sunt senioribus præmia, iuuenibus exempla: adeant, frequentent securas tandem ac patentes domos. Quisquis probatos senatui viros suscipit, hic maximè principem promeretur. sibi enim accrescere putat quod cuique adstruatur: nullámque in eo gloriam ponit, quòd sit omnibus maior, nisi maximi fuerint quibus maior est. Persta Cæsar in ista ratione propositi, taléſque nos crede, qualis fama cuiusque est: huic aures, huic oculos intende: ne respexeris clandestinas existimationes, nullisque magis quàm audientibus insidiantes susurros. Melius omnibus quàm singulis creditur. Singuli enim decipere & decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt. Reuertor iam ad consulatum tuum, &, si sunt quædam ad consulatum quidem pertinentia: ante consulatum tamen, in primis quòd comitiis tuis

ante fuisti candidatus, non consulatus tantùm, sed immortalitatis & gloriæ, & exempli quod sequerentur boni principes, mali mirarētur. Vidit te Populus Romanus in illa vetere potestatis suæ sede: perpessus es longum illud carmen comitiorum, nec iam irridendam moram: consúlque sic factus es vt vnus ex nobis, quos facis consules. Quotusquisque principum antecedentiū honorem istum aut consulatui habuit, aut populo? nō alij marcidi somno, hesternáque cœna redundantes, comitiorū suorū nuntios operiebantur? Alij sanè peruigiles, & insomnes, sed intra cubilia sua illis ipsis consulibus, à quibus consules renuntiabātur, exilia & cædem machinabantur. O praua & inscia veræ maiestatis ambitio! concupiscere honorem quē dedigneris: dedignari quē concupiscas: quúmque ex proximis hortis campū & comitia prospectes, sic ab illis abesse, tanquā Danubio Rhenóque dirimare! Auerseris tu honori tuo sperata suffragia, renuntiaríque te consulem iussisse contentus, liberæ ciuitati ne simulationem quidē serues! Abstineas denique comitiis abstrusus atque abditus, quasi illic tibi non consulatus detur, sed abrogetur imperium! Hac persuasio superbissimis dominis erat, vt sibi viderentur principes esse desinere, si quid facerent tanquam senatores. Plerique tamen non tam superbia quàm metu quodam submouebantur: an stuprorum sibi, incestarúmque noctium conscij auspicia polluere, sacratúmque campum nefario auderent contaminare vestigio? non adeo deos hominésque contempserant, vt in illa spatiosissima sede hominum deorúmque coniectos in se oculos ferre ac perpeti possent. Tibi contrà & moderatio tua suasit, & sanctitas, vt te & religioni deorum & iudiciis hominum exhiberes. Alij, consulatum antequam acciperent, tu

& dum accipis, meruisti. Peracta erant solennia comitiorum, si principem cogitares, iámque se omnis turba commouerat, quum tu mirantibus cunctis accedis ad consulis sellam: adigendum te præbes in verba principibus ignota, nisi quum iurare cogerēt alios. Vides quàm necessarium fuit consulatum non recusare? non putassemus istud facturum te fuisse, si recusasses. Stupeo, P. C. necdum satis aut oculis meis aut auribus credo: atque identidem me an audierim, an viderim interrogo. Imperator ergo, & Cæsar, & Augustus, Pontifex maximus stetit ante gremium consulis: sedítque consul principe ante se stante: & sedit inturbatus, interritus, & tanquam ita fieri soleret. quinetiam sedens præbuit iusiurandum, & ille iurauit, expreßit, explanauítque verba quibus caput suum, domum suam, si sciēter fefellisset, deorum iræ consecraret. Ingens Cæsar, & par gloria tua, siue fecerint istud postea principes, siue non fecerint. Vlláne satis prædicatio digna est idem tertiò consulem fecisse quod primò? idem principem quod priuatum? idem imperatorem quod sub imperatore? Nescio iam, nescio pulchriúsnè sit istud, quòd præeunte nullo, an hoc quòd alio præeunte iurasti. in rostris quoque simili religione ipse te legibus subiecisti: legibus Cæsar, quas nemo principi scripsit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere quàm nobis: sic fit vt nos tibi plus velimus. Quod ego nunc primùm audio, nunc primùm disco, non est princeps super leges, sed leges supra principem: idem Cæsari consuli quod cæteris non licet, iurat in legem attendentibus diis. nam cui magis quàm Cæsari attendant? iurat obseruantibus his, quibus idem iurandum est: non ignarus alioqui nemini religiosiùs quod iurauerit custodiendum, quàm cuius maximè interest non peierare. Itaque & abiturus consulatu

iurasti te nihil contra leges fecisse. Magnum hoc erat quum promitteres: maius, postquam præstitisti. iam toties procedere in rostra, in ascensúmque illum superbiæ principum locum terere, hîc suscipere, hîc ponere magistratus. quàm dignum te, quámque diuersum consuetudine illorũ qui pauculis diebus gestum consulatum, immò non gestum abijciebant per edictum! hoc pro concione, pro rostris, pro iureiurando, scilicet vt primis extrema congruerẽt, vtque hoc solo intelligerentur ipsi consules fuisse, quòd alij non fuissent. Non transilivi, patres conscripti, principis nostri consulatum; sed eundem in locũ contuli quicquid de iureiurando dicendũ erat. Neque enim vt in sterili ieiunáque materia eandem speciem laudis diducere ac spargere, atque identidem tractare debemus. Illuxerat primus consulatus tui dies quo tu curiam ingressus, nunc singulos, nũc vniuersos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis imperij curas, inuigilare publicis vtilitatibus & insurgere. Omnes ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos inuidiosa tranquillitate prouectos improuisus turbo perculerat. Quod enim tam infidum mare, quàm blanditiæ principum illorum quibus tanta leuitas, tanta fraus, vt facilius esset iratos quàm propitios habere? te verò securi & alacres quò vocas sequimur. Iubes esse liberos: erimus. iubes quæ sentimus promere in medium: proferemus. neque enim adhuc ignauia quadam & insito torpore cessauimus. Terror, & metus, & misera illa ex periculis facta prudentia monebat vt à republ. (erat autem omnino nulla respublica) oculos, aures, animos auerteremus: at nunc tua dextera tuisque promissis freti & innixi obsepta diutina seruitute ora resera-

mus, frænatámque tot malis linguam resoluimus. Vis enim tales esse nos, quales iubes, nihílque exhortationibus tuis fucatum, nihil subdolum, denique quod credentem fallere paret, non sine periculo fallentis. neque enim vnquam deceptus est princeps, nisi qui priùs ipse decepit. Equidem hunc parentis publici sensum cùm exhortatione eius, tum pronuntiatione ipsa perspexisse videor. Quæ enim illa grauitas sententiarum? quàm inaffectata veritas verborum? quæ asseueratio in voce? quæ affirmatio in vultu? quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore fides? Tenebit ergo semper quod suaserit, sciétque nos, quoties libertatem quam dedit experiemur, sibi parere. nec verendum est ne incautos putet, si fidelitate temporum constanter vtamur, quos meminit sub malo principe aliter vixisse. Nuncupare vota & pro æternitate imperij, & pro salute ciuium, immò pro salute principum, ac propter illos pro æternitate imperij solebamus: hæc pro imperio nostro in quæ sint verba suscepta operæpretium est annotare, si bene rempubl. & ex vtilitate omnium rexeris. Digna vota quæ semper suscipiantur, sempérque soluantur. Egit cum diis ipso te autore Cæsar respubl. vt te sospitem incolumémque præstarent, si tu cæteros præstitisses: si contrà, illi quoque à custodia tui corporis oculos dimouerent, téque relinquerent votis quæ non palàm susciperentur. Alij se superstites reipubl. optabant, faciebántque: tibi salus tua inuisa est, si non sit cum reipubl. salute coniuncta: nihil pro te pateris optari, nisi expediat optantibus, omnibúsque annis in consilium de te deos mittis, exigísque vt sententiam suam mutent, si talis esse desieris, qualis electus es. Sed ingenti conscientia Cæsar pasisceris cum diis, vt te si mereris seruent, quum

ſcias an merearis, neminem magis quàm deos ſcire. Nónne vobis P. C. hæc diebus ac noctibus agitare ſecum videtur? Ego quidem in me, ſi omnium vtilitas ita poſceret, etiam præfecti manum armaui: ſed ne deorum quidem aut iram, aut negligentiam deprecor: quæſo, immò & obteſtor ne vnquam pro me vota reſpubl. inuita ſuſcipiat: aut ſi ſuſceperit inuita, ne debeat. Capis ergo Cæſar, ſalutis tuæ glorioſiſſimum fructum ex conſenſu deorum. nam quum excipias vt ita demum te dei ſeruent, ſi bene rempubl. & ex vtilitate omnium rexeris, certus es te bene rempubl. gerere, quum ſeruent. Itaque ſecurus tibi & lætus dies erit qui principes alios cura & metu diſtinebat, quum ſuſpenſi & attoniti, parúmque confiſi patientiæ noſtræ hinc atque inde publicæ ſeruitutis nuntios expectarent, ac ſi fortè aliquos flumina, niues, venti præpediſſent, ſtatim hoc illud eſſe credebant quod merebantur: nec erat diſcrimen vllum pauoris, propterea quòd quum à malo principe tanquam ſucceſſor timeatur quiſquis eſt dignior, quum ſit nemo non dignior, omnes timentur. Tuam ſecuritatem non mora nuntiorum, non litterarum tarditas differt: ſcis tibi vbique iurari, quum ipſe iuraueris omnibus. Nemo hoc ſibi non præſtat, amamus quidem te in quantum mereris: iſtud tamẽ non tui facimus amore, ſed noſtri: nec vnquam illuceſcat dies quo pro te nuncupet vota non vtilitas noſtra, ſed fides, Cæſar. Turpis tutela principis cui poteſt imputari. Queri libet quòd in ſecreta noſtra non inquirant principes, niſi quos odimus. nam ſi eadem cura bonis quæ malis eſſet, quam vbique admirationem tui, quod gaudium exultationémque deprehenderes? quos omnium cum coniugibus ac liberis, quos etiam cum domeſticis aris focíſque ſermones? ſcires molliſſimis iſtis auribus parci, &

alioqui quum ſint odium amórque contraria, hoc perquàm ſimile habent, quòd ibi intemperantiùs amamus bonos principes, vbi liberiùs malos odimus. Cepiſti tamen & affectus noſtri & iudicij experimentum, quantum maximum præſens capere potuiſti illo die quo ſolicitudini pudoríque candidatorum ita conſuluiſti, ne vllius gaudium alterius triſtitia turbaret. alij cum lætitia, alij cum ſpe receſſerunt: multis gratulandum, nemo conſolandus fuit. Nec ideo ſegnius iuuenes noſtros exhortatus es, conſulatum circumirent, ſenatui ſupplicarent, atque ita à principe ſperarēt honores, ſi à ſenatu petiſſent. Quo quidem in loco, ſi quibus opus exemplo, adiecisti vt te imitarentur. Arduum Cæſar exemplū; & quod imitari non magis quiſque candidatorum quàm principum poßit. Quis enim vel vno die reuerentior ſenatus candidatus quàm tu cùm omni vita, tum illo ipſo tempore quo iudicas de candidatis? An aliud à te quàm ſenatus reuerentia obtinuit vt iuuenibus clariſsimæ gentis debitum generi honorem, ſed antequam deberetur, offerres? Tandem ergo nobilitas nón obſcuratur, ſed illuſtratur à principe: tandem illos ingentium virorum nepotes, illos poſteros libertatis nec terret Cæſar, nec pauet, quinimmo feſtinatis honoribus amplificat atque auget, & maioribus ſuis reddit: ſiquid vſquam ſtirpis antiquæ, ſiquid reſiduæ claritatis, hoc amplexatur, & refouet, & in vſum reipubl. promit. Sunt in honore hominum, & in honore famæ magna nomina ex tenebris obliuionis indulgentia Cæſaris: cuius hæc intentio eſt vt nobiles & conſeruet & efficiat. Præfuerat prouinciæ quæſtor vnus ex candidatis, in quem ea ciuitas ampliſsima redditus egregia conſtitutione fundauerat, hoc ſenatui allegandum putaſti. Cur enim te principe, qui generis

tui claritatem virtute superasti, deterior esset conditio eorum qui posteros habere nobiles mererentur, quàm eorum qui parentes habuissent? O te dignum qui de magistratibus nostris semper hæc nunties: nec pœnis malorum, sed bonorum præmiis bonos facias! Accensa est iuuentus, erexítque animos ad æmulandum quod laudari videbat: nec fuit quisquã quem non hæc cogitatio subiret, quum sciret quicquid à quoque in prouinciis bene fieret, omnia te scire. Vtile est Cæsar, & salutare præsidibus prouinciarum, hanc habere fiduciam, paratum esse sanctitati, industriæ suæ maximum præmium, iudicium principis, suffragium principis. Adhuc autem quamlibet sincera rectáque ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen misera, sed vera reputatio. Vides enim siquid benè fecero, nesciet Cæsar: aut si scierit, testimonium non reddet. Ita eadem illa seu negligentia, seu malignitas principum, quum malè consultis impunitatem, rectè factis nullum præmium polliceretur: nec illos à crimine, & hos deterrebat à laude. At nunc si bene aliquis prouinciam rexerit, huic quæsita virtute dignitas offertur. patet enim omnibus honoris & gloriæ campus; ex hoc quisque quod cupit petat, & assecutus sibi debeat. Prouinciis quoque in posterum & iniuriarum metum & accusandi necessitatem remisisti. Nam si præfuerint quibus gratias egerint, de nullo queri cogentur: & alioquin nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quàm peractos optimè magistratus. magistratus magistratu, honore honor petitur. Volo ego qui prouinciam rexerit, non tantùm codicillos amicorum, nec vrbana coniuratione eblanditas preces, sed decreta coloniarum, decreta ciuitatum alleget. Nec suffragiis consularium virorum, vrbes, po-

puli, gentes inseruntur. Efficacissimum pro candidato genus est rogandi, gratias agere. Iam quo assensu senatus, quo gaudio exceptum est, quum canditatus, vt quemque nominaueras, osculo occurreres? deuexus quidem in planum, & quasi vnus ex gratulantibus te mirer magis; an improbem illos qui effecerunt vt istud magnum videretur, quum velut affixi curulibus suis manum tantùm, & hanc cunctanter & pigrè, & imputantibus similes promerent? Contigit ergo oculis nostris insolita facies, princeps & candidatus, æquales & simul stantes, intuerique parem accipientibus honorem qui dabat. Quod factum tuum à cuncto senatu quàm vera acclamatione celebratum est, tanto maior, tāto augustior. nam cui nihil ad augendum fastigium superest, hîc vno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ. neque enim ab vllo periculo fortuna principum longius abest quàm ab humilitate. Mihi quidem non tam humanitas tua quàm intētio eius admirabilis videbatur. quippe quum orationi oculos, vocem, manum commodares, vt si alij eadem ista mandasses, omnes comitatis numeros obibas. Atque etiam quum suffragatorum nomina honore quo solent exciperentur, tu quoque inter excipientes eras, & ex ore principis ille senatorius assensus audiebatur: quódque apud principem perhibere testimonium merentibus gaudebamus, perhibebatur à principe. Faciebas ergo quum diceres optimos: nec ipsorum modò vita à te, sed iudicium senatus comprobabatur, ornaríque se non illos magis quos laudabas lætabatur. Nam quòd precatus es vt illa ipsa ordinatio comitiorum bene ac feliciter eueniret nobis, reipublicæ, nónne tibi tale est vt nos hunc ordinem votorum conuertere debeamus? deos denique obsecrare vt

omnia quæ facis, quæque facies, prosperè cedant tibi. reipubl. nobis: vel, si breuius sit optandum, vt vni tibi, in quo & respubl. & nos sumus? Fuit tẽpus, ac nimium diu fuit, quo alia aduersa, alia secunda principi & nobis, nunc communia tibi nobiscum tã læta quàm tristia: nec magis sine te nos esse felices, quàm tu sine nobis potes. An si posses, in fine votorum adiecisses vt ita precibus tuis dij annuerent, si iudicium nostrum mereri perseuerasses? Adeo nihil tibi amore ciuium antiquius, vt antè à nobis, deinde à dijs, atque ita ab illis amari velis, si à nobis ameris. Et sanè priorum principum exitus docuit ne à diis quidem amari, nisi quos homines ament. Arduum erat has precationes tuas laudibus adæquare: adæquauimus tamen. Qui amoris ardor? qui stimuli? quæ faces illas nobis acclamationes subiecerunt? Non nostri Cæsar ingenij, sed tuæ virtutis tuorúmque meritorum voces fuerunt, quas nulla vnquam adulatio inuenit, nullus cuiusquam terror expreßit. Quem sic timuimus vt hæc fingeremus? quem sic amauimus vt hæc fateremur? Nosti necessitatem seruitutis quando simile aliquid audisti, & quando dixisti. Multa quidem excogitat metus: sed quæ appareant quæsita ab inuitis: aliud solicitudinis, aliud securitatis ingenium est: alia tristium inuentio, alia gaudentium. Neutrum simulationes expresserint. habent sua verba miseri, sua verba felices, vt quæ iam maximè ab vtrisque dicantur. Testis ipse es quæ in omnium ore lætitia: non amictus cuiquam, non habitus quem modò extulerat, inde resultantia vocibus tecta, nihilq; tantis clamoribus satis clausum. Quis tunc non è vestigio suo exiluit? quis exiluisse sensit? multa fecimus sponte, plura instinctu quodam & imperio. nam gaudio quoque cogendi vis inest. num ergo modum et tua

saltem modestia imposuit? nam quanto magis à te reprimebatur, exarsimus non contumacia Cæsar, sed vt in tua potestate est an gaudeamus, ita in quantum, nec in nostra. Comprobasti & ipse acclamationum nostrarum fidem lacrymarum tuarum veritate. Vidimus humescentes oculos tuos, demissúmque gaudio vultum tantúmque sanguinis in ore quantum in animo pudoris. Atque hoc magis incensi sumus vt precaremur nequando tibi nō eadem causa lacrymarum vtq; nonnunquam frontē tuam abstergeres. Hoc ipsum, has sedes nobis quasi responsuras interrogemus viderintne vnquā principis lacrymas: at senatus sæpe viderunt. Onerasti futuros principes: sed & posteros nostros. Nam & hi à principibus suis exigent, vt eadem audire mereantur: & illi quòd non audiant, indignabuntur. Nihil magis possum propriè dicere quàm quod dictum est à cuncto senatu, O te felicem! quod quum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur! Est enim demum vera felicitas, felicitate dignum videri. Sed cùm multa illo die dicta sunt sapienter & grauiter, tum vel in primis hoc, Crede nobis, crede tibi. Magna hoc fiducia nostrî, maiore tamen tui diximus. Alius enim fortasse alium, ipsum se nemo deceperit, introspiciat modò vitam, séque quid mereatur interroget. Proinde dabat vocibus nostris fidem apud optimum principem, quod apud malos detrahebat. quamuis enim faceremus quæ amantes solent, illi tamē non amari se credebant sibi. Super hæc precati sumus vt sic te amarent dij, quemadmodum tu nos. Quis hoc aut de se, aut principi diceret mediocriter amanti? Pro nobis ipsis quidem hæc fuit summa votorū, vt nos sic amarent dij, quomodo tu. Estne verum quod inter ista clamauimus, O nos felices! Quid

enim felicius nobis, quibus non iam illud optandum est, vt nos diligat princeps, sed dij quemadmodum princeps? Ciuitas religionibus dedita, sempérque deorum indulgentiam piè merita nihil felicitati suæ putat astrui posse, nisi vt dij Cæsarem imitentur. Sed quid singula conjector & colligo, quasi verò aut oratione complecti, aut memoria consequi possim, quæ vos P.C. ne qua interciperet obliuio, & in publica acta mittenda & incidenda in ære censuistis? Antè orationes principum tantùm eiusmodi genere monumentorum mandari æternitati solebant: acclamationes quidẽ nostræ parietibus curiæ claudebãtur. erant enim quibus nec senatus gloriari, nec princeps possent: has verò & in singulis exire, & posteris prodi, cùm ex vtilitate, tum ex dignitate publica fuit. primùm, vt orbis terrarum pietatis nostræ adhiberetur testis & conscius: deinde, vt manifestum esset audere nos de bonis malísque principibus non tantùm post ipsos iudicare: postremò, vt experimẽto cognosceretur, & antè nos gratos, sed miseros fuisse, quibus esse nos gratos probare antea non licuit. At qua contentione, quo nisu, quibus clamoribus expostulatum est ne affectus nostros, ne tua merita supprimeres? denique vt in posterum exemplo prouideres? Discant & principes acclamationes veras falsásque discernere, habeántque muneris tui, quòd iam decipi non poterunt. Non instruendum illis iter ad bonam famam, sed non deferendum: non submouenda adulatio, sed non reducenda est. Certum est & quæ facere & quæ debeant audire, si faciant. Quid nunc ego super ea quæ sum cum toto senatu precatus, pro senatu precer, nisi vt hæreat animo tuo gaudium quod tunc oculis protulisti? Ames illum diem, & tamen vincas: noua merearis, noua audias. eadem enim dici nisi ob eadẽ

facta non possunt. Iam quàm antiquum, quàm consulare quod triduum totum senatus sub exemplo tui sedit, quum interea nihil praeter consulem ageres? interrogauit quisque quod placuit: dissentire, discedere, & copiam iudicij sui reipubl. facere tutum fuit. Consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus, vicítque sententia non prima, sed melior. At quis antea loqui? quis hiscere audebat, praeter miseros illos qui primi interrogabantur? caeteri quidẽ defixi & attoniti ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem quocum dolor animi, quocum totius corporis horrore perpiciebantur? Vnus solusque censebat quod sequerentur omnes, & omnes improbarent, in primis ipse qui censuerat: adeo nulla magis omnibus displicent quàm quae sic fiunt tanquam omnibus placeant. Fortasse imperator in senatu ad reuerentiam eius componebatur: caeterum egressus statim se recipiebat in principem, omniáque consularia officia abigere, negligere, contemnere solebat. Ille verò ita consul, vt si tantum consul foret, nihil infra se putabat, nisi quod infra consulem esset: ac primùm ita domo progrediebatur, vt illum nullus apparatus arrogantiae principalis, nullus praecursorum tumultus detineret. Vna erat in limine mora, consultare aues reuererí que numinum monitus nemo perturbabatur, nemo submouebatur. Tãta viatoribus quies, tantus pudor fascibus, vt pleruunque aliena turba subsistere & consulem & principem cogeret: ipsius quidem officium tam modicum, tã tẽperatum, vt antiquus aliquísque magnus consul sub bono principe incedere videretur. Iter illi saepius in forum, frequẽter tamẽ & in campum. nam comitia consulum obibat ipse, tantũ ex renũtiatione eorũ, voluptatis, quãtũ prius ex destinatione capiebat. Stabant candidati ant

enim felicius nobis, quibus non iam illud optandum est, vt nos diligat princeps, sed dij quemadmodum princeps? Ciuitas religionibus dedita, sempérque deorum indulgentiam piè merita nihil felicitati suæ putat astrui posse, nisi vt dij Cæsarem mitentur. Sed quid singula conjector & colligo, quasi verò aut oratione complecti, aut memoria consequi possim, quæ vos P.C. ne qua interciperet obliuio, & in publica acta mittenda & incidenda in ære censuistis? Antè orationes principum tantùm eiusmodi genere monumentorum mandari æternitati solebant: acclamationes quidē nostræ parietibus curiæ claudebātur. erant enim quibus nec senatus gloriari, nec princeps possent: has verò & in singulis exire, & posteris prodi, cùm ex vtilitate, tum ex dignitate publica fuit. primùm, vt orbis terrarum pietatis nostræ adhiberetur testis & conscius: deinde, vt manifestum esset audere nos de bonis malísque principibus non tantùm post ipsos indicare: postremò, vt experimēto cognosceretur, & antè nos gratos, sed miseros fuisse, quibus esse nos gratos probare antea non licuit. At qua contentione, quo nisu, quibus clamoribus expostulatum estne affectus nostros, ne tua merita supprimeres? denique vt in posterum exemplo prouideres? Discant & principes acclamationes veras falsásque discernere, habeántque muneris tui, quòd iam decipi non poterunt. Non instruendum illis iter ad bonam famam, sed non deferendum: non submouenda adulatio, sed non reducenda est. Certum est & quæ facere & quæ debeant audire, si faciant. Quid nunc ego super ea quæ sum cum toto senatu precatus, pro senatu precer, nisi vt hæreat animo tuo gaudium quod tunc oculis protulisti? Ames illum diem, & tamen vincas: noua merearis, noua audias: eadem enim dici nisi ob eadē

facta non possunt. Iam quàm antiquum, quàm consulare quod triduum totum senatus sub exemplo tui sedit, quum interea nihil præter consulem ageres? interrogauit quisque quod placuit: dissentire, discedere, & copiam iudicij sui reipubl. facere tutum fuit. Consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus, vicítque sententia non prima, sed melior. At quis antea loqui? quis hiscere audebat, præter miseros illos qui primi interrogabantur? cæteri quidē defixi & attoniti ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem quocum dolor animi, quocum totius corporis horrore perpiciebantur? Vnus solusque censebat quod sequerentur omnes, & omnes improbarent, in primis ipse qui censuerat: adeo nulla magis omnibus displicent quàm quæ sic fiunt tanquam omnibus placeant. Fortasse imperator in senatu ad reuerentiam eius componebatur: cæterum egressus statim se recipiebat in principem, omniáque consularia officia abigere, negligere, contemnere solebat. Ille verò ita consul, vt si tantum consul foret, nihil infra se putabat. nisi quod infra consulem esset: ac primùm ita domo progrediebatur, vt illum nullus apparatus arrogantiæ principalis, nullus præcursorum tumultus detineret. Vna erat in limine mora, consultare aues reuereríque numinum monitus nemo perturbabatur, nemo submouebatur. Tāta viatoribus quies, tantus pudor fascibus, vt plerunque aliena turba subsistere & consulem & principem cogeret: ipsius quidem officium tam modicum, tā tēperatum, vt antiquus aliquísque magnus consul sub bono principe incedere videretur. Iter illi sæpius in forum, frequēter tamē & in campum. nam comitia consulum obibat ipse, tantū ex renūtiatione eorū, voluptatis, quātū prius ex destinatione capiebat. Stabant candidati ant

curulem principis, vt ipse ante consules steterat, adigebantúrque in verba in quæ paulo antè ipse iurauerat princeps, qui tantum putat esse in iureiurãdo, vt illud & ab aliis exigat. Reliqua pars diei tribunali dabatur. Ibi verò quanta religio æquitatis, quanta legum reuerentia? Adibat aliquis vt principem, respondebat se consulem esse. Nullius ab eo magistratus ius, nullius autoritas imminuta est, aucta etiam: si quidem pleraque ad prætores remittebat, atque ita vt collegas vocaret, non quia populare gratúmque audientibus, sed quia ita sentiebat. Tantum dignationis in ipso honore ponebat, vt non amplius esse censeret quod aliquis collega appellaretur à principe, quàm quòd prætor esset. Adhæc aßidum in tribunali, vt labore refici ac reparari videretur. Quis nostrûm idem curæ, idem sudoris sumit? quis adeo expetitis honoribus aut deseruit, aut sufficit? Et sanè æquum est tantùm cæteris præstare consulibus ipsum qui consules facit: quippe etiam fortunæ videbatur indignum, si posset honores dare, qui gerere non posset, facturus consules doceat, accepturísque amplißimum honorem persuadeat scire se quid sit quod daturus sit: sic fit vt illi quoque sciant quid acceperint. Quo iustius senatus vt susciperes quartum consulatum & rogauit & iußit. Imperij hoc verbum, non adulationis esse, obsequio tuo crede, quod non alia in re magis aut senatus exigere à te, aut tu præstare senatui debes. Vt enim cæterorum hominum, ita principum illorum omnium qui dij sibi videntur, æuum omne est breue & fragile est. Itaque optimum quemque niti & contendere decet vt post se quoque reipubl. prosit, moderationis scilicet iustitiæque monimentis, quæ prima statuere cos. potest. Hæc nempe intentio tua, vt libertatem reuoces ac reducas. Quem

ergo honorem magis amare, quod nomen vſurpare ſæpius debes quàm quod primum inuenit recuperata libertas? Non eſt minus ciuile, & principem eſſe pariter, & conſulem, quàm tantùm conſulem. Habes etiam rationem verecundiæ collegarum tuorum (collegarum, inquam: ita enim & ipſe loqueris, & nos loqui vis) oneroſa erit modeſtiæ illorum tertij conſulatus ſui recordatio, donec te conſulem videant. Neque enim poteſt non nimium eſſe priuatis, quod principi ſatis eſt. Annuat Cæſar optantibus, quibúſque apud deos eſſe conſueſti, quorum potens es ipſe, votorum compotes facias. Fortaſſe ſufficiat tibi tertius conſulatus: ſed nobis tanto minus ſufficit. Ille nos inſtituit & induxit vt te iterum iterúmque cos. habere cupiamus: remiſſiùs iſtud contenderemus, ſi adhuc non ſciremus qualis eſſes futurus. Tolerabilius fuit, experimentum tui nobis quàm vſum negari. Dabitúrne rurſus videre conſulem illum? audiet & reddet quas proximè voces? Præſtabítque gaudium quantum ipſe percipiet? præſidebit lætitiæ publicæ autor eius & cauſa? tentabítque affectus noſtros vt ſolet cohibere? nec poterit? pietati ſenatus cum modeſtia principis fœlix ſpecioſúmque certamen, ſeu fuerit victa, ſeu vicerit. Equidem incognitam quandam proximáque maiorem præſumo lætitiam. Quis enim eſt tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem conſulem ſperet, quanto ſæpius fuerit? Alius labores, ſi non continuò deſidiæ ac voluptati dediſſet, otio tamẽ & quiete recreaſſet: hic conſularibus curis exſolutus, principales reſumpſit, tam diligens temperamenti, vt nec conſulis officium princeps, nec principis conſul appeteret. Videmus vt prouinciarum deſideriis, vt ſingularum etiam ciuitatum præſidiis occurrat. nulla in audiẽdo difficultas, nulla in reſpõ-

*dendo, mora. Adeunt statim, dimittuntur statim:
tandémque principis fores exclusa legationum tur-
ba non obsidet. Quid? in omnibus excogitationibus
quàm mitis seueritas, quàm non dissoluta clemen-
tia? Non locupletando fisco sedes, nec aliud tibi sen-
tentiæ tuæ pretium, quàm bene iudicasse. Stant ante
te litigatores non de fortunis suis, sed de tua existi-
matione soliciti, nec tam verentur quid de causa sua
quàm quid de moribus sentias. O veri principis,
atque etiam consulis, reconciliare æmulas ciuita-
tes, tumentésque populos non imperio magis quàm
ratione compescere, intercedere iniquitatibus ma-
gistratuum, infectúmque reddere quicquid fieri
non oportuerit: postremò, velocissimi sideris more
omnia inuisere, omnia audire, & vndecúmque
inuocatum statim velut numen adesse, & assiste-
re. Talia esse crediderim quæ ipse mundi parens
temperat nutu, siquando oculos demisit in terras,
& facta mortalium inter diuina opera numerare
dignatus est, quibus nūc per te liber solutúsque cælo
tantùm vacat, postquam te dedit qui erga omne
hominum genus vice sua fungereris. fungeris enim
sufficisque mandanti, quum tibi dies omnis summa
cum vtilitate nostra, cum tua laude condatur.
Quòd siquando cum influentibus negotiis paria fe-
cisti, instar refectionis existimas mutationē laboris.
Quæ enim remissio tibi nisi lustrare saltus? excutere
cubilibus feras? superare immensa montium iuga,
& horrentibus scopulis gradum inferre, nullius
manu, nullius vestigio adiutum? atque inter hæc pia
mente adire lucos, & occursare numinibus? Olim
hæc experientia iuuentutis, hæc voluptas erat, his
artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fu-
gacibus feris, cursu; cum audacibus, robore; cū calli-
dis, astu: nec mediocre pācis dec' habebatur submota*

campis irruptio ferarum, & obsidione quadam liberatus agrestium labor. Vsurpabant gloriam istam illi quoque principes qui obire non poterant: vsurpabant autem vt domitas fractisque claustris feras, ac deinde in ipsorum quidem ludibrium emissas mẽtita sagacitate colligerent. Huic par capiendi quaerendíque sudor, summúsque & idem gratissimus labor, inuenire. Enimuero siquando placuit idem corporis robur in maria proferre, non ille fluitantia vela aut oculis sequitur aut manibus: sed nunc gubernaculis assidet, nunc cum valentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remísque transfretare obstantia freta. Quantum dissimilis illi qui non Albani lacus otiũ, Baianíque torporem & silentium ferre, non pulsum saltem fragorémque remorum perpeti poterat, quin ad singulos ictus turpi formidine horresceret. Itaque procul ab omni sono inconcussus ipse & immotus, religato reuinctóque nauigio non secus ac piaculum aliquod trahebatur. Fœda facies quum P. R. imperator alienum cursum, alienúmque rectorum velut capta naue sequeretur. Nec deformitate ista saltem flumina carebant, atque amnes, Danubius ac Rhenus, tantum illud nostri dedecoris vehere gaudebant, non minore cum pudore imperij, quòd hæc Romanæ aquilæ, Romana signa, Romana denique ripa, quàm quòd hostiũ prospectarẽt: hostiũ, quibus moris est eadem illa nunc rigentia gelu flumina, aut campis superflua, nunc liquida ac deferentia lustrare nauigiis, nandóque superare. Nec verò laudauerim per se magnopere duritiem corporis ac lacertorum, sed si his validior toto corpore animus imperaret, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, non copiæ principales ad segnitiem luxúmque detorqueant: tunc, ego, seu montibus seu

mari exerceatur, & lætum opere corpus, & crescentia laboribus membra mirabor. Video enim iam inde antiquitus maritos dearum, ac deorum liberos nec dignitate nuptiarum magis quàm his artibus inclaruisse. Simul cogito quum sint ista ludus & auocamentum huius, illæ seriæ & intentæ, & à quibus se in tale otium recipit, voluptates. Sunt enim voluptates, quibus optimè de cuiusque grauitate, sanctitate, temperantia creditur. Iam quis adeo dissolutus, cuius non occupationibus aliqua species seueritatis insidat? Otio prodimur. Annon plerique principes hic idem tempus in aleam, stupra, luxum conferebant, quum feriarum laxamenta curarum vitiorum contentione supplerent? Habet hoc primum magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum esse patitur: principum verò non modò domos, sed cubicula ipsa intimósque secessus recludit, omniáque arcana noscenda famæ proponit atque explicit. Sed tibi Cæsar, nihil accommodatius fuerit ad gloriam, quàm penitus inspici. Sunt quidem præclara quæ in publicum profers, sed non minora ea quæ limine tenes. Est magnificum quòd te ab omni contagione viti[illegible] reprimis ac reuocas, sed magnificẽtius quòd tuos. Quanto enim magis arduũ est alios præstare quàm se, tãto laudabilius quòd ipse quũ sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. Multis illustribus dedecori fuit, aut inconsultiùs vxor assumpta, aut retenta patientiùs: ita foris claros domestica destruebat infamia, & ne maximi ciues haberentur hoc efficiebat, quòd mariti minores erant. Tibi vxor in decus & gloriam cedit: quid enim illa sanctius? quid antiquius? Nónne si pontifici maximo diligenda sit coniunx, aut hãc, aut similem (vbi est autem similis?) elegerit? quàm illa nihil sibi ex fortuna tua, nisi gaudium vẽdicat?

quàm conſtanter non potentiam tuam, ſed ipſum te reueretur? Idem eſtis inuicem quod fuiſtis: probatis ex æquo, nihílque vobis fœlicitas addidit, niſi quòd ſcire cœpiſtis quàm bene vterque veſtrûm felicitatem ferat. Eadem quàm modica cultu? quàm parca comitatu? quàm ciuilis inceſſu? mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita inſtituit. nam vxori ſufficit obſequij gloria. An quum videat quàm te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non & ipſa cum ſilentio incedat? ingredientémque pedibus maritum in quantum patitur ſexus imitetur? Decuerit hoc illam, etiamſi diuerſa tu facias. Sub hac verò modeſtia viri, quantam debet verecundiam vxor marito? fœmina ſibi? Soror autem tua, vt ſe ſororem eſſe meminit? vt in illa tua ſimplicitas, tua veritas, tuus candor agnoſcitur? vt ſiquis eam vxori tuæ conferat, dubitare cogatur vtrum ſit efficacius ad rectè viuendum, bene inſtitui, aut feliciter naſci. Nihil eſt tam pronum ad ſimultates quàm æmulatio, in fœminis præſertim: ea porro maximè naſcitur ex coniunctione, alitur æqualitate, exardeſcit inuidia, cuius finis eſt odium. Quo quidem admirabilius exiſtimandum eſt quòd mulieribus duabus in vna domo paríque fortuna nullum certamen, nulla contentio eſt. Suſpiciunt inuicem, inuicē cedunt: quúmque te vtraque effuſiſſimè diligat, nihil ſua putant intereſſe vtram tu magis ames. Idem vtrique propoſitum, idem tenor vitæ, nihílque ex quo ſentias duas eſſe; te enim imitari, te ſubſequi ſtudent. Ideo vtraque mores eoſdem, quia vtraque tuos habet: inde moderatio, inde etiam perpetua ſecuritas. Neque enim vnquam periclitabuntur eſſe priuatæ, quæ non deſierunt. Obtulerat illis ſenatus cognomen Auguſtarum, quod certatim deprecatæ ſunt, quandiu appellationem patris patriæ tu-

recusasses, seu quòd plus esse in eo iudicabant, si uxor & soror tua, quàm si Augustæ dicerentur. Sed quæcunque illis ratio tantam modestiam suasit, hoc magis dignæ sunt quæ in animis nostris & sint & habeantur augustæ, quia non vocantur. Quid enim laudabilius fœminis, quàm si verum honorem non in splendore titulorum, sed in iudiciis hominum reponant? magnísque nominibus pares se faciant, etiam dum recusant? Iam etiam & in priuatorum animis exoleuerat priscum mortalium bonum amicitiæ, cuius in locum migrauerant assentationes, blanditiæ, & peior ordo amoris simulatio, etenim in principum domo nomen tantum amicitiæ inane scilicet irrisúmque manebat. Nam quæ poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi alij domini, alij serui videbantur? Tu hanc pulsam & errantem reduxisti. Habes amicos, quia amicus ipse es. neque enim vt alia subiectis, ita amor imperatur: neque est vllus affectus tam erectus, & liber, & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. Potest fortasse princeps iniquè, potest tamẽ odio esse nonnullis etiamsi ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest. Diligis ergo quum diligaris, & in eo quod vtrique honestissimum est, tota gloria tua est, qui superior factus descendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex imperatore submitteris: immo tunc maxime imperator quum amicum ex imperatore agis. Etenim quum plurimis amicitiis fortuna principum indigeat; præcipuum est principis opus, amicos parare. Placeat tibi semper hæc secta, & cùm alias virtutes tuas, tum hanc constantissimè teneas, nec vnquam persuadeatur humile esse principi, nisi odisse. Iucundissimum est in rebus humanis amari, sed non minus amare: quorum vtroque ita

frueris, vt quum ipse ardentissimè diligas, adhuc tamen ardentiùs diligaris. primùm, quia facilius est vnũ amare quàm multos: deinde, quia tibi amicos tuos obligandi adest facultas tanta vt nemo possit te, nisi ingratus, non magis amare. Operæpretium est referre quod tormentum tibi iniunxeris, nequid amico negares: dimisisti optimum virum, tibi charissimum, inuitus & tristis, & quasi retinere non posses, quantum amares eum desiderio expertus es, distractus separatúsque dum cedis & vinceris. Ita quod fando inauditum, quum princeps & principis amicus diuersa velletis, id potiùs factum est quod amicus volebat. O rem memoriæ literísque mãdandam, præfectum pretorij non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus legere: eundémque otio, quem pertinaciter amet, reddere: quũmque sis ipse distentus imperij curis, non quietis gloriam cuiquam inuidere! Intelligimus Cæsar, quantum tibi pro laboriosa ista statione & exercita debeamus, quũ otium à te, tanquam res optima, & petatur & detur. Quam ego audio confusionem tuam fuisse quum digredientem prosequereris? prosequutus enim nec temperasti tibi quominus exeunti in littore amplexus osculum ferres. Stetit Cæsar in illa amicitiæ specula, precatúsque maria, celerémque (si tamen ipse voluisset) recursum, nec sustinuit recidentem, non etiam atque etiam votis, lacrymis sequi. Nam de liberalitate taceo. quibus enim muneribus æquari hæc cura principis, hæc patientia potest, qua meruisti vt ille sibi nimium fortis, ac propè durus videretur? Nec dubito quin agitauerit secum an gubernacula retorqueret: & fecisset, nisi quòd penè ipso contubernio principis felicius iucundiúsque est desiderare principem. Et ille quidem vt maxima fructus suscepti, ita maiore depositi officij

gloria fruitur: tu autem facilitate ista consequutus es ne quem retinere videaris inuitum. Ciuile hoc erat & parenti publico conuenientissimum, nihil cogere, semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, vt non sit gratior potestate libertas. Dignus es Cæsar qui officia mandes deponere optantibus, qui petentibus vacationem inuitus quidem, sed tamen tribuas, qui ab amicis orantibus requiem non te relinqui putes qui semper inuenias & quos ex otio reuoces, & quos otio reddas. Vos quoque quos parens noster familiariter inspicere dignatur, fouete iudicium eius quod de vobis habet: hic vester labor est. Princeps enim quum in vno probauit amare se scire, vacat culpa si alios minus amat. Ipsum quidem quis mediocriter diligat, quum leges amandi non det, sed accipiat? hic præsens, ille mauult absens amari: vterque ametur, vt mauult: nemo in tædium præsentiæ, nemo in obliuionem absentiæ veniat. Tenet quisque locũ quem semper meruit: faciliúsque est vt oculis eius vultus absentis quàm vt animo charitas excidat. Plerique principes, quum essent ciuium domini, libertorum erant serui, horum consiliis, horum nutu regebantur: per hos audiebant, per hos loquebantur: per hos præturæ etiam, & sacerdotia, & consulatus, immo & ab his petebantur: tu libertis tuis summum quidem honorem, sed tanquam libertis habes, abundéque sufficere his credis, si probi & frugi existimentur. Scis enim præcipuum esse indicium non magni principis, magnos libertos. Ac primùm neminem in vsu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuique principum dilectum: statímque hos ipsos quotidie, deinde ita formas, vt se non tua fortuna, sed sua metiantur: & tanto magis digni quibus honor omnis præstetur à nobis, quia

non est necesse. Iustísne de causis S.P.Q.R. optimi tibi cognomen adiecit? Paratum id quidem & in medio positum, nouum tamen: scias neminem antè meruisse, quod non erat excogitandum, siquis meruisset. An satius fuit felicem vocare? quod non moribus, sed fortunæ datum est. Satius magnum? cui plus inuidiæ quàm pulchritudinis inest. Adoptauit te optimus princeps in suum, senatus in optimi nomen. Hoc tibi tam proprium quàm paternum, nec magis diffinitè distinctéque designat qui Traianum, quàm qui optimum appellat; vt olim frugalitate Pisones, sapientia Lælij, pietate Metelli monstrabantur: quæ simul omnia vno isto nomine continentur, nec videri potest optimus, nisi qui est omnibus optimis in sua cuiusque laude præstantior. Meritò tibi ergo post cæteras appellationes hæc est addita, vt maior. Minus est enim Imperatorem, & Cæsarem, & Augustum, quàm omnibus Imperatoribus, & Cæsaribus, & Augustis esse meliorem: ideóque ille parens hominum deorúmque optimi priùs, deinde maximi nomine colitur: quo præclarior laus tua, quem non minùs constat optimum esse quàm maximum. Assequutus es nomen quod ad alium transire non possit, nisi vt appareat in bono principe alienum; in malo, falsum: quod licèt omnes postea vsurpent, semper tamen agnoscetur vt tuum. Etenim vt nomine Augusti admonemur eius cui primùm dicatum est: ita hæc optimi appellatio nunquam memoriæ hominum sine te recurret: quotiésque posteri nostri optimum aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur quis meruerit vocari. Quanto nunc, diue Nerua, gaudio frueris quum vides & esse optimum & dici, quem tanquam optimum elegisti! quàm lætum tibi quòd comparatus filio tuo vinceris! Neque enim alio magis appro-

batur animi tui magnitudo, quàm quòd optimus ipse non timuisti eligere meliorem. Sed & tu pater Traiane (nam tu quoque si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem) quantam percipis voluptatem, quum illum tribunum, illum militem tuum, tantum imperatorem, tantùm principem cernis? cúmque eo qui adoptauit amicißimè cõtendis, pulchrius fuisse genuisse talem, an elegisse? Macte vterque ingenti in rempubl. merito, cui hoc tantum boni contulistis: licèt alteri vestrûm filij virtus triumphalia, cælum alteri dederit, non minor tamen vestra laus, quòd ista per filium quàm si ipsi meruissetis. Scio, P. C. cùm cæteros ciues, tum præcipuè consules oportere sic affici, vt se publicè magis quàm priuatim obligatos putent. Vt enim malos principes rectius pulchriúsque est ex communibus iniuriis odisse quàm propriis, ita boni speciosiùs amantur ob ea quæ generi humano, quàm quæ hominibus præstant: quia tamen in consuetudinem venit, vt consules publica gratiarum actione perlata, suo quoque nomine quantùm debeant principi, profiteantur, concedite me non pro me magis munere isto, quàm pro collega meo Cornuto Tertullo, consulari viro, fungi. Cur enim non pro illo quoque gratias agam, pro quo non minùs debeo? præsertim quum indulgentißimus imperator in concordia nostra ea præstiterit ambobus, quæ si tantùm in alterum contulisset, ambos tamen æqualiter obligasset. Vtrunque nostrûm ille optimi cuiusque spoliator & carnifex stragibus amicorum, & in proximum iacto fulmine afflauerat. iisdem enim amicis gloriabamur, eosdem amissos lugebamus: ac sicut nunc spes gaudiúmque, ita tunc communis nobis dolor & metus erat. Habuerat hunc honorem periculis nostris diuus

Nerua, vt nos, & si minus vt bonos promouere vellet, quia mutati seculi signũ & hoc esset quòd florerent: quorum præcipuum votum antè fuerat, vt memoriæ principis elaberentur. Nondum biennium compleramus in officio laboriosissimo & maximo, quum tu nobis, optime principum, fortissime imperatorum, consulatum obtulisti, vt ad summum honorem gloria celeritatis accederet. Tantum inter te & illos principes interest qui beneficiis suis commendationem ex difficultate captabant, gratióresque accipientibus honores arbitrabantur, si priùs illos desperatio, & tædium, & similis repulsæ mora in notam quandam pudorémque vertissent. Obstat verecundia quominus percenseamus quo vtrunque nostrûm testimonio ornaris, vt amore recti, amore reipubl. priscis illis consulibus æquaueris, meritò nécne neutram in partem decernere audeamus: quia nec fas est affirmationi tuæ derogare, & onerosum confiteri vera esse quæ de nobis præsertim tam magnifica dixisti. Tu tamen dignus es qui eos consules facias de quibus possis ista prædicare. Tribuas veniam, quòd inter hæc beneficia tua gratissimum est nobis quòd nos rursus collegas esse voluisti: ita charitas mutua, ita congruens tenor vitæ, ita vna eadémque ratio propositi postulabat: cuius ea vis vt morum similitudo concordiæ nostræ gloriam minuat: ac perinde sit mirum si alter nostrûm à collega ac si à seipso dissentiat. Non ergo temporarium & subitum est quòd vterque collegæ consulatu tanquam iterum suo gaudet: nisi quòd tamen qui rursus consules fiunt, bis quidem, sed temporibus diuersis obligantur. nos duos consulatus accipimus simul, simul gerimus, alter quæ in altero cos. sed iterum & pariter sumus. Illud verò quàm insigne, quòd nobis

præfectis ærario consulatum antequam successorem dedisti? Aucta est dignitas dignitate: neque continuatus tantùm, sed geminatus est honor, finémque potestatis alterius tanquam parum esset, excipere præuenit. Tanta tibi integritatis nostræ fiducia fuit, vt non dubitares te salua diligentiæ tuæ ratione esse facturum, si nos post maximum officium priuatos esse non sineres. Quid quòd eundem in annum consulatum nostrum contulisti? Ergo non alia nos pagina, quàm te consulem accipiet: & nostra quoque nomina addentur fastis quibus ipse præscriberis. Tu comitiis nostris præsidere, tu nobis sanctissimum illud carmen praire dignatus es: tuo iudicio consules facti, tua voce renuntiati sumus, vt idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator existeres. Nam quòd eum potissimum mensem attribuisti, quem tuus natalis exornat, quàm pulchrum nobis, quibus edicto, quibus spectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio lætum, qui principem abstulit pessimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit? Nos sub oculis tuis augustior solito currus accipiet, nos inter secunda omina, & vota certantiá, quæ præsenti tibi conferentur, vehemur alacres & incerti ex vtra parte maior auribus nostris accidat clamor. Super omnia tamen prædicandum videtur quòd pateris consules esse quos fecisti: quippe nullum periculum, nullus ex principe metus consulares animos debilitat & frangit, nihil inuitis audiendum, nihil coactis decernendum erit. Manet manebitque honori veneratio sua, nec securitatem autoritate perdemus. Ac siquid fortè ex consulatus fastigio fuerit diminutum, nostra hæc erit culpa, non seculi. licet enim quantum ad principem, licet tales consules agere quales ante principes erant.

Vllámne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possumus, nisi tantùm illam vt semper nos meminerimus consules fuisse, & consules tuos? Ea sentiamus, ea censeamus quæ consularibus digna sunt: ita versemur in republica, vt credamus esse rempubl. nõ consilium nostrum, non operam subtrahamus, nec disiunctos nos, & quasi dimissos consulatu, sed quasi astrictos & deuinctos putemus, eundémque locum laboris & curæ, quem reuerentiæ dignitatísque teneamus. In fine orationis præsides custodésque imperij deos ego consul pro rebus humanis, ac te præcipuè, Capitoline Iupiter, precor vt beneficijs tuis faueas, tantísque muneribus addas perpetuitatem. Audisti quæ malo principi precabamur, exaudi quæ pro dissimillimo optamus. Non te distringimus votis: non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores: simplex cunctáque ista, complexum vnum omnium, votum est, salus principis. Nec verò noua tibi iniungimus; tu enim iam tunc illum in tutelam recepisti, quum prædonis auidissimi faucibus eripuisti. Neque enim [illegible] *ue auxilio tuo quum altissima quæque quaterentur, hic qui omnibus excelsior erat, inconcussus stetit, præteritus est à pessimo principe, qui præteriti ab optimo non potuit. Tu clara iudicij tui signa misisti, quum proficiscenti ad exercitum tuo nomine, tuo honore cessisti: tu voce imperatoris quid sentires locutus, filium illi, nobis parentem, tibi pontificem maximum elegisti. Quo maiore fiducia iisdem illis votis quæ ipse pro se nuncupari iubet, oro & obtestor, si bene rempubl. si ex vtilitate omnium regit, primùm vt illum nepotibus nostris ac proponentibus serues: deinde vt quandoque successorem ei tribuas, quem genuerit, quem formauerit, similémque fecerit adoptato: aut si hoc fato negatur, in consilio sis*

eligenti, monstrésque aliquem quem adoptari in Capitolio deceat. Vobis P. C. quantum debeam, publicis etiam monumentis continetur. Vos mihi in tribunatu quietis, in prætura modestiæ: vos in istis officiis etiam quæ è studiis nostris circa tuendos socios iniunxeratis cuncti constantiæ antiquissimum testimonium perhibuistis: vos proximè destinationē consulatus mei his acclamationibus approbauistis, vt intelligam, etiam atque etiam enitendum mihi vt hunc consensum vestrum complectar, & teneā, & in dies augeam. Etenim memini tunc verissimè iudicari, meruerit quis honorem, nécne, quum adeptus est. Vos modò fauete huic proposito, & credite, si cursu quondam prouectus ab illo insidiosissimo principe, antequam profiteretur odium bonorum, postquam professus est, substitui: quum viderem quæ ad honores compendia paterent, longius iter malui: si malis temporibus inter mæstos & pauentes, bonis inter securos gaudentésque numeros: si denique in tantum diligo optimum principem, in quātum inuisus pessimo fui. Ego reuerentiæ vestræ sic semper inseruiam, non vt me consulem, & mox consularem, sed vt candidatum consulatus putem.

IN ALIQVOT LOCOS EPISTOLARVM Plinij,

NOTAE *Isaaci Casauboni.*

IN LIBRVM I.

EPIST. V.

P*Arce, inquiens.*) Probo alteram lectionem quæ non agnoscit vocem *inquiens.* Legendum enim, *addit preces suas, vt decebat optimum virũ pro dissimillimo, parcé. Cui ego.* parcè est πεφεισμένως & moderatè cautéq;: non φείδε aut σύγγνωθι. quod qui non animaduertebant, locum corruperunt.

In prætoris officio. Malè qui legunt, *in prætoris iudicio* Officium in hoc auctore, Suetonio, Iuuenale & aliis id genus, est quam scriptores Græci recentiores παρέστασιν dicunt: quando honoris causa præsentiam nostram alicui commodamus.

Satrius Rufus cui est cum Cic. Scribendum *Satrius Rufus, & cui est cum Cicerone æmulatio.* paret ex sequentibus.

EPIST. VII.

Quæ nunc cum ficis & boletis certandum habent) Nihil erat causę cur hac lectione docti viri offenderentur: qui profectò non meminerant dixisse Plinium epistola sequenti, *quum enitendum haberemus.* itémque libro octauo *quæ facienda ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus.*

EPIST. VIII.

Idcirco quòd gloriam non meruit) Hæc vera lectio: nam quòd negationem quidam non agnoscunt: illi verò frustrati sunt, *Meruit* est ἔτυχε. Sensus est, Præclara facta etiam si laudatores non inueniant, non ideo minùs esse pulchra. Verbum mereri non semper ἀξιοῦσθαι significare, sed τυγχάνειν, & factum notare non ius, notius est quàm vt probatione egeat.

EPIST. X.

Et persuaderi tibi etiam quum persuaserit cupias) Ferri fortasse potest: quid si tamen adiecta negatione legas, *etiam quum non persuaserit.*) hoc est, etiam si in re ab eo dissentias, dulcedine tamen orationis eius capiaris.

An vt magis angar? quod non licet) Scribe *an magis angar, quod non licet.*

EPISTOLA XII.

Quæ ætas etiam robustißimis satis longa : est scio) Ita omnino legendum est, vt verbũ *Scio* præcedentem sententiam claudat, & hîc & duobus deinceps locis, non inchoet, vt in aliis editionibus. Sic in epistola XXI. libri noni. Tale illud Symmachi ad Ausonium. *Quæstor es:memini. Consilij regalis particeps:scio. precum conditor:recognosco.*

EPIST. XX.

Itaque quod audis frequenter) Inducendum τὸ *quod.* assentientibus etiam quibusdam editionibus.

EPIST. XXIIII.

Scholasticis porro studiosis, vt hic est, sufficit) Perspicuè expungẽda vox *studiosis*: quæ sine dubio ex glossa est profecta, & in editione Florẽtina nõ habetur. Legitur etiam *dominis* pro *studiosis* : æquè ineptè:nisi patet aliquis in *hominibus* esse mutãdũ, seruatis eius vocis vestigiis: quod non displiceat. Iacobus verò Lectius, vir, sine dolo dicam, magnus, & ingenij incertum maioris an iudicij, ita hunc locum legebat & distinguebat. *Scholasticis porro, domus, vt hîc est sufficit abũdè:tãtũ soli, &c.*

IN LIBRVM II.

EPIST. III.

Statim omnia ac penè pariter ad manum: sensus rec) Ita distingue, *Surgit, amicitur, incipit: Statim omnia, ac pene pariter ad manum sensus reconditi: occursant verba: sed qualia? quæsita & exculta.* Fortasse etiam legendum, *scin' qualia? non sed.* familiare comicis loquendi genus: quos hic non rarò imitatur.

Postremò docet, delectat, afficit, (quod max.) Distingue, *afficit. quod maximè dubites, crebra, &c.*

EPIST. VIII.

Acuent ad bonas artes iuuentutem: adolesc.) Distingue, *Acuent ad bonas artes iuuentutem, adolescentibus quoque (digni sint) modò præmia constituta: acuent principes, &c.*

EPIST. IX.

Vereor vt Cæsarem decepisse videar) Corruperunt hunc locum qui inseruerunt de suo τὸ *vt*: quod etiam priores editiones non habent: nec ferri potest.

EPIST. X.

Nominem te patientem] Vera lectio eſt quam immeritò Catanæus non probat: *Hominem te patientem, vel potius durum! qui tam inſignes libros tamdiu teneas.* Quis in epiſtolis M. Tullij illa non obſeruauit? *Homines ridiculos! qui* &c. item, *Hominem ridiculum! qui.* & alibi, *Lepidum amicum Saluſtium! qui.* &c. talia ſunt ſexcenta in Cicerone. Simile principium epiſtolæ XXI. infra libro quarto: *Triſtem & acerbum caſum Heluidiarum ſororum!* nec multo aliter orditur epiſtolã XXIIII. libri ſexti.

EPIST. XI.

Vſque ad Pompeium collegam) Scribe *Collegam*, & ita deinceps ſemper in hac epiſtola.

EPIST. XIIII.

Quam μεσόχορος dedit ſignum.] Immeritò doctis hominibus ſuſpecta eſt vox μεσόχορος: cui ſtabiliendæ, hoc loco vel id ſatis ſit quod apud Sidonium Apollinarem merum ſimiam huius ſcriptoris legitur. Eſt autem μεσόχορος idem planè cũ eo qui κορυφαῖος vocabatur, οὗ κατάρξαντος, vt eſt in libello De mundo, συνεπήχει πᾶς ὁ χορός. Ille præcinebat, reliquus chorus accinebat concinebátque. Idem officium eius qui ſymphoniacis celeuma canentibus in naui modum dabat: quem Plautus aliíque priſci, dixerunt portiſculum, Seneca, pauſarium.

EPIST. XIX.

Omnésque quos ego noui in vtraque parte calculos pone) Malim *, quos ego moui.* Suprà enim disputauit in vtranque partem,& dubitandi rationes protulit. Iuuat quod idem auctor libro tertio, *motus, consilij*, pro caussis & rationibus consilij dixit, epistola IIII.

IN LIBRVM TERTIVM.

EPIST. I.

Quin etiam parua hæc, parua, si non) Notę parentheseôs lucem aliquam afferent *quinetiã, parua hæc, (parua, si non quotidie fiant,) ordine quodam*, &c.

EPIST. IIII.

Verum etiam alij quidem minoris, sed tamen numeri. Legerim, vel sic, *alij minores quidem, sed tamẽ numeri.* vel ita potius, *alia minoris quidem, sed tamen numeri.* hoc est, alia quæ minoris quidem erant ponderis quàm auctoritas (e natus : alicuius tamen erant apud me momenti. Ea quæ fuerint ipse subiicit. Similiter loquitur epistola X I. *in hoc vno, honesto quidem, sed tamen errore versatur.* & alibi.

EPIST.

EPISTOLA V.

Quem interdiu leuem & fac.) Puto post vocem *æstate* demum finiendam esse parenthesin.

Tāquam aliquā lege cogēte hæc inter.) Distingue, *tanquam aliqua lege cogente. Hæc inter*, &c. Romani plerique omnes partem anni in vrbe degebant: partem in secessu. Dixit de vita vrbana: subiicit statim de ratione vitæ in secessu.

EPIST. IX.

Vnde varietas? vnde plures actiones?] Posterior interrogationis nota delenda. Paullo pòst tollēda parēthesis ibi, *ita mirū pudorem*. Nec multo pòst in eadem epistola scribendum, *tanquam in causa Castæ (hæc vxor Classici) præuaricaretur.* Sensus paret. Sub finem scribe. *Interrogo ipse me an aliquid omiserim rursus: & rursus pene omisi.* ait, *rursus omiserim:* quia semel iam omiserat aliquid. dixit enim suprà *succurrit quod præterieram & quidem serò.* Ita esse distinguendum eruditissimus Catanæus non vidit.

EPIST. XI.

Atque hæc feci tum s.) Totus locus qui ob prauam distinctionem hiulcus est, ita con-

cipiendus. *Atque hæc feci cum septem amicis meis aut occisis aut relegatis: (occisis Senecione, Rustico, Heluidio: relegatis, Mauricio: Gratilla, Arria, Fannia:)tot circa me iactis fulminibus quasi ambustus mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurarer.*

EPISTOLA XII.

Describit enim eos) Malim, *Scribit enim* Syllaba de ex fine præcedentis vocis huius initio malè adhæsit. Paullo antè distingue, *Erunt officia antelucana: in quæ*, &c. hoc est, Cœna esto eiusmodi, quę non impediat officia ante lucem obeunda. Tale fuit officium antelucanum, de quo in epistola de Plinio suprà. *Ante lucem ibat ad Vespasianum imperat.*

EPISTOLA XVII.

Rectène omnia.) Totũ huius epistolę principium ita deprauatũ est in omnibus, credo, codicibus, vt OEdipo videatur opus. Planissimus autẽ erit, si sic legas & distinguas, *Rectène omnia? quòd iam pridem epistolæ tuæ cessant. an omnia quidem rectè; sed occupatus es tu? an tu nõ occupatus, sed occasio scribendi vel rara vel nulla?* Potes & ita. *Rectène omnia, (quòd iam pridẽ epistolæ tuæ cessant) an non omnia rectè? Vel occupatus es*, &c. Illud, *quòd iamp.* perinde est ac si diceret, hoc quæro quòd iamp.

EPIST. XVIII.

At mihi quidē.] Ponc τιλεία στιγμὴν post scribent. & lege, *Ac mihi q.* deinde distingue ita, *inducta: non ideo t.* pendet enim sententia.

EPIST. XIX.

Aliquid tamē fœnore.) Placet mihi validissimè Lectij mei coniectura, qui traiectis literulis duabus ita hunc locum emendat. *sum quidem propè totus in prædiis: aliquid tamen fœnero: nec molestum erit mutuari.* Verū quidem est, ait Plinius, magnam partem opum mearū in prędiis esse sitam: sed tamen etiam in nominibus aliquid habeo: quod tamen ipsum si non sufficiat, mutuabor à socru.

IN LIBRVM QVARTVM.

EPIST. I.

Tanto maiore studio.) Repete ex fine præcedentis dictionis syllabam *it*, ac lege, *Id tanto mai.*

EPIST. II.

Manulos mulios, & vinctos & solutos, Iniunctos & sen.

EPIST. X.

Idem tamen sic adscrip. Eidem.

EPIST. XVI.

Præfecti ærario populóque vindic.) Lego, *Heredes scribæ sibi: præfecti ærarij, ærario populóq. vindicabant.* geminatio eiusdem vocis huic loco fraudi fuit, vt aliis (Romano more loquor) sexcentis.

EPIST. XIX.

Parentis loco venerere.) Scribo sic hunc locũ, *Nam quum matrem meam parentis loco venerarere, me quoque à pueritia statim form.* &c.

EPIST. XXV.

Magnóque clamore ei qui scripsisset, iratum principem est comprecatus.) Ita restitueram pridem ineptam lectionem quæ in multis editionibus legitur. Formula erat illis temporibus vsitata qua per nefandam adulationẽ principi tribuebant, quod priores Deo. sic epistola quinta libri sexti, *propitium Cæsarem alicui precari.* Et ita accipi ille locus Symmachi libro primo, epistola octaua debet, *Ita me Dij dominis probabilem præstent, vt ego hoc*

tuum carmen libris Maronis adiungo. Apud Senecam verò sępe leges, Deum precari alicui facilem aut iratum.

EPIST. XXVII.

Tertius dies est quòd audiui.) Scripserat, puto, *quo*, vel *ex quo*. Cicero diceret *quum*. Plinius tamen iterum sic loquitur epistola decima quarta, libri octaui: *Breue tempus, quod libet scire quid simus.* Mihi verò etiam ille locus atque alij similes mendum continere videtur. Mox illa verba *poematia appellat*, non debent notis parentheseos includi. In hendecasyllabis Sentij Augurini quos huic epistolæ inclusit Plinius, videntur esse quædam quæ parum fluant. Ac fortasse ita hæc sunt concipienda.

Vnus Plinius est mihi (priores
Mauult versiculos foro is relicto:
Et quærit quod amet putátque amari)
Ille Plinius, ille, quod Catones.

In quibusdã editionibus disertè extat *quod Catones*, non *quid*. In iisdem est ita scriptum hoc carmen, *Vnus Plinius est mihi priores.* quod durè dictum mihi videatur. Quid si etiam legas *probátque amari* non *putat*? non enim putare ita Latini accipiunt, vt Græci suum νομίζειν, pro solere & in moribus ac consuetudine habere.

γιγνώσκων ὅτι.) Fallitur interpres qui putat sesquiuersum hunc sumptum esse ex Phœnissis Euripidis, vnde postea librariorũ incuria exciderit: non enim ex Phœnissis,

ſed de Phœnice eius poëtæ hæc tranſtulit Plinius. Integrum locũ habes apud Æſchinem in ea contra Timarchum.

EPIST. XXIX.

Exercere etiam leuiſſimi poſſunt.) Imò *leniſſimi.*

IN LIBRVM QVINTVM.

EPIST. III.

Et satyricos intelligo.) Omnino altera lectio, *Et Socraticos intelligo*, videtur indicare veram lectionem esse *Sotadicos*. quod & eruditissimo Catanæo venisse in mentem video.

Mihi modestior constantia.] Lego *conscientia.*

EPIST. IV.

Dixerunt se deceptos.] Distingue, *dixerunt se deceptos: Ipsíne verbo, an quia ita sentiebant?*

Erexi aures tuas quandiu.] Et hæc ab interpunctione laborant Scribæ, *Erexi aures tuas: quandiu nunc oportet quàm blandè roges, vt reliqua cognoscas.*

EPIST. VI.

Atque etiam viridissimam profert interdum.] Muta sic distinctionem in omnibus quas vidi editionibus vitiosam: *atque etiam viridissimam profert. Interdum, sed non sæpius quàm sub vrbe nostra necat.* Deinde scribe, *semper aër spiritu aliquo mouetur.* Iterum mox ita interpunge, *senes multos videas auos proauósque iam iuuenum.* cuius lectionis argutia pro longiore confirmatione erit.

EPIST. VII.

Huic quadringentorum millium.) Lege vt in quibusdam codicibus, *huic quadringenta millia, paullo amplius tertiam partem, ex aduentitio denegem?* Appellat quadringenta sestertiûm millia, paullo ampliùs tertiam partem sestertij vndecies: & quum de suo patriæ hăc summam contulerit, non grauatè eidem ex aduentitio illam quoque se ait collaturum. quod autem in quibusdā libris *sedecies* scribitur, falsum manifestò est. *sestertium* verò non *sestertiûm* scribendum ex vsu auctorum eius sæculi.

EPIST. VIII.

Vetera & scripta aliis, parata inq.) Totus locus ita concipi debet: *vetera & scripta aliis? parata inquisitio, sed onerosa collatio. intacta & noua? graues offensæ, leuis gratia.* Sic amat loqui Cicero, sic Plinius: vel vide epistolam XVIII. libri septimi.

Nam præterij quod.] Turbat doctos viros hic locus: tu lege, *Nam præter id quod,* &c. nihil iam planius.

EPIST. XVII.

Posteris ipsis præferret.) Scribe, *ipse.*

EPIST. XXI.

Nepos prætor, qui legibus quærit.) Ex altera lectione quorundam librorum puto legendum, *qui lege de muneribus quærit.* hoc est, qui exercet quæstionem illam. Notum quid sit quæsitor esse, & quæstionem aliquam exercere in foro Romano. non rectè enim ad prætorem vrbanum videntur hæc referri ab interprete.

IN LIBRVM SEXTVM.

EPIST. II.

Animi superstitione.) Suspicor legẽdum, *anili.* Erat, inquit, superstitiosus in consulendis aruspicibus super actionis euentu: ea tamen superstitio quanuis anilis, summum honorem testabatur quem habebat literis.

Nam tu quoque amore communium.] Legitur in quibusdam libris *communi.* Fortasse ita emendandum, *Nam tu quoque in more communi soles emendari cupere, quæ iam corrigere difficile est.* sententiâ admodum perspicuâ.

EPIST. XVI.

Vt populi, vt vrbes) Lego *vrbis.* ideo autem hæc addit, quia frequentiùs accidunt popu-

lorum aut vrbium clades quàm terrarum. Nobilitatur autem eorum mors qui in aliqua insigni strage ceciderunt, vel memorabili alicuius vrbis casu. Catanæi interpretationi nullus assentitur.

Vt eruditißimo viro visum.] Malim, *id erud. viro visum.*

Egrediebatur domo,] Malim, *Egreditur domo,* accipit cod. nisi accipias pro, quũ egrederetur domo, & referas ad illud *orabant*, quod sequitur.

Atque hilaris.] Scribo. idque hilaris.

EPIST. XIX.

Scis tu.) Lego cũ interrogatione, *Scis tu accessisse pretium agris?* Nam te recenti scripta epistola, vt quod erat nouum nunciaret.

EPIST. XX.

Si frater inquit, tuus auunculus.] Hæc lectio falsa, altera vera. *Si frater tuus, inq. tuus auunculus.* Ait *Frater tuus*, respiciens Pliniam, matrem huius Plinij: ait *auunculus tuus*, ipsum respiciens qui hęc scribit. Paullo pòst scribe *quiritatus.* & *miserabantur.*

EPIST. XXII.

Et querendi de eo quem sic amasset nec. ind.) Scribe *querendi.* Sensus est, Brutianus propterea suum testamentum Atticini, accusa-

toris iam sui, manu scriptum protulit, vt esset apud omnes insigne eius perfidiæ argumentum ac τεκμήριον.

EPIST. XXIIII.

Quàm multum intereſt quid à quoque fiat.) Scribo, *Quàm multum intereſt quid à quo fiat.*

EPIST. XXV.

Proficiſcenti quadringenta millia nummûm ad instruendum ſe ornandúmque donaueram.) Non me clam est quàm effusa liberalitate fuerit Plinius: puto tamen veriorem esse lectionẽ quæ in nonnullis codicibus reperitur, *quadraginta.* nam etiam hæc summa (accedit ad mille aureos nostræ monetæ.) munus amplissimum esse videtur. Plinius sanè liberalis fuit, non prodigus: vt testatur epistola quarta libri secundi: neque vni huic benefaciendum habuit: sed multis. quod ex his epistolis sępe ab eo factum apparet. Postremò vix est vt grandiore summa ad instruẽdum se opus haberet, qui ad ducendos ordines proficisceretur. Non enim is tantus honos fuit. Sic Quintiliani filię nupturę quinquaginta millia nummûm confert, infrà, eodem.

EPIST. XXVI.

Supereſt vt auum te quàm maturiſſimè ſimillimum ſui faciat.) Inepta lectio, si quid iudico:

Ac miror eruditum virum Catanæum hoc esse sequutum. Lege *simillimo sui*, vel *simillimi*. sic libro v. *Videas auos proauósque iuuenum.* placet tamen magis in sexto casu.

EPIST. XXVII.

Tum rerum etiam ac tēporum conditione initur.] Vel *mutatur* legendum, vt in quibusdam codicibus. vel inserendum *τὸ ex* ante *hominum*.

EPIST. XXIX.

Quæ tamen in numero fuerunt.) Lego, *quæ tertio in numero fuerunt*, ex illa *Thraseæ diuisione*. Manifestum est si quis attentè ista legat & supra allatæ diuisionis Thraseæ meminerit, ita esse legendum. Fuerat scriptum notis. I I I. pro tertio: imperiti homines putarunt esse *in*: & tamen legerunt: quæ vox ita vulgo scribi per compendium solet.

EPIST. XXXI.

Iulÿ Tyronis codicillis.) Vel *Iulÿ Tyronis codicilli*: vel, *de Iulÿ T. codicillis* constat legendum.

EPIST. XXXIII.

Accipe orationem vt illi arma diuina.) Scribe, *vt illi arma, diuinam*. Vocat orationem illam suã

diuinam, & postea corrigit se, aítque, *vt inter meas pulchram*: sic in fine, *præcipuam vt inter meas*: tollenda enim eo loco ὑποστιγμή. Sed immensum sit deprauatos in his epistolis locos hac ratione, punctis inquam, malè collocatis, omnes persequi. Sanè nõ omnes assequuntur élegantissimi scriptoris argutiam: quæ magnam sæpe requirit attentionem, quod semel dicere placuit: ne expectaret lector vt de omnibus admoneretur à nobis.

EPIST. XXXIIII.

Sed licèt cessauerit, illa.) Scribe, *sed licet cessauerint illæ, tempestate detentæ, tu tamen.* &c.

IN LIBRVM SEPTIMVM.

EPIST. III.

Nusquã toga feriata? liber totos dies) Suspectus est mihi iste locus: quid si legas? *quousque calcei, nunquam toga? feriaberis liber totos dies?*

EPIST. IIII.

Ausus de Cicerone dare.) Scribe *dare est.*

Nullúmque in medium timidi damus?) Scribo, *Nullique*. Nullus pro non vulgò notum.

Tyronis nosse fugaces.] Fortasse, *Tyroniásque*

fugacis. Nam *nosce* plerique codices habent. *ae* pro *que* posito vt passim.

EPIST. XVIII.

Exactori publico mancipaui.) Scribendũ *actori publico.* sicut habent meliores libri: neque aliter eruditus Catanæus. Sic apud Tacitum etsi alia in re, libro secundo Annalium, *Tiberius mancipari singulos actori publico iubet.*

EPIST. XXIIII.

Delicatè, seuerissimè; & tamen obsequentissimè.) Nondum satis constitui existimare debeam annon scripsisse Plinium *securissimè* non *seuerissimè.* hoc est, in summa ἀδείᾳ & peccandi impunitate.

EPIST. XXVII.

Esse aliquid phantasmata.) Existimamus legendum esse *phasmata.* quam nostram sententiam multis rationibus alibi astruimus. video enim nõ solũm vulgus, sed etiã summi in literis nominis viros ignorare quid & quomodò differant hæc duo vocabula.

Longius primò, deinde proximo.) Scribo, *deinde ea proximo.*

EPISTOLA EAD.

Domus postea ritè conditis manibus caruit.) Attende quęso, lector: videbis locum esse mutilum: quid enim illud est quo domus caruit? non est obscurum quid velit, & planissimè constat ex Luciani verbis in eiusdem rei narratione, ἐκεῖνον μὲν οὖν, inquit, ἐθάψαμεν, ἀνορύξαντες. ἡ οἰκία δὲ τὸ ἀπ' ἐκείνου ἐπαύσατο ἐνοχλουμένη ὑπὸ τῶν φασμάτων. Locus est in Philopseude. Puto legendum, *domus postea ritè conditis manibus, dæmonibus caruit.* vel *phasmatibus caruit.* aut etiam *metu caruit.* tot enim modis ex Luciano locus expleri potest. Iam illud *ritè conditis manibus*, quod malè quidam accipiunt, dictum est ex consuetudine & ritu Romanorum: qui tum demũ manes cõditos putabant vocabántq́;, quum omnia illorum iusta essent peracta.

EPISTOLA XXVIII.

Ais quosdam apud te reprehendisse.) Lego, *quosdam me apud te repr.*

Qui amicos meos meliùs norint.) Lego, *meliùs me norint.*

EPIST. XXIX.

Et sestertiûm cẽties quinquagies.) Manifestum est legendum esse *sestertium* τὸ non *sestertiûm*. sequitur enim, *cuius honore* videlicet sestertij.

Iam antè diximus ita loqui solitos scriptores, emi centies sestertio: liberalitas centies sestertij. cuius locutionis passim extant exempla.

EPIST. XXXI.

Vt librum de vita eius ediderit pulchrum. Istud.] Scribe, *ediderit. Pulchrum istud, &c.*

EPISTOLA XXXIII.

Ne bona dissipari sinant, quorum esse in custodia debent.) Postrema verba non carent menda: esset aliquid si legeretur, *quæ iam esse in custodia deberent.* sententia recta quidem: modò tamen certa. Paullo antè variè leguntur illa verba: *cuius gratia periculum creuit.* quidam codices, *c. g. periclitatus sum.* ex adscripta vel superscripta potius interpretatione. in aliis est, *cuius gratia periculo cedit.* Legi potest vel *c. gratia periculum creuit.* vel *c. gratia periculum creauit*: aut etiam *periculo creuit.*

IN LIBRVM OCTAVVM.

EPIST. IIII.

Ipso cuius res, opera, consilia dictaturus es.) Melius *dicturus es.* quod & in quadam editione extat. Poëtæ sanè non solent ita loqui, sea-

liis sua carmina dictare: sed contra, dictata sibi à Musis aut Apolline carmina se excipere. propterea ὑποφήτας se vocant: & notũ illud de summo vate, ingeniorum principe, Ἔγραφον μὲν Ὅμηρος, ἄειδε δὲ Φοῖβος Ἀπόλλων. Si legas *dictaturus*, referes ad notarium cuius manu poëta vteretur non sua.

EPISTOLA VI.

Sestertiûm cẽties.) Vide ad librum superiorẽ.

Quid dicam nescio: nisi vellet.) Totum locum lege vt veteres editiones habent, *Tanta principis, tanta senatus, tanta Pallantis ipsius, quid dicam nescio: vt vellent in oculis omnium figi*, P. Locus est elegantissimus, quem non assecuti sunt qui primi eum deprauarũt. Voluit Plinius dicere, Tanta fuit principis, senatus & Pallantis væcordia, siue ἀβελτηρία aut ἀπόνοια, vt vellent, &c. sed quia verebatur ne id quidam duriùs acciperent, reticuit eleganter verbum asperius.

Ea honorum vilitas erat, illorum etiam quos Pallas non dedignabatur.) Veteres libri habent *non dignabatur* hoc est quos non putabat dignos se: siue qui à se gererentur. propterea illum appellauit modò fastidiosissimum mancipium, & eius abstinentiam superbissimam. Ac fortasse illud *dedignabatur* natum est ex, *se dignabatur.*

EPISTOLA X.

Neptem tuam abortum fecisse dum se p.) Distingue, *fecisse. Dum se*, &c.

EPISTOLA XII.

Ne dicã soleo, certè maximè possum.) Placet omnino altera lectio *ne dicam solo*, quæ elegãtissimã sententiã habet: perinde enim est ac si dixisset, dicerem me in eo solo obligari posse, nisi id esset inuidiosum & νεμεσητόν.

EPIST. XIIII.

Medearis sciẽtia tua, cui superfuit curæ.) Lego, *cui semper fuit curæ.* addicentibus, vti spero, doctis omnibus. Paullo pòst lego, *Atque adeo, (permitte mihi,* &c. vsque ad *iugere*) fingamus tres, vt non sint duę periodi: sed vna tãtùm, parenthesi paullo longiore interrupta. Mox etiam scribe, *num consulere etiam, vbi quisque remanere quò transgredi debeat? non tantum;* &c. sublata interrogationis nota post demonstrat.

EPISTOLA XVIII.

Nam Curtius Mantia.] Scribo Curtilius Mancia: cùm & apud Tacitum ita legatur, & apud Phlegontem Trallianum Τίτος Κουρτίλιος Μαγκίας.

Sub ea conditione vt filiam eius neptem suam institueret hæredem.) Fœdissimè hæc isto modo leguntur: nos ita restituimus: *sub ea conditione filiam eius neptem suam instituerat hæredem, si esset manu patris emissa.* omnia plana, liquida, & aperta. Paullo pòst scribe, *numero ciuiũ excidit.* non *excidit.* Malim etiam sub finem, *Nunc sunt ven.* non *Nam.*

EPISTOLA XX.

Omnes arundine & iunco tectæ.) Legendum *sextæ*: quod vidit acutissimè clarissimus vir,

Lectius meus. Constat enim mobiles istiuſmodi inſulas ex arundinea hacce texturâ & coalitione, natura velut ludente, componi. Appoſitiſſimè verò idem ad harum inſularum indolem explicandam Pauli locum annotarat ex lege penult. §. 2. Dig. De acquirendo rerum dominio. *Videamus*, inquit Paulus, *de ea inſula quæ non ipſi alueo fluminis cohæret, ſed virgultis aut alia qualibet leui materia ita ſuſtinetur in flumine, vt ſolum eius non tangat, atque ipſa mouetur.*

Sua cuique figura vt modus.) Aſſentior eidem legenti *motus*.

EPISTOLA XXII.

Qui vitia odit, homines odit.) Ita ſcriptũ eſt in omnibus libris, quos vidi: mihi hoc duriuſculè dictũ videtur: nam quis neſcit aliud eſſe vitia odiſſe, aliud vitioſos? Sed arbitror hoc ſenſiſſe Thraſeã, Ita pronũ eſſe in vitiũ genus humanum, vt difficillimũ ſit vitia in homine odiſſe, vt nõ ipſum quoq; hominẽ oderis: proinde ſumma moderatione in exagitandis vitiis opus eſſe. Si legeretur, *homines non odit*, ſenſus eſſet planiſſimus.

Quem inſignire, exẽpli nihil.) Lego, *quẽ inſignire exẽpli nonnihil, non inſignire humanitatis plurimũ refert.* qua emẽdatiũcula reddidimus auctori ſuam ſentẽtiam, eámq; planè acutam: quum antè vel Gallica niue eſſet frigidior.

EPIST. XXIII.

Et honor quem meruit. Tantum r.] Scribe, *quem meruit tãtùm. Redit an.* mox intactum honorẽ voeat. Sub finem ſcribe, *In tantis tormentis erã quum hæc ſcriberem, vt hæc ſcriberem ſola.*

IN LIBRVM NONVM.

EPISTOLA I.

Statim igitur:) Scribo, *in defũctũ quoq;, tãquã viuentem adhuc, editur si editur, statim. Igitur si q.*

EPISTOLA V.

Egregiè facis, inquiro enim & perseuerò.) Legitur etiam *&/ perseuera:* vnde emendabat Lectius *& per se vera.*

EPISTOLA VII.

Et vtranque poßidenti ipsa diuersitate iucũdior.) Arbitror omissam esse vocem vnam, ac legendum, *& vtraque vtramque poßidenti, ipsa diuersitate iucundior.* Paullò antè lege, *plures villæ me, s.*

EPISTOLA IX.

Nã & tu quæ de am.) Iterũ hîc grassati sunt pari petulãtia imperiti librarij: nã & hîc repetitas voces prętermiserũt, quod apud Gręcos Latinósq; scriptores, locis pene infinitis obseruauimus. Lege igitur. *Nam & tu quæ de amicis scribis, optimè scribis: & ego quæ de me lego, vt optima lego.* ita scriptum fuisse hũc locũ ab auctore, penè ausim affirmare: præsertim qui sciam lectissimo Lectio καὶ τὰ τοιαῦτα διαιτᾷν ἱκανωτάτῳ, idẽ in mentem venisse. Scribe etiã, *Accidit hoc,* non *Accedit.*

EPISTOLA X.

Cupio praeceptis tuis parere. Nō aſſentior Catanæo, aliiſque doctis viris exiſtimantibus hanc epiſtolam Taciti eſſe. Nam quod ait Catanæus hanc eſſe Taciti reſponſionem ad literas Plinij quæ libro primo continentur epiſtola ſexta: mihi aliter videtur. Puto enim Plinium nunc reſpondere ei epiſtolæ quam ipſi Tacitus miſit accepta illa ſuperiore libri primi. Sanè qui attentè vtranque epiſtolam inter ſe cōparabit, intelliget non reſponderi iſtâ illi priori: ſed alij cuidam, cuius argumentum & ὑπόθεσις ex illa priore erāt nata. quod, quia putamus acutum lectorem ex vtriuſque epiſtolæ lectione facilè intellecturum, pluribus probare ſuperſedebimus.

EPISTOLA XII.

Feciſti dico. Non interdum facis.] Scribe, *feciſti dico? non interd.*

EPISTOLA XXIIII.

Qui nec illius inu.) Scribe, *qui nec vllius inuides laudibus, & faues noſtris.*

EPISTOLA XXVI.

Aut improba quæ ego audientia: aut nimia quæ ego plena.) Rectè Lectius *vt in proba* & *vt nimia.*

βράχε δ' εὐρεῖα χθών.) Poſt hāc χρείαν Homeri extat alia ex eodem poëta in omnibus ferè editionibus, Περὶ δ' ἔγχος ἐκέκλιτο. quę verba cur hinc ſublata fuerint, cauſſam nullam video. Tantùm inter vtrunque locum ponatur vocula &.

Ead. ep. *In contrarium incidi dicens h.*] Lege ex certissima Iacobi Lectij coniectura, *in cōtrarium incidi: Dices hunc quoque ob ista culpari:* nec multo aliter Catanæus. Mox in verbis Æſchinis ſcribe κόμπος, non πομπὸν, quod interpres craſſo errore *pompam* interpretatus eſt.

EPISTOLA XXX.

Si tamen non in nos ſolos.) Putidum penè eſt, monere legendum eſſe *non in hos ſolos*.

EPISTOLA XXXVII.

Conſumúntque quod natū eſt, vt qui iam putent ſe non ſibi placere.) Ineptiſſima lectio: ſcribe, *ſe non ſibi parcere*. ex melioribus editionibus.

Ac deinde ex meis aliquos exactores.) In editione quæ ad exēplar Rodolphi Agricolæ fuit emendata, ſic legitur, *ac deinde ex meis aliquos operis exactores, cuſtodes fructibus ponam*. longè melius.

Ad hoc, mag.] Scribe hunc locum, *Eſt alioqui nullum iuſtius genus reditus, quàm quod terra, cælum, annus refert. At hoc magnā fidem*, &c. Planiſſimâ ſententiâ, quæ antea nulla erat.

EPISTOLA XXXIX.

Vetus ſanè & anguſta.] Scribo, *eſt anguſta*. vel, mutata diſtinctione, *in melius & in maius, vetus ſanè & anguſta, quum ſ.*

EPISTOLA XL.

Addas hunc licet autumnum) Torſit hic locus eruditiſſimum Catanęum, cuius emendatio, ſi verū dicere licet, paſtoritia fiſtula potius quàm plauſu digna. Veriſſimè verò Lectius

& ingenioſiſſimè, qui ita emendabat, *Addat huc licet vel & autumnum: quæ inter hyemē æſtatémque media, vt nihil de die perdunt, ita de nocte paruulum acquirunt.*

IN LIBRVM DECIMVM.

EPIST. XX.

Sed quum poſtea conſul deſignatus cenſuiſſes tacendum nobiſcum.] Certiſſima coniectura (abſit verbo inuidia) locum hunc fecimus è deprauato vt eſſet emendatus, è tenebricoſiſſimo, vel clariſſimus. Legendum enim, *cenſuiſſes faciendum nobiſcum.* Vide lector, probabis. Mox etiam lege *moderatæ*, non *moderatè.*

EPIST. XXIX.

Simile tibi iter ab Epheſo vt nauigat.] Scribe, *ei nauigationi ſ.* Vide initium epiſtolæ præcedentis.

EPIST. XXXVIII.

Quòd vt iã dixerant ſacramento militari.] Hũc quoque locum priſtinæ elegantiæ primi reſtituimus: non enim dubitamus veram lectionē inueniſſe nos, quæ hæc eſt. *Ipſe enim dubito ob hæc maximè, quod, vt iã dixerint ſacramento militari, nondum diſtributi in numeros erãt.* Ait Plinius, dubitare ſe, deberet necne in ſeruos iſtos inter tyrones repertos animad-

uertere: quòd quanuis sacramento militiæ se obstrinxissent, nondum tamen in numeros fuerãt relati. Vide in respõsione Traiani. Qui non obseruauerunt apud veteres scriptores Romanos loquendi illud genus *sacramento dicere* quid esset, eos mirum non est Plinij verba non intellexisse, deinde vt intelligerent corrupisse.

EPISTOLA XLVIII.

Quam buleutæ addunt beneficio tuo.) Lego, *buleutæ additi beneficio tuo.* ex historia & re ipsa. vide epistolam CXIII.

EPISTOLA CXVII.

Et in speciem dianomes incidere.) Quis non videt scribendum esse & hîc & sequenti epistola, dianomes, hoc est διανομῆς?

Hęc habui, lector, quæ annotarem in elegantissimum hunc scriptorem, quum eius recentem hanc editionem furtim percurrerem. In Panegyricis maioris fortasse momenti quædam obseruaueramus: verùm illa publicare priusquam meliores libros saltem editos nacti essemus, haut satis consultum putauimus Haue mi lector & vale.

FINIS.

INDEX EORVM QVÆ IN NOTIS ET OBSERVATIONIBVS CLAVDII MINOIS explicantur, aut emendantur.

A

M

a Dian.

Q

R

T

V

Finis Indicis Notarum & Obseruationum.

Extraict du Priuilege.

PAR priuilege du Roy, donné à Paris le 13. iour de Feurier, l'ã de grace mil cinq cẽs quatre vingt dixhuict, il est permis à maistre CLAVDE MINOS iurisconsulte de faire imprimer, ou choisir & cõmettre tel Imprimeur qu'il verra estre suffisãt pour fidelemẽt imprimer ou faire imprimer, vn liure intitulé *In Cai Plinij libros decem Epistolarum, notæ & Emendationes; vnà cũ eiusdẽ Plinij Panegyrico:* inhibãt ledit sieur à tous Imprimeurs, Libraires & autres quelconques d'imprimer ou faire imprimer, ny exposer en vente ledit liure, sinon par sa permissiõ, licence ou congé, ou de l'imprimeur par luy choisi & commis à l'impression d'iceluy, & ce sur peine de confiscation des liures imprimez, & d'amende arbitraire tant enuers le Roy que ledict MINOS, & des dommages & interests de l'Imprimeur par luy choisi, comme plus à plein est contenu esdites lettres du priuilege.

Signé par le Roy estant en son conseil,
COMBAVD.

Et scellees sur simple queuë du grand seau de cire iaune.

Ledict MINOS a permis à ROBERT MIGARD & FRANÇOIS GVEFFIER marchands Libraires d'imprimer ou faire imprimer le susdit liure iusques au temps & terme de six ans finis & accomplis, à commencer du iour que ledit liure sera acheué d'imprimer.